

GEORG. FRID. SCHOEMANNI

OPUSCULA ACADEMICA.

VOLUMEN II.

MYTHOLOGICA ET HESIODEA.

BEROLINI
IN LIBRARIA WEIDMANNIANA
MDCCCLVII.

INDEX OPUSCULORUM.

DE POESI THEOGONICA GRAECORUM.

De primis theogoniae Graecorum auctoribus Herodotus loco no- 3
tissimo multumque vexato, II, 53, hanc proponit sententiam: *ἔνθεν δὲ ἐγένετο ἕκαστος τῶν θεῶν, εἴτε δ' ἀεὶ ἦσαν πάντες, ὁκοῖοί τέ τινες τὰ εἴδεα, οὐκ ἠπιστέατο μέχρι οὗ πρώην τε καὶ χθὲς, ὡς εἰπεῖν λόγῳ. Ἡσίοδον γὰρ καὶ Ὅμηρον ἡλικίην τετρακοσίοισι ἔτεσι δοκέω μευ πρεσβυτέρους γενέσθαι. οὗτοι δέ εἰσι οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες, καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντες.* Quae verba, si quis urgeat interpretando, errorem patris historiae produnt sane mirum, quasi nihil omnino ante Hesiodum et Homerum de singulorum deorum natalibus et cognationibus, ac ne de formis quidem eorum aut cognominibus et muneribus nec traditum a poetis nec vulgo creditum sit[1]). Hoc vero voluisse Herodotum tam incredibile est, ut assentiendum potius iis esse censeamus, qui verba illa paullo liberius interpretantur, sententiamque, quamvis minus accurate declaratam, hanc esse statuunt, ut nulla de istis rebus certa et constans apud Graecos traditio fuisse dicatur ante quam Homerus et Hesiodus eas carminibus suis persequuti essent. Id certe haud improbabile est: quamquam, si verum dicere volumus, certam et constantem de re-

1) Dixerunt de Herodotei loci interpretatione, praeter editores, etiam Heynius Comm. Gott. ann. 1779 p. 132. Wyttenbach. ad Plat. Phaed. p. 129 et in Biblioth. crit. II, 2 p. 83. Wolf. prolegg. ad Hom. p. LIV. Hermann. epist. ad Creuz. de Hom. et Hes. p. 11. Creuzer. ib. p. 27. idemque Symbol. II p. 451 ed. 2. et Annal. Heidelb. ann. 1828 p. 1192. O. Mueller. prolegg. mythol. p. 242 sqq. Wachsmuth. Antiquitt. Hellen. II, 2 p. 90 sqq. ed. 1., aliique quos commemorat Bodius de Orpheo p. 49.

bus ad theogoniam pertinentibus opinionem ne post illos quidem duos poetas fuisse fatendum est. Nam nulla unquam de diis rebusque divinis traditio una apud omnes Graecos adeo obtinuit, ut non de iisdem diis deorumque actionibus alia apud alios, multaque prorsus inter se pugnantia ferrentur, errantque imperitissime, si qui ita de Graecorum religionibus loquuntur, quasi aliquid dogmaticae doctrinae apud eos fuerit et tanquam sacrosancta quaedam theologia, sacerdotali studio custodita populoque inculcata, a qua dissentire nefas esset. Talibus enim vinculis Graecorum religio nunquam se constringi passa est,
4 minimeque omnium poetae aut manciparunt artem suam sacerdotum auctoritati, aut ipsi apud populum auctoritate aliqua maiore pollebant, quam quae suavitate carminum artisque praestantia iis conciliaretur, quumque Musarum se instinctu canere gloriarentur, non ignorabant scilicet auditores, id quod ipsas deas apud Hesiodum profitentes videmus, posse quidem a Musis vera, posse autem etiam falsa et mendacia tradi veris haud absimilia: [2]) quid autem in poetarum cantibus verum, quid falsum habendum esset, liberum erat penes auditores iudicium. Sed procedente tempore, magnorum aliquot poetarum carminibus, quae *ἔργ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε* cantabant, per totam Graeciam divulgatis, fieri non potuit, quin certae quaedam fabulae praeter ceteras celebratae quum magis ubique innotescerent, tum maiorem fidem atque auctoritatem in vulgus nanciscerentur, adeo ut in singulis Graecorum populis qui postea extiterunt poetae, si quae apud populares suos diversae fabulae ferrentur, has cum illis nobilioribus quantum fieri poterat coniungerent iisque adaptarent, quae autem apte coniungi non possent, relinquerent fere intactas. Sic duplex factum est genus fabularum, alterum earum, quae singulis populis propriae, apud ceteros ignotae et obscurae essent, alterum earum, quas nobilium poetarum carminibus celebratas Graeci omnes nossent et amplecterentur. Hinc Olympicus ille deorum coetus, hinc coniugia eorum, cognationes, suboles, hinc sui cuiusque mores, forma, munia, cognomenta, denique tota illa poetica mythologica, qualem servarunt fere posteriores: atque hactenus verum est, quod Herodotus de Homero et Hesiodo dixit, modo pro duobus, quos ille posuit, nobilissimis totum hoc genus poetarum cogitemus Homero Hesiodoque similium, quales non paucos

2) Theog. v. 27: *ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα, ἴδμεν δ', εὖτ' ἐθέλωμεν, ἀληθέα μυθήσασθαι.*

his etiam antiquiores fuisse nemo hodie dubitat, potestque etiam ipsorum testimoniis probari. Ceterum quum constet nunc fere inter omnes, quae Hesiodi nomine carmina feruntur, Homericis recentiora esse, ita ne id quidem dubitari posse videtur, omne hoc genus poeseos, quod Hesiodeum dicere licet, altero isto, Homerico, serius natum atque excultum esse. Apertum est enim, sicut esse dii et providere rebus humanis multo ante crediti sunt, quam de ortu eorum atque cognationibus quaesitum est, sic etiam de heroum rebus gestis cantari ante coeptum esse, quam recensum omnium, qui memoratu digni essent, institutum stirpesque eorum et cognationes atque affinitates in uno velut conspectu compositas. Nam hunc in modum de diis atque heroibus exponi non potuit, nisi posteaquam, quae varie olim de singulis, alia alibi cantata erant, diuturno poetarum studio per omnem Graeciam magis magisque divulgari coeperant. Tum demum existere potuerunt, qui multiplicem huiusmodi fabularum discrepantiam componere et unum quasi stemma deorum, unam quasi καθολικὴν ἱστορίαν heroicae aetatis contexere conarentur. Hoc autem est genus poeseos, quod Hesiodeum dici et ab Homerico distingui debet, theogonicum illud et heroogonicum: quod quidem quum recentius altero isto sive Homerico dico, non vereor ne quis ita accipiat, quasi his etiam, quae hodie extant, Homericis carminibus omne illud genus recentius extitisse credam. Immo inchoata theogonica illa et heroogonica poesis haud dubie iam tum fuit, quum maxime alterum illud genus Homericum floreret, possuntque huius rei aliquot vestigia et indicia etiam iu his, quae in manibus sunt, carminibus Homericis passim de- 5
prehendi [3]). Sed sicut Homerum ipsum in suo poeseos genere non primum, sed multorum longeque vetustiorum successorem fuisse in confesso est, sic haud dubie etiam theogonica quaedam carmina hoc Hesiodeo antiquiora olim fuisse credendum est, quae quamvis non perdurarint ad posteritatem, aliquam tamen eorum memoriam servari potuisse nemo facile infitias ibit. Ipsis certe Graecis de summa huius theogonicae poeseos antiquitate persuasum fuit, eaque res induxit postea nonnullos, ut carmina theogonica recentioris fabricae veteribus illis ultimae antiquitatis vatibus, Lino, Thamyrae, Musaeo, Orpheo supponerent magnorumque nominum auctoritatem noviciis commentis

3) Singulatim haec persequutus sum in comparatione theogoniae Hesiodeae cum Homerica, a. 1847 edita.

conciliare conarentur. Operae pretium autem fuerit, quae de his ac similibus carminibus tradita sunt, in uno brevi conspectu proponere.

Primum igitur Lini, poetae Thebani, Mercurii Musaeque Uraniae filii, non quidem theogonia, sed cosmogonia ferebatur[4]), quod argumentum quam coniunctum cum theogonico fuerit apertum est, siquidem deorum eadem quae mundi principia esse credebantur, ut separatim haec tractari nullo modo possent, id quod vel Hesiodeae theogoniae exemplum demonstrat. Ceterum Lini illa cosmogonia hactenus tamen a theogonia diversa fuisse videtur, quod in principiis mundi exponendis diisque antiquioribus commemorandis continebatur, de iunioribus eorumque stirpibus et cognationibus tacebat; deinde quod ipsis illis mundi principiis minus, quam ab Hesiodo factum est, personas deorum induebat, sed propria magis ratione et ad philosophorum modum de iis loquebatur, quae res ipsa documento est, quam vetus hic Linus habendus sit: nam quae ex ista cosmogonia afferuntur, poetam produnt Ionicae et Eleaticae philosophiae placitis imbutum. Initium hoc fuit:

Ἦν ποτέ τοι χρόνος οὗτος, ἐν ᾧ ἅμα πάντ' ἐπεφύκει·

quem versum Diogenes Laertius Prooem. p. 3 Anaxagorae viam monstrasse credit ad statuendum, quod eum statuisse notum est: *πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ· εἶτα νοῦς ἐλθὼν αὐτὰ διεκόσμησε.* Sed Mentem, quae confusa rerum semina separaret ordinaretque, in Lini cosmogonia nullam fuisse manifestum est: haec enim ab omnibus Anaxagorae tanquam propria adscribitur. In Lini carmine Eris rerum ortum moderabatur, ad Heracliti exemplum, cui *Πόλεμος* erat *πατὴρ καὶ βασιλεὺς καὶ κύριος πάντων*, ut est apud Plutarchum de Is. et Os. p 370. Versus ex Lini carmine *περὶ φύσεως κόσμου*, non diverso haud dubie a cosmogonia, servati sunt hice:

---

4) Diog. Laert. prooem. p. 3 Hübn. — Varias de Lino aut de Linis (nam plures fuisse dicebantur) fabulas commemorare non est huius loci. Cosmogoniam Lini qui citet ante Diogenem novi neminem: quamquam Celsus Epicureus, quinquaginta circiter annis Diogene maior, illum non cum Musaeo, Orpheo, Pherecyde tanquam scriptorem nominat, (ap. Origen. ctr. Cels. I, 17 p. 40. 41 Lomm.,) et Celsi aequalis Pausanias, VIII, 18, 1, theogonicam quandam sententiam a nonnullis Lino tributam commemorat, itemque II, 19, 7 Lini *τοῦ ποιήσαντος τὰ ἔπη* mentionem facit. Sed spuria haec sibi videri quum illo altero loco profitetur, tum IX, 29 extr. Ceterum e Diogenis verbis, *τούτῳ ἀρχὴ τῶν ποιημάτων*, non iniuria fortasse Lobeckius, Agl. p. 337, coniicit, plura Lini carmina in unum corpus coniuncta fuisse.

ὡς κατ' ἔριν συνάπαντα κυβερνᾶται διὰ παντός,
ἐκ παντὸς δὲ τὰ πάντα καὶ ἐκ πάντων πᾶν ἐστι,
πάντα δ' ἓν ἐστιν, ἕκαστον ἑνὸς μέρος, εἰς ἓν ἅπαντα.
Ἐκ γὰρ ἑνός ποτ' ἐόντος ὅλου τάδε πάντ' ἐγένοντο,
ἐκ πάντων δέ ποτ' αὖθις ἓν ἔσσεται ἐν χρόνου αἴσῃ,
αἰὲν ἓν ὂν καὶ πολλὰ καὶ οὐ κατὰ ταὐτὸν ἀθρῆσαι·
πολλάκι δ' ἔσται ταῦτα, καὶ οὔποτε πεῖρας ἔπεισι 6
αἰεὶ πείρατ' ἔχον, ποῖον γένος ἔλλαχε, τοῦτ' ὄν·
ὧδε γὰρ ἀθάνατος θάνατος περὶ πάντα καλύπτει
θνητὸς ἐών, καὶ πᾶν θνήσκει φθαρτόν, τὸ δ' ὑπάρχον
φαντασίαις ἀλληλοτρόποις καὶ σχήμασι μορφῆς
ἀλλάσσει τρόπον ὡς ἀποκρύπτεμεν ὄψιν ἁπάντων·
ἄφθορον ἔσται ἐόν τ' αἰεὶ καθὸ τῇδε τέτυκται.

Haec perquam recentis fabricae esse neminem fugere potest: afferuntur a Stobaeo Ecl. Phys. I, 11, 5, lectaque sunt a Damascio, qui aliquoties eorum mentionem facit, de princ. c. 25 p. 64 et c. 26 p. 67; composita autem ab eclectico aliquo veterum philosophorum sectatore non diu fortasse ante Diogenis Laertii aetatem. — In eodem carmine etiam de anno magno dictum esse videtur, qui esset annorum XDCCC[4b]).

Ceterum ferebatur etiam aliud Lini carmen, argumenti theologici[5]) et ethici, in quo de deorum maiestate et potentia, deque hominum pietate ac probitate praecipiebatur, quod Iamblichus, qui initium eius affert[6]), a Pythagoreis quibusdam Lino suppositum esse suspicatur. Initium autem hoc fuisse dicitur:

Ἔλπεσθαι χρὴ πάντ', ἐπεὶ οὐκ ἔστ' οὐδὲν ἄελπτον·
ῥᾴδια πάντα θεῷ τέλεται καὶ ἀνήνυτον οὐδέν.

De humanis autem officiis hi versus servati sunt:

Φράζεο δή, σπουδὴν ἐντυνάμενος δι' ἀκούης,
μύθων ἡμετέρων ἀτραπὸν περὶ παντὸς ἀληθῆ,
κῆρας ἀπωσάμενος πολυπήμονας, αἵτε βεβήλων
ὄχλον ἀϊστῶσαι ἄταις περὶ πάντα πεδῶσι
παντοίαις, μορφῶν χαλεπῶν ἀπατήματ' ἔχουσαι·

4b) Vid. Censorin. d. die nat. c. 18 p. 55 Jahn.

5) Linum *ἐν τῷ πρὸς Ὑμέναιον δευτέρῳ θεολογικῷ* ab auctore theolog. arithmet. memorari disco a Fabricio, Bibl. Gr. I p. 114 Harl. Ipsa illa theologumena inspicere non possum.

6) Vit. Pythag. c. 28.

τὰς μὲν ἀπὸ ψυχῆς εἴργειν φυλακαῖσι νόοιο·
οὗτος γάρ σε καθαρμὸς ἀπ' ἀτρεκέως ὁσιεύσει,
εἴ κεν ἀληθείῃ μισῇς ὀλοὸν γένος αὐτῶν,
ἠδ' ὕλην πρώτιστ', αἰσχρῶν δότειραν ἁπάντων,
ἣν ἐπιθυμία ἡνιοχεῖ μάργοισι χαλινοῖς [7]).

quorum quanta sit cum aureis Pythagoreorum carminibus similitudo, neminem fugiet.

Cosmogoniam etiam Thamyris s. Thamyras, Thrax ille Philammonis nymphaeque Argiopae filius, composuisse ferebatur versibus
7 haud minus quinquies millenis, itemque theologiam, libris tribus, et Titanum cum diis certamen. Atque huius quidem Plutarchus de musica c. 3 ex Heraclide Pontico mentionem facit, sed ita ut carmen ab neutro lectum esse appareat: theologiam unus Suidas, cosmogoniam Tzetzes memorat Chiliad. VII, 96 sqq., fabulam de coecitate Thamyrae propter aemulationem Musarum imposita allegorice suo more interpretans: significari enim nihil aliud, nisi, quamvis ille superbus fuerit ceterosque omnes prae se despexerit, tamen poesin eius obscuratam prorsusque oblitteratam esse. Ceterum Platonis tamen aetate, ut Orphei et Olympi, sic Thamyrae quoque quaedam carmina, ex tralaticia scilicet nominum usurpatione, cani solita esse non sine causa Nitzschius statuit, ad Platon. Ion. p. 31.

Celebratius fuit theogonicum carmen Musaei, ex quo nonnulla Homerum et Hesiodum mutuatos esse Clemens Alexandrinus autumat Strom. VI c. 2, 5 et 26. Proponebatur autem in hoc carmine rerum omnium ortus ex una materia prima, in eandemque post varias mutationes reversio: *ἐξ ἑνὸς τὰ πάντα γίνεσθαι καὶ εἰς ταὐτὸν ἀναλύεσθαι*, ut ait Diogenes Laert. prooem. §. 3. Qualis autem haec materia fuerit, Chaone Hesiodeo similis, hoc est, ut equidem arbitror, aeria, an ignea, ut Heraclito et Stoicis placuisse constat, an aquosa, ut Thaleti, an *ἄποιος* quaedam *ὕλη*, sine ulla specie et qualitate, dici non

7) Extant hi versus in Stobaei Florilegio V, 22, inde repetiti quum alibi tum apud H. Stephanum, in poet. Graec. princ. II p. 483, in Brunckii poet. gnom. et Gaisfordii poet. min. tom. III p. 265 Lips. Versu 7 *ἀπ' ἀτρεκέως* pro eo, quod ap. Stobaeum scriptum est *δικαίως*, glossemate manifesto, coniecit Valckenar. diatr. p. 281. Versu 9 scriptum erat *ἤδη μὲν πρώτ.*, unde Grotius *ἦθος μὲν* —, Valckenarius *νηδὺν μὲν* fecit: *ἠδ' ὕλην* habet H. Stephanus, una deterius quam illorum utrumvis.

potest. Quod autem res omnes in eadem, unde extiterant, principia reverti atque resolvi statuit, communem hanc multorum sententiam fuisse novimus, cuius aliquod, quamvis obscurum indicium etiam in Hesiodi theogonia mihi deprehendisse videor, qua de re dixi in dissert. de extremarum mundi partium descriptione Hesiodea p. 9.

Quae praeterea ex Musaei theogonia memorantur, haec sunt, Primum Oceani cum Tellure coniugium, liberique hinc prognati, quorum unus Triptolemus. Pausan. I, 14, 2: *ἔπη δὲ ᾄδεται Μουσαίου μὲν, εἰ δὴ Μουσαίου καὶ ταῦτα, Τριπτόλεμον παῖδα Ὠκεανοῦ καὶ Γῆς εἶναι.* Pugnant haec cum Homero et Hesiodo, siquidem apud hos non Tellus, sed Tethys Oceani coniux dicitur, quae, licet a posterioribus quibusdam interpretibus pro Tellure habita, apud ipsos tamen haud dubie ab hac diversa et aquosae potius naturae est [8]). Triptolemi autem neque in Hesiodi theogonia neque apud Homerum mentio fit.

In Oceani filiabus Pleionen numeratam, eiusque ex Atlante filias Pleiadas et Hyadas filiumque Hyantem commemoratos a Musaeo fuisse aliquot Hygini codices perhibent, in quibus, Poet. astron. II, 21 p. 395 Munck., haec leguntur: „Pleiades autem appellatae sunt, ut ait Musaeus, quod ex Atlante et Pleione Oceani filia sunt quindecim filiae procreatae, quarum quinque Hyades appellatas demonstrat, quod earum Hyas fuerit frater, a sororibus plurimum dilectus: qui quum venans a leone esset interfectus, quinque, de quibus supra diximus, lamentationibus assiduis permotae dicuntur interiisse: quare eas, quod plurimum de eius morte laborarent, Hyadas appellatas: reliquas autem decem sorores deliberasse de sororum morte, et earum septem sibi mortem conscisse: quare, quod plures idem senserunt, Pleiades dictas." In aliis tamen Hygini codicibus non Musaei sed Mnaseae nomen scriptum est, cuius 8
proinde fragmentis illam narrationem nuper Mehlerus addidit, no. 45: nec fortasse iniuria, quamquam Musaeum huius fabulae auctorum citat etiam schol. ad Germanici Aratea p. 56 Buhl., ubi tamen duodecim, non quindecim sorores sunt, materque non Pleione sed Hya dicitur; itemque p. 65. Quam facile autem fieri potuerit, ut ista nomina a librariis commutarentur, in aperto est: facilius autem pro Mnasea, minus illis noto, Musaei nomen, quam contra, substitutum esse credideris, quum praesertim omnis ista narratio Mnaseae genus mythologiae tra-

8) Cf. dissert. de Titanibus p. 18 et compar. theog. Hesiod. cum Homerica p. 7. 8.

ctandae, quale ex aliis non paucis reliquiis cognoscitur, referre videatur. Quamquam in huiusmodi re equidem nihil affirmare ausim: et potuit etiam hoc fieri, ut fabulam a Musaeo traditam Mnascas repeteret. Ceterum fabulam hanc de Pleiadibus neque Homerus neque Hesiodi Theogonia memorat, quamvis Pleiadum sidus aliquoties apud utrumque poetam nominetur: in Operibus autem Pleiades *Ἀτλαγενέες* vocantur 383, memorabanturque septem sororum nomina fortasse in astronomico carmine ad Hesiodum referri solito, unde non improbabiliter Marckscheffelius, Hes. fragmm. p. 352, tres versus esse coniicit a schol. Pind. Nem. II, 16 descriptos.

De Titanibus a Musaeo narratum fuisse certissimum est, ferebaturque eius etiam Titanomachia (sic enim pro Titanographia apud Schol. Apollon. Rh. III, 1178 legendum esse quivis cum Passovio ad Musae. p. 48 consentiet) tribus minimum libris constans, unde a scholiasta illo haec referuntur: *ἐν τῷ τρίτῳ τῆς Μουσαίου Τιτανογραφίας λέγεται, ὡς Κάδμος ἐκ τοῦ Δελφικοῦ ἐπορεύετο προκαθηγουμένης αὐτῷ τῆς βοός.* Qua ratione haec de Cadmo narratio Titanomachiae contexta fuerit, sciri non potest, nec lubet hariolari. Ex eodem haud dubie carmine hausta sunt, quae Lactantius memorat, Inst. div. I, 21: „Huius capellae (Amaltheae) corio usum esse pro scuto Iovem contra Titanas dimicantem Musaeus auctor est.“ Contra quae de nutricatione Iovis apud Amaltheam in catasterismis Pseudo-Eratosthenicis c. 13 leguntur: *Μουσαῖος γάρ φησι Δία γεννώμενον [γενόμενον] ἐγχειρισθῆναι ὑπὸ Ῥέας Θέμιδι, Θέμιδα δὲ Ἀμαλθείᾳ δοῦναι τὸ βρέφος, τὴν δέ, ἔχουσαν αἶγα, ὑποθεῖναι, τὴν δὲ ἐκθρέψαι Δία*: quorum gemina refert interpres ad Germanici Aratea p. 53 Buhl., eundem Musaeum auctorem citans: haec ex Theogonia esse statuendum est, quemadmodum etiam in Hesiodi Theogonia de illa Iovis nutricatione narratur. Quamquam apud Hesiodum infans a Rhea non Themidi, sed Telluri traditur, neque Amaltheae eiusque capellae mentio fit. Ceterum quum sint qui Themidem subtiliore quadam ratione eandem atque Tellurem esse velint, hi non dubito quin utriusque poetae narrationem eodem redire autument. Atqui Hesiodo certe has deas diversas visas esse manifestum est: alteram enim alterius filiam facit: Musaeum autem aliter statuisse ista certe narratio probare nullo modo potest.

De Iovis nuptiis vel amoribus ex Musaei Theogonia duae fabulae commemorantur, altera apud schol. Apollon. III, 1039: *Μουσαῖος*

ἱστορεῖ Δία ἐρασθέντα Ἀστερίας μιγῆναι καὶ μιγνύντα [*μιγέντα*] *δοῦναι τῷ Περσεῖ* [f. *Πέρσῃ*], *ἐξ ἧς τεχθῆναι αὐτῷ τὴν Ἑκάτην.* Iovis ex Asteria Hecaten filiam a Musaeo dictam esse idem scholiastes testatur ad III, 467: contra apud Hesiodum nihil illa ad Iovem pertinet, sed generatur a Perse, quem Musaeus ei vitricum dedit. Non 9 obscura autem est commenti ratio. Scilicet conciliari sic posse videbantur duae diversae de Hecates parente traditiones. — Alteram fabulam, de Iovis cum Mnemosyne concubitu Musisque hinc prognatis, idem scholiastes ex Musaeo memorat ad III, 1: *Ἐν τοῖς εἰς Μουσαῖον ἀναφερομένοις δύο ἱστοροῦνται γενέσεις Μουσῶν, πρεσβυτέρων μὲν μετὰ Κρόνου γενομένων, νεωτέρων δὲ τῶν ἐκ Διὸς καὶ Μνημοσύνης.* Atque haec quidem altera Musarum generatio communis Musaeo cum Hesiodo est: superiorem Alcman, Mimnermus aliique tradiderunt[9]), Musas Coelo et Tellure natas esse dicentes. Neque enim dubitari potest, quin *μετὰ Κρόνον γενέσθαι* nihil aliud significet, quam iisdem cum Saturno parentibus, h. e. Coelo et Tellure prognatas esse. — Tertiam fabulam, de partu Minervae, a Musaeo traditam commemorat scholiastes Pindari, Ol. VII, 66 p. 170 Bekh.: *ἐν τοῖς Μουσαίου Παλαμάων λέγεται πλῆξαι τοῦ Διὸς τὴν κεφαλήν, ὅτε τὴν Ἀθηνᾶν ἐγέννα.*

Denique ad Theogoniam pertinere videtur etiam quod Harpocratio memorat, Meliten a Musaeo Dii filiam dictam esse, qui filius fuerit Apollinis. Quae autem praeterea huc trahuntur a Passovio, de stellis cadentibus ex Oceano exortis, in aethere extinctis, apud schol. Apollon. III, 1378, deque arbore *ἀρκεύθῳ*, iunipero, Apollini sacra, apud eundem ad IV, 156, de horum sede nihil certi statui posse apparet.

Longe autem omnium maxime celebrata fuit Orphei Theogonia, cuius quum aliquot partes Hesiodeo carmini persimiles, adeoque nonnulli versus utrique communes essent, in magna ceterorum diversitate, compilasse eam Hesiodus, sed diffinxisse et corrupisse a quibusdam arguebatur[10]). Sed de Orpheo etiam post praeclarum opus Aglaophami perdifficilis est quaestio. Nam licet materiam habeamus insupe-

9) Cf. schol. Pind. Nem. III, 16. Cornut. d. N. D. p. 55. Welcker. ad Alcman. fr. p. 24. Petersen. de Musar. ap. Gr. origine, in Miscell. Hafn. I, 1 p. 91. Eandem Musarum generationem ex Mnasea memorat Arnob. III, 37.

10) Testem huius iudicii Tzetzen habemus ad Lycophr. v. 399: *Ἡσίοδος ἐν τῇ Θεογονίᾳ τὴν Ὀρφέως ὑποκλέψας καὶ παραφθείρας Θεογονίαν.*

rabili diligentia collectam sollerterque dispositam, tamen nec satis fragmentorum de vetusto carmine servatum est, unde totius operis descriptionem certo cognoscere possimus, et de universa ratione cosmogonica et theogonica, quidve significatum sit mira saepenumero fabularum absurditate, si quis a veteribus Orphicae doctrinae testibus et laudatoribus disci posse speret, mox cognitis et comparatis eorum testimoniis et interpretamentis rem ab iis magis obscurari quam illustrari intelliget. Nos autem omnem hanc quaestionem hoc loco tractare nec volumus nec possumus: pauca tantum, quae maxime ad rem pertinent, proponere satis habebimus.

Primum igitur non unam olim Orphicam Theogoniam fuisse constat: et Damascius [11]) quidem tres sibi notas esse ostendit non mediocriter inter se diversas: ex quo numero Theogoniarum fortasse explicandum est, quod etiam tres Orpheos vixisse nonnulli statuerunt [12]), scilicet ut suam cuique Theogoniam adscriberent. Sunt autem, quas Damascius commemorat, haece: Primum ea, quam τὴν συνήθη dicit sive τὴν ἐν ταῖς φερομέναις ῥαψῳδίαις, quo nomine libros quattuor et viginti ἱερῶν λόγων appellari solitos esse e Suida discimus. 10 Ex his rhapsodiis ea omnia sunt, quae passim a recentioribus Platonicis laudantur, qui studiose id agere solent, ut summam placitorum suorum cum fabulosa Orphei sapientia concordiam esse probent. Exordiebatur autem haec Theogonia in exponendis rerum primordiis a Tempore, Chao, Aethere. Ex his duobus conflatam esse ingentis ovi formam: rupto ovo Phanetem prodiisse, qui et Metis et Eros dicebatur, quorum nominum primum illud visibilium specierum auctorem [13]), reliqua duo vim plenam rationis et consilii tendentemque ad generan-

11) De princip. p. 380 sq. Kopp.

12) Hermias, comm. in Plat. Phaedr., in Orphicorum editione Hermanni p. 505.

13) Iamblicho auctore, de myst. Aeg. VIII, 3 Φάνης est ὁ τὴν ἀφανῆ τῶν κεκρυμμένων λόγων δύναμιν εἰς φῶς ἄγων. Procl. in Plat. Timae. p. 309 Schneid.: ὁ Φάνης ἐπιλάμπων τὸ νοητὸν φῶς πάντας ὁρατοὺς ποιεῖ καὶ δεικνυσιν ἐξ ἀφανῶν τὰ πάντα γεννώμενα. Ipsum primum omnium adspectabilem dicit versus Orphicus apud Etym. M. p. 787, 29: τὸν δὴ καλέουσι Φάνητα ἀθάνατοι, ὅτι πρῶτος ἐν αἰθέρι φαντὸς ἔγεντο. Quocum consentiens Lactant. Inst. div. I, 5: quia quum adhuc nihil esset, (adspectabile, puta,) primum ex infinito apparuerit; itemque Argonauticorum scriptor v. 15: ὃν ῥα Φάνητα ὁπλότεροι κλῄζουσι βροτοί· πρῶτος γὰρ ἐφάνθη. Graecum nomen et ex graeco interpretandum esse pro certo habeo, cum Lobeckio Aglaoph. p. 478, quamquam

dum significant, quibus quartum praeterea additur, Erikapaeus, originis et significationis incertae. Phanes mundum condit primigenium, in quo quasi praeformatum erat quidquid postea in hoc, qui nunc est, mundo extitit. Attamen etiam isto mundo primigenio eiusque conditore Phanete dii quidam priores fuerunt [14], supramundani illi et antemundani, omnis initii expertes et ab his mundanis, qui postea demum orti sunt, longe diversi. Huius autem, qui nunc est, mundi creator Iupiter factus est, qui devorato Phanete omnique, quae ab illo orta erat, rerum universitate, rursus omnia ex sese progignit, posteaque regnum mundi suo et Proserpinae filio Zagreo tradit. Hoc aegre ferunt ceteri dii, Iuno maxime, cuius instinctu Titanes Zagreum insidiis captum interficiunt corpusque discerptum devorant, solo corde excepto, quod ad Iovem relatum est. Is corde eo hausto atque sic Zagrei parte principali in semet recepta cum Semele concumbit, filiumque procreat Dionysum, quasi alterum Zagreum, prioris simulacrum Iovisque in mundo gubernando vicarium [15]. Haec fere brevis summa est theogoniae Orphicae eius, quae in rhapsodiis ferebatur, per Platonicos potissimum recentiores ad notitiam nostram perlatae. — Alteram Damascius memorat ab Hieronymo et Hellanico traditam. Haec Aquam, sive Oceanum [16], principium statuebat, terramque ex aqua concretam. 11

aliis aegyptiacam originationem placuisse video, non solum Ath. Kirchern, Oed. Aeg. p. 489 et Cudwortho, system. intell. p. 615, sed etiam, cuius auctoritas magis aliquem commovere possit, Zoegae, Opusc, p. 259. 260. Ex Aegypto, alia tamen quam Zoega ratione, nuper etiam Röthius nomen repetiit, in libro visionum perquam sane doctarum, sed plerumque, ut mihi quidem videtur, falsarum pleno, quem de occidentalis philosophiae historia composuit, p. 65 annot. 111.

14) Damasc. p. 345: *τί δέ; ὁ θεῖος Ὀρφεὺς οὐ πολλοὺς θεοὺς ὑφίστησιν ἀπὸ τοῦ Χρόνου μέχρι τοῦ πρωτογόνου Φάνητος;* Haec sunt *τὰ πρώτιστα καὶ κρύφια τῶν θεῶν γένη*, ut ait Syrianus apud Lobeck. p. 578, *ἐφ' οἷς ὁ πρῶτος ἀναφανεὶς τῶν ὅλων πατὴρ καὶ βασιλεύς, ὃν διὰ τοῦτο Φάνητα προσεῖπον*: dii supramundani mereque intelligibiles, *νοητοί*, quorum ordinem ipse Phanes claudere, alterumque *τῶν νοερῶν* incipere dicitur ab Hermia, cuius verba citavit Zoega, Opusc. p. 226, ubi prudenter de Orphei doctrina disputat.

15) Singularum rerum testimonia citare supervacaneum fuit, quum facile omnia a Lobeckio peti possint p. 517 — 593.

16) Aquam Damascius dicit p. 381 et, qui plane cum hoc consentit, Athenagoras, legat. p. 144 Rechenb.; sed pro aqua in Theogonia ipsa etiam Oceanum dictum esse ex eodem Athenagorae loco colligas, quum versum hunc, qui apud Homerum extat, Il. XIV, 246: *Ὠκεανοῦ, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται*, Orphei esse testetur, sicut etiam Hesiodeos aliquot versus ad Orpheum referri infra vide-

Hinc primus extitit qui Chronus et Hercules dicitur, draconis forma, alatus, cum capitibus tauri et leonis mediaque horum facie divina: eique congenita *Ἀνάγκη* sive *Ἀδράστεια*, h. e. naturae necessitas, masculofoemina, quacum copulatus ille Aethera, Chaos, Erebos procreat, inque his ovum ponit immensae magnitudinis, quo dirupto ex superiore parte coelum ex inferiore terra fit[17]). Phanetem ex ovo prodeuntem haec Hellanici sive Hieronymi traditio non memorat: sed e Coelo et Terra nascuntur primum tres Parcae, Clotho, Lachesis, Atropos, deinde tres Centimani, Cottus, Gyges, Briareus, totidemque Cyclopes, Brontes, Steropes, Arges, quae Centimanorum et Cyclopum nomina et generatio eadem sunt apud Hesiodum. Nec reliqua magnopere diversa fuisse videntur usque ad Zagreum ac Dionysum, quam partem ab hac theogonia afuisse non est veri simile. — De tertia Theogonia, ab Eudemo Peripatetico commemorata, nihil amplius Damascius retulit, nisi pro rerum omnium principio Noctem positam fuisse[18]). Hoc ab aliis traditum non memini, nisi quis forte huc trahat Ioannis Lydi verba, de mensibus p. 19: *τρεῖς πρῶται κατ' Ὀρφέα ἐξεβλάστησαν ἀρχαί, Νὺξ καὶ Γῆ καὶ Οὐρανός*: quamquam huius scriptoris auctoritatem levem esse constat. — Sed quartam quandam Orphicae theogoniae formam, a tribus illis diversam, Apollonius indicat, Argonaut. I v. 496, ubi Orpheus ipse canens inducitur:

ἤειδεν δ' ὡς γαῖα καὶ οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσα,
τὸ πρὶν ἐπ' ἀλλήλοισι μιῇ συναρηρότα μορφῇ,
νείκεος ἐξ ὀλόοιο διέκριθεν ἀμφὶς ἕκαστα,
ἠδ' ὡς ἔμπεδον αἰὲν ἐν αἰθέρι τέκμαρ ἔχουσιν
ἄστρα σεληναίη τε καὶ ἠελίοιο κέλευθα,

---

bimus. Scilicet Homerus et Hesiodus non pauca ab Orpheo mutuati esse videbantur.

17) Haec de ovo dirupto, et quae sequuntur de coelo terraque horumque subole, Damascius praetermisit, in solis primis principiis occupatus: referuntur autem ab Athenagora. Ne quis autem miretur terram in primis principiis numeratam, et tamen postea etiam ex ovo natam, tenendum erit priorem illam nihil nisi materiam informem fuisse, *ὕλην*, *ἐξ ἧς ἐπάγη ἡ γῆ*, ut est ap. Damascium; *ἰλύν* Athenagoras dicit.

18) Non inepte id a Iablonskio, Panth. Aeg. I p. 16, comparatur cum Phoenicum cosmogonia ab Eusebio Praep. euang. I c. 10 relata, quae ex Colpia s. spiritu et Baau s. Nocte rerum omnium originem repetebat. Talem comparationem etiam Eudemus instituisse videtur, ex cuius libro haud dubie ea omnia ducta sunt, quae

οὔρεα δ' ὡς ἀνέτειλε, καὶ ὡς ποταμοὶ κελάδοντες
αὐτῇσιν Νύμφῃσι καὶ ἑρπετὰ πάντα γένοντο·
ἤειδεν δ' ὡς πρῶτον Ὀφίων τ' Εὐρυνόμη τε
Ὠκεανὶς νιφόεντος ἔχον κράτος Οὐλύμποιο,
ὡς δὲ βίῃ καὶ χερσὶν ὁ μὲν Κρόνῳ εἴκαθε τιμῆς,
ἡ δὲ Ῥέῃ, ἔπεσον δ' ἐνὶ κύμασιν Ὠκεανοῖο· 12
οἱ δὲ τέως μακάρεσσι θεοῖς Τιτῆσιν ἄνασσον,
ὄφρα Ζεὺς ἔτι κοῦρος, ἔτι φρεσὶ νήπια εἰδώς,
Δικταῖον ναίεσκεν ὑπὸ σπέος, οἱ δέ μιν οὔπω
γηγενέες Κύκλωπες ἐκαρτύναντο κεραυνῷ,
βροντῇ τε στεροπῇ τε· τὰ γὰρ Διὶ κῦδος ὀπάζει.

Hic igitur principio rudem indigestamque molem fuisse dicit, quae nec terra nec aqua neque aer neque ignis esset, sed horum omnium elementa in se haberet, donec ea *νεῖκος* discriminavit, quemadmodum *ἔρις* in Lini cosmogonia, de qua paullo ante dictum est, ipsumque illud *νεῖκος* apud Empedoclem. Prodiisse autem mundus, quantum quidem ex Apollonii versibus coniici potest, hoc ordine videtur, ut primum coelum emergeret cum ignibus coelestibus, subsideret porro ex humore terra, surgerent montes, colligerentur aquae, rivique et mare complerentur. Primi autem recentis mundi moderatores Ophion et Eurynome fiunt, uterque, ut arbitror, originem e mari habentes, quamquam Eurynome tantum diserte Oceani filia dicitur; significabatur autem horum imperio, aquas latissime olim dominatas esse maximamque terrarum partem opplevisse. Hos Saturnus et Rhea imperio pellunt et in mare, unde orti erant, recedere cogunt: ipsi deinde cum Titanibus mundo praesunt, donec Iupiter imperio potitus est, quemadmodum etiam in vulgari et Hesiodea theogonia fieri videmus. Sed superiora illa, de discriminatis per contentionem rerum elementis deque Ophionis et Eurynomes imperio a nullo alio ad Orpheum referri memini, quamvis ipsa haec nomina, ut deorum antiquissimorum, ante Saturnum et Rheam imperantium, etiam alibi nonnunquam commemorentur[19]).

Damascius de ceteris tam Graecorum quam barbarorum opinionibus cosmogonicis refert p. 383—385. Proposuisse autem illa Eudemum in Astrologumenis suspicatur Wyttenbach. Bibl. crit. II, 2 p. 39. Plura de Eudemo vid. ap. Ionsium script. hist. phil. I, 15 et Fritsch. ad Aristot. ethic. Eud. praef. p. XV et XXIII.

19) Nonn. Dion. XII, 32. XLI, 352. Schol. Ven. ad Il. VIII, 479. Schol. ad Aesch. Prom. 955. ad Aristoph. Nub. 248. Tzetz. ad Lycophr. 1119. Mythogr. Rom. I,

Ceterorum, qui de Orphei theogonia dixerunt, testimonia singulatim persequi longum est neque necessarium. Sunt autem, quae traduntur, omnia eiusmodi, quae aut ex illa, quam Damascius vulgarem dixit, aut ex altera Hieronymica hausta videri possint, modo reputemus, veteres scriptores in referendis aliorum dictis non summa omnes diligentia agere, multaque ex memoria potius, saepe infida, quam ex ipsis libris promere, nec raro etiam consulto adulterare[20]). Illae autem duae, quamvis et in principio et in aliis quibusdam partibus non mediocriter discrepantes, plurima tamen aut similia aut prorsus etiam communia habuisse videntur, adeo ut non tam duo carmina diversa, quam diversae unius carminis recensiones dici potuerint. Nam intererat inter utramque, praeter principiorum diversitatem, hoc unum maxime, quod Phanetem, mundi primigenii creatorem posteaque ab Iove absorptum, haec Hieronymica, Chronum contra sive Herculem, Ἀνάγκης consortem, aetheris, chaus, erebi ovique mundani genitorem illa altera ignorabat. Quodsi de utriusque formae antiquitate quaeritur, testes certe illius vulgaris aliquanto recentiores esse reperimus. Nam Phanetis ne nomen quidem a quoquam veterum scriptorum commemoratum est ante Diodorum qui lib. I. c. 11 Solem, quem Aegyptii Osiridis nomine adorent, ab Orpheo Phanetem et Dionysum dictum esse testatur, hoc versu allato:

Τοὔνεκά μιν καλέουσι Φάνητά τε καὶ Διόνυσον.

---

204. Limburg-Brouwer Hist. de la civilis. mor. et relig. des Gr. II p. 164. V p. 134. cf. dissert. nostr. de Oceanid. et Ner. catal. Hes. p. 14. — De Ophioneo, quem Pherecydes induxit, a Saturno debellato, cf. Sturz. Pherecyd. p. 51 sqq. Preller. in Museo Rhen. ann. 1846. IV p. 377 sqq. et Schneidewin. Philolog. III, 2 p. 252.

20) Christianos imprimis scriptores Graecorum fabulas, impias scilicet aut aniles, non admodum religiose referre solitos esse, neminem fugit: ita in Orphicis Clemens Rom. Recogn. X p. 792 ed. Cotel. (patr. apost. tom. I) non accuratior fuisse censendus est, quam in Hesiodeis, quae ibid. p. 595 referuntur; Timotheum autem, quo auctore Io. Malalas Chron. IV p. 74—76 ed. Bonn. et Cedrenus p. 101 de Orpheo referunt, Orphicas fabulas in quandam Christianorum dogmatum similitudinem diffinxisse manifestum est, notatumque ab Eschenbachio in Epigene p. 90 et Moshemio ad Cudworth. system. intell. p. 347 not. 36. Ex Timotheo etiam Suidam sua hausisse crediderim. Quae Athenagoras refert, horum pars ad Hieronymicam, pars autem, de Phanete p. 162 Rechenb., ad vulgarem theogoniam pertinet. Eandem sequitur Argonauticorum poeta v. 12 sqq. ubi pro *Κρόνον* v. 13 *Χρόνον* rescribendum, v. 15 autem restituenda est omnium codicum lectio *πατέρα*, ab Hermanno temere in *υἷα* mutata. Cf. Lobeck. p. 482 et 493.

Sed diversum hunc esse ab illo mundi creatore manifestum est. Solem illo nomine appellatum esse etiam hi versus demonstrant, a Theone Smyrnaeo citati in libro de Platonis Mathem. c. 47: *ἔνιοί φασιν ὀκτὼ τοὺς πάντων κρατοῦντας εἶναι θεούς, ὡς καὶ ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς ἐστὶν εὑρεῖν·*

Ναὶ μὴν ἀθανάτων γεννήτορας αἰὲν ἐόντας,
πῦρ καὶ ὕδωρ γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἠδὲ σελήνην,
ἠέλιόν τε Φάνητα μέγαν καὶ νύκτα μέλαιναν.

Nam pro solis cognomento *Φάνητα* ut accipiamus, grammatica ratio poscit[21]), licet ipse Theo aliter accepisse videatur, quum octo numina memorari dicat; nisi forte unum versiculum cum octavi commemoratione excidisse dicamus. Eadem autem de octo numinibus doctrina, licet nonnihil immutata, est etiam in his versibus apud Eusebium Praep. euang. III, 9:

πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ γαῖα καὶ αἰθὴρ νύξ τε καὶ ἦμαρ
καὶ Μῆτις πρῶτος γενέτωρ καὶ Ἔρως πολυτέρπης,

videturque, qui in superioribus illis *ἠέλιος*, in his *ἦμαρ*, qui *Φάνης*, in his *Μῆτις* esse: sed ne sic quidem inter se consentiunt: deest enim in his *οὐρανός*, in illis autem *Ἔρως*, quem quidem iuxta Metin, tanquam alium, nominari mireris, quum in theogonia eundem et Metin et Amorem et Phanetem dictum esse constet. Utut est, hoc quidem apertum est neutrum locum ex theogonia esse, sed ex aliis quibusdam Orphicorum carminibus, qualia multa olim fuisse doctrina haudquaquam una et consentiente, nemo ignorat. De theogonico autem illo Phanete non antiquiores testes sunt quam aut christiani scriptores, Athenagoras et Clemens uterque h. e. Alexandrinus et personatus alter 14
Romanus, aut Platonici recentiores, Hermias, Proclus, Damascius aliique, qui soli de eius cataposi disertum testimonium dicunt: ut non immerito hanc totam partem theogoniae antiquioribus ignotam et recentius demum a Platonicis insertam suspiceris[22]), scilicet ut suae de mundo intelligibili ante materialem doctrinae vetustissimus poeta quasi

21) Non obstare significationem, si a *φαίνω* vocabulum deducatur, in aperto est: neque mirum, idem cognomen et Soli et illi rerum adspectabilium primo creatori imponi. Etiam *Φαέθων* Phanes pariter cum sole dictus est. Lactant. Inst. div. I, 5.

22) Suspicatur hoc etiam Zoega, Opusc. p. 215 sqq., qui unus ante Lobeckium cum sano ac sobrio iudicio haec Orphica tractasse dicendus est.

praelusisse videretur. Et sunt profecto in iis, quae de Phanete dicuntur, nonnulla, quorum probabilis interpretatio vix inveniri possit, nisi doctrina illa adhibita. Fabularum autem involucra, quibus haec vestiverunt, mutuati ex parte saltem esse videntur e barbarorum, Aegyptiorum praecipue, mythologia, quo factum, ut Phaneti suo etiam nomen imponerent, incertae quidem, sed barbarae tamen haud dubie originis, Erikapaeum[23]). — Reliqua, h. e. partem Theogoniae longe maximam non equidem intercedo, quominus ad Onomacriti aetatem referamus, qua, ut Lobeckii verbis utar[24]), et veterum poetarum scripta studiose conquisita et mysticarum religionum lenocinia cupide appetita sunt, quo facilius et componi tale carmen ab aliquo impostore, et arripi a credulis potuit. Pertinebat autem haec theogonia praecipue ad celebrandam Zagrei Dionysique maiestatem, cuius religioni Orphicos maxime deditos fuisse constat, eamque magnam cum Osiriacis Aegyptiorum sacris similitudinem habuisse Herodotus auctor est[25]); neque quemquam fugit, illa de discerpto Zagreo fabula quam gemina sit eius, quam de Osiride suo item discerpto Aegyptii ferebant. — Haec igitur, sicut cetera pleraque, duabus illis theogoniae formis, illi, quam vulgarem Damascius dicit, alterique, cuius Hieronymum testem citat, communia fuisse non dubito: videtur autem hanc Hieronymicam recentior illa plane obscurasse, solaque haud dubie lecta est a Damascio, qui de altera ex Hieronymi tantum aliquo libro retulit. Hunc autem Rhodium illum esse credo, Peripateticum, Aristoxeni auditorem, scriptorem *πολυγραφώτατον*, quem non modo de poetis deque fabulosa historia, sed etiam de philosophis eorumque placitis libros scripsisse accepimus[26]), in quorum uno brevis quaedam Orphicae theogoniae expositio locum commode habere potuit. Videtur autem Hieronymus ipse in referendis Orphei placitis Hellanicum auctorem laudasse, id quod e Damascii verbis coniicias: *ἡ δὲ κατὰ τὸν Ἱερώνυμον φερομένη καὶ Ἑλλάνικον, εἴπερ μὴ καὶ ὁ αὐτός ἐστι*, quae suspicionem quan-

23) Vid. Lobeck. p. 479 not. m. et Creuzer. Symbol. III p. 296 ed. 2., quibus addi potest Höthius, Hist. philos. occid nott. p. 67.

24) Aglaoph. p. 611. Cf. Zoega p. 243.

25) Lib. II cap. 49 coll. 42.

26) Vid. quae de Hieronymo diligentissime disseruit Io. Luzac. Lectt. Attic. p. 198 sqq. — Minus probabilis est Sturzii sententia, ad Hellan. fragm. p. 106, Aegyptium quendam Hieronymum intelligendum esse, quem Iosephus Ant. Iud. I, 4 Phoenicica scripsisse memorat.

dam Damascii produnt, quasi Hellanicus ille reapse non alius sit, quam ipse Hieronymus, Hellanici auctoritatem simulans [27]).

Ceterum quamvis diversa ab Hesiodi theogonia haec Orphica fuerit, nihilo minus tamen plurimas deorum fabulas aut eodem prorsus aut simili atque Hesiodus modo narrabat, adeoque nonnunquam ipsos etiam versus Hesiodeos usurpabat: velut de tribus, quos ex Orpheo Proclus citat ad Plat. Timae. p. 235 Schneid. 15

οἳ Ζηνὶ βροντήν τ' ἔπορον τεῦξάν τε κεραυνόν,
πρῶτοι τεκτονόχειρες, οἳ Ἥφαιστον καὶ Ἀθήνην
δαίδαλα πάντ' ἐδίδαξαν ὅσ' οὐρανὸς ἐντὸς ἐέργει,

primus apud Hesiodum legitur, v. 141, totidem verbis, nisi quod pro *ἔπορον* *ἔδοσαν* scriptum est [28]). Item qui ex Orpheo apud eundem Proclum ad Timae. p. 123 citantur,

Ἄτλας δ' οὐρανὸν εὐρὺν ἔχει κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης
πείρασιν ἐν γαίης,

plane iidem apud Hesiodum sunt v. 517. 18. — Communia porro utrique sunt Centimanorum et Cyclopum nomina ortusque ex Coelo et Terra: proprium autem Orpheo, quod iisdem parentibus Parcae procreantur [29]) quae apud Hesiodum aut Noctis aut Iovis ex Themide filiae sunt. Differt etiam ipsius Terrae Coelique procreatio: nam quum apud Hesiodum e Chao aut post Chaos Terra prodeat, ac dein ex semet ipsa Coelum pariat, Orphicae theogoniae altera forma Phanetem ove exclusum Coeli Terraeque ex Nocte genitorem fecit [30]), altera autem ovum ab Hercule procreatum, eoque rupto ex superiore parte Coelum ex inferiore Terram factam esse dixit [31]). Rursus conspirat quidem Orphica theogonia cum Hesiodo in eo, quod Titanes inducit,

27) Hoc si vere coniecei, Hellanicum veterem illum Lesbium intelligendum esse dicemus, non iuniorem grammaticum, de quo vid. Wolf. prolegg. p. CXCIII. Tertium quendam Sturzius ponit, Hellan. p. 253. Sandonis philosophi, Hellanici f., libros de Orpheo memorat Suidas s. v. *Σάνδων:* sed Hellanicus ille quis fuerit, non indicavit.

28) Goettlingius hunc versum subditicium videri ait, sed rationem iudicii sui nullam affert. Quodsi offendit eum narrationis tenor anticipatione rei multo posterius gestae interruptus, talis anticipatio in Theogonia non infrequens est. Cf. v. 278. 289. 314. 390. 412.

29) Testis est Athenagoras p. 146 Rech. cf. Lobeck. Agl. p. 504.

30) Lobeck. p. 503 §. 10.

31) Athenag. p. 146.

Coeli Terraeque progeniem; sed discrepat primum de numero: nam quum apud Hesiodum sex mares sint totidemque feminae, apud Orpheum utriusque sexus duo adduntur, Phorcys et Dione[32]), quorum ille apud Hesiodum Ponti et Terrae filius est, haec Oceani filia ex Tethye. Deinde apud Hesiodum non liquet, utrum Cyclopes tantum et Centimani, an Titanes quoque a Coelo Terrae visceribus reconditi esse dicantur[33]): apud Orpheum contra manifestum est, solos illos priores in Tartarum a patre deiectos esse, quorum ulciscendorum causa mox Terra, clam Coelo, quamvis conceptos ex eo, Titanes edit[34]). Hi
16 quum provocentur a matre ad facinus contra Coelum patrandum, apud Hesiodum, stupentibus ceteris, Saturnus statim rem suscipit, perficitque fratribus haud dubie consentientibus: apud Orpheum unus Oceanus impietatem abhorret, princeps autem rei gerendae etiam apud hunc Saturnus est[35]). Maledicta deinde Coeli contra filios futuraeque poenae denuntiatio eadem fere sunt apud utrumque: etiam Gigantes e castrati Coeli sanguine natos Orpheus pariter cum Hesiodo cecinisse videtur[36]): de nymphis Meliis, quarum eadem apud hunc origo est, ex Orphicis nihil memoratum invenio: denique Furiis non hanc, ut apud Hesiodum, originem, sed matrem Proserpinam patrem Plutonem ab Orpheo datos esse accepimus[37]). — Iam ut apud Hesiodum, sic apud Orpheum connubia Titanum et suboles referebantur, initio facto ab Oceano et Tethye[38]), quorum etiam apud Hesiodum primae sunt nuptiae, enumerata tamen ante eos Ponti et Terrae subole, cuius item apud Orpheum mentionem factam esse legimus, quamquam liberos iis non eosdem omnes quos Hesiodus tribuit. — De ceterorum Titanum nuptiis quid Orpheus cecinerit, non constat, praeterquam de Saturno et Rhea; de his autem dubitari vix potest, quin summa certe rerum

32) Vid. Procl. in Plat. Timae. p. 323 et 716. 717 (Lobeck. p. 505), ubi ipsi versus theogoniae adscripti sunt.

33) Cf. Dissert. de Titanibus Hes. p. 6—8.

34) Athenag. p. 146. 148. Clam Coelo hunc partum fuisse ait Proclus p. 716.

35) Procl. l. l. p. 717. 718.

36) Etymol. M. p. 231, 22. Lobeck. p. 508.

37) Procl. ad Plat. Crat. p. 100. Lobeck. p. 517.

38) Procl. l. l. p. 402 B. Lobeck. p. 508. Oceani nomen in Hieronymica theogonia duobus modis dictum esse apparet, primum ut aquam significaret illam primitivam, unde rerum omnium origo repetebatur, deinde Terrae Coelique filium, Titanem, flumine Terram cingentem.

eadem fere apud utrumque poetam fuerit, quamquam plenius pleraque apud Orpheum exposita, velut de Iovis nutricatione per nymphas, deque apposita Curetum et Corybantum custodia[39]), quae Hesiodus ignorat, additaque etiam nonnulla ab huius narratione diversa, velut quod castratus, quemadmodum a Saturno Coelus, sic a Iove Saturnus esse dicebatur. — Memoratur porro apud Hesiodum Iovis cum Titanibus eorumque filiis contentio, cuius ab Orpheo non videtur mentio facta esse: nam versus de Atlante, quem communem Orphicae Theogoniae cum Hesiodea fuisse supra vidimus, ad poenam pertinet Titanibus propter interemptum Zagreum impositam[40]). Devictis autem Titanibus acceptoque mundi imperio Iupiter apud Hesiodum Metin uxorem ducit, sed eam gravidam factam, ne filium pariat ipso fortiorem futurum, imbibit totamque in semet recipit, ac deinde Minervam, quam illa conceperat, ipse ex suo capite in lucem edit. Hanc vero fabulam Orphica theogonia illa, quam Platonici celebrant, mutavit cum altera de cataposi Phanetis, cui quidem et cognomentum Metidis et muliebris sexus cum masculo coniunctus tribuitur. Iupiter igitur novam mundi creationem moliens, adhibitis in consilium Nocte et Saturno, Phanete potitur, ipsumque omnemque qui ab eo creatus fuerat mundum primigenium ingenti haustu absumit et in suo corpore condit, unde mox omnia rursus in lucem edit, atque sic huius, qui nunc est, mundi creator vereque pater fit ἀνδρῶν τε θεῶν τε, quo nomine, si vulgares poetarum fabulas audimus, improprie tantum appellari potuit[41]). Itaque traditam vulgo regnorum successionem, quum post Saturnum 17
Iupiter imperium nactus et cum Metide h. e. cum Sapientia coniunctus novi rerum status auctor fuisse dicitur, hanc Orphici illi sic correxerunt, ut simul binae mundi creationes, primigenii illius, quem intelligibilem esse volebant, et huius adspectabilis, simul etiam pantheisticus rerum omnium in Iove complexus ab Orpheo significari viderentur.

De ceteris Iovis coniugiis, quae ab Hesiodo percensentur, in Orphica Theogonia haec memorata esse invenimus. Primum cum Cerere, ex qua Proserpinam gignit, quemadmodum etiam Hesiodus narrat. Differt tamen hoc, quod Cererem Orphici eandem cum Rhea esse au-

39) Vid. locc. ap. Lobeck. p. 514 sqq.

40) Procl. in Timae. p. 123. Lobeck. p. 564.

41) Veram huius impropriae appellationis sententiam bene indicavit Aristoteles Polit. I, 12. Cf. Lactant. I. D. IV 3. Spanhem. ad Callim. h. in Iov. v. 94.

tumant, h. e. quae Rhea fuerit, eandem, post Iovis partum, Cererem factam esse[42]). Porro Themidem quoque Iovis coniugem dictam esse, eiusque Horas filias, ex quodam Procli testimonio, quamvis non satis diserto, coniici potest[43]). Disertius testimonium est de Latona, cuius filius Apollo, filia autem Hecate esse dicitur, non diversa illa a Diana et Proserpina[44]). Quod quum Proserpinae etiam Ceres mater dicta sit, quam eandem cum Rhea habitam esse vidimus, consequitur, Rheam, Cererem, Latonam trinas esse quasi personas numinis unius. Similiter de Proserpina, Hecate, Diana statuendum est: nam has quoque, quamvis distinguantur, tamen etiam pro una habitas esse constat. Patet autem haec ratio etiam longius. Nempe Orphici divinam naturam haudquaquam paribus atque humanam legibus adstrictam finibusque circumscriptam esse volebant, sed esse unius naturae formas multiplices, pluresque unius numinis personas, quarum quum sua quaeque munia suasque actiones haberet, esset tamen omnium in multitudine etiam unitas: cuiusmodi mysteria non ab Orphicis solum tradi quis nescit? — Coniux autem Iovi etiam Dione data est, una ex Titanidibus, unde Venerem suscepit, quemadmodum est apud Homerum. Sed etiam cum Hesiodo Orphici consenserunt, Venerem iam antea natam fuisse statuentes ex Coeli castrati semine in mare effuso: atque ad aliquam huius generationis similitudinem etiam alteram illam, cuius Dione consors fuit, composuerunt: hanc enim amplexurus Iupiter semen in mare effundit[45]). Minervam autem ille itidem ut apud Hesiodum ex capite suo edidit[46]): de matre, Metide, ante partum absorpta nihil ex Orphicis memoratur: nihil tamen obstare arbitror, quominus hanc quoque fabulam receptam esse credamus etiam in illa Theogoniae forma, quae Phanetis, qui et ipse Metis erat, cataposin proposuerat: potuit enim vel sic etiam iunior quaedam Metis induci, et a Iove facilius etiam quam alter ille absorberi[47]). — Ex Iovis filiabus, praeter

42) Procl. in Crat. p. 85 et 96. Lobeck. p. 537.

43) Procl. in Timae. p. 285. Lobeck. p. 539.

44) Procl. in Timae. p. 479. — Id. in Crat. p. 112. Lobeck. p. 543 sqq.

45) Procl. in Crat. p. 116. Lobeck. p. 542.

46) Procl. in Timae. p. 118. Lobeck. p. 440.

47) Ex Procli verbis p. 120 colligi potest, ut aliorum, ita Metidis numen in plures personas dispertitum fuisse: unam, illam primigeniam, alteram ex Iove recreatam; utramque ut nomine ita natura unam eandemque habitam. Sic enim

Minervam, una maxime insignis est Proserpina, quam eandem et Hecaten et Dianam dictam esse memoravimus. Haec ex Apolline novem Musas parit[48]), quarum apud Hesiodum longe diversa origo est: eadem a Plutone rapitur ex eoque, ut videtur, Furiarum mater fit[49]), quorum illud etiam Hesiodus narrat, alterum Orphicis proprium est: eadem denique a Iove compressa Zagreum edit, qui quum a Titanibus interfectus esset, Iupiter, corde filii devorato, mox Dionysum, tanquam alterum Zagreum, procreat[50]), in cuius maiestate praedicanda Theogonia desiisse videtur. 18

Tantum de Orpheo: restant duo, quorum carmina cosmogonica aut theogonica fuisse dicuntur, alter, ultimae et ipse antiquitatis, Palaephatus Atheniensis, de quo Suidas haec memorat: *Παλαίφατος Ἀθήνησιν ἐποποιός, υἱὸς Ἀκταίου καὶ Βοιοῦς, οἱ δὲ Ἰοκλέους* (f. *Διοκλέους*) *καὶ Μετανείρας, οἱ δὲ Ἑρμοῦ· γέγονε δὲ κατά τινας μετὰ Φημονόην, κατὰ δ' ἄλλους καὶ πρὸ αὐτῆς· ἔγραψε κοσμοποιίαν εἰς ἔπη ε', Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος γονὰς, ἔπη γ', Ἀφροδίτης καὶ Ἔρωτος φωνὰς καὶ λόγους, ἔπη ε', Ἀθηνᾶς ἔριν καὶ Ποσειδῶνος, ἔπη δ', Λητοῦς πλόκαμον*: alter aliquanto recentior, nec tamen multo minus fabulosus, Epimenides Cretensis, cuius Theogoniam fuisse legimus versuum haud minus quinque milium. Is principia statuisse dicitur Aerem et Noctem, ex quibus Tartarum ortum: his tribus inter se mixtis ovum extitisse, ex eoque aliam deinceps rerum generationem exortam. Haec quidem Damascius refert p. 383: Ioannes autem Lydus, de mensib. IV, 13, Aeonem ab Epimenide inductum esse ait et Naturam; illum marem, hanc feminam; hosque Dioscuros appellatos esse: quod quam rationem habuerit quove modo haec principia cum illis superioribus coniuncta fuerint, perspici iam non potest. — Commemorabatur porro Oceanus eiusque filia Styx, Piranti nescio cui copulata, ex eoque mater facta Echidnae, quae apud Hesiodum Phorci et Cetus filia est, dum Styx, Oceani etiam hic filia, ex Pallante *Βίαν, Κράτος, Ζῆλον, Νίκην* h. e. Vim, Robur, Contentionem, Victoriam peperisse dicitur. —

ille: *Καὶ Μῆτις πρῶτος γενέτωρ καὶ Ἔρως πολυτερπής. καὶ ὡς μὲν Μῆτις τίκτει τὴν Ἀθηνᾶν, ὡς δὲ Ἔρως ἀπογεννᾷ τὴν ἐρωτικὴν σειράν.*

48) Procl. in Crat. p. 102. Lobeck. p. 544.

49) Lobeck. p. 546. 7.

50) Lobeck. p. 547—568.

De Saturno eiusque ex Euonyme filiabus, Venere, Parcis et Furiis ipsos versus Epimenideos servatos habemus [51]):

Γήματο δ' Εὐωνύμην [52]) *θαλερὴν Κρόνος ἀγκυλομήτης,*
ἐκ τοῦ καλλίκομος γένετο χρυσέη Ἀφροδίτη,
Μοῖραί τ' ἀθάνατοι καὶ Ἐρίνυες αἰολόδωροι. [52b])

Porro Nemeum leonem, cui Hesiodus Echidnam Orthumque canem parentes dat, Epimenides luna ortum ex eaque delapsum esse cecinit his versibus [53]), quibus nescio quis loquens inducitur:

19 *καὶ γὰρ ἐγὼ γένος εἰμὶ Σελήνης ἠϋκόμοιο,*
ἣ δεινὸν φρίξασ' ἀπεσείσατο θῆρα λέοντα
ἐν Νεμέᾳ, ἀγαγοῦσ' αὐτὸν διὰ πότνιαν Ἥραν.

Denique afferuntur ex Epimenide testimonia de Rhodo nympha, Oceani filia [54]), de Pane et Arcade, Iovis et Callistus filiis [55]), de Endymione deorum convictore Iunonisque amatore, somnum perpetuum sibi exoptante [56]), de Aeete Corinthi ex Ephyra nato [57]), de quinque Phrixi filiis, Preshone, Argo, Phrontide, Melane, Cytisoro [58]), de interfectis ab Oenomao procis Hippodamiae [59]), de Laii uxore Euryclea [60]), Oe-

51) Apud. schol. ad. Soph. Oed. Col. v. 42 et Tzetz. ad Lycophr. v. 406.

52) Hoc nomen vix dubitari potest, quin corruptum sit: probabiliusne *Εὐρυνόμην* an *Εὐναμίην* esse dicam, non liquet. Cf. ad Aesch. Eumen. p. 60.

52b) Vossius, epist. myth. II p. 286 ed. 1. huc pertinere credit, quod Pausanias I, 19, 2 refert de Venere Urania, quam inscriptio testaretur *τῶν καλουμένων Μοιρῶν εἶναι πρεσβυτάτην.* Idem ib. p. 15 ex Epimenidis theogonia fluxisse credit, quam Aristophanes in Avibus de rerum origine ludit.

53) Apud Aelian. hist. anim. XII, 7. De leone e luna delapso plurimorum testimonia collegerunt Gesner. ad Claudian. p. 719 et 395, Meineke Exerc. ad Athen. I p. 8 et Analect. Alex. p. 85. Vetustior fabula, nisi fallor, alumnum tantum deae Lunae leonem fecerat: lapsus autem ille fingi non potuit ante quam luna terrae similis esse et animalibus inhabitari credita est, quae opinio inde a Thalete nonnullis, maxime Pythagoreis, placuit, plerisque tamen longe aliter statuentibus. Profitentur autem eam etiam Orphici, apud Lobeck. p. 499. Conf. de ceteris Plut. plac. phil. II, 30. Stobae. ecl. phys. I, 27 p. 550 et quae citavit Forbiger geogr. ant. I p. 503 sqq.

54) Schol. Pind. Ol. VII, 24.

55) Schol. Theocrit. I, 3.

56) Schol. Apoll. Rh. IV, 57.

57) Id. ad III, 242.

58) Id. ad II, 1123.

59) Schol. Pind. Ol. I, 127.

60) Schol. Eurip. Phoen. 13.

dipi matre: quae tamen omnia non ad huius Cretensis Theogoniam, sed ad eius cognomines, aut genealogum aut alterum, qui de Rhodo dorice scripsit, pertinere videntur[61]).

Haec sunt fere, quae de carminibus theogonicis memoriae prodita habemus: nam cyclicam Theogoniam, quam nonnulli fuisse crediderunt, reapse nullam fuisse plerique nunc consentiunt, et Cinaethonis genealogicum quidem carmen, non autem, ut Heerenius voluit, Theogonia fuisse videtur. Ferebantur autem Theogoniae etiam pedestri sermone scriptae, Abaridis et Aristeae[62]), de quibus nihil praeter nomen nobis innotuit. Obscurior etiam est Dromocridae aut Democriti memoria, apud Fulgentium, myth. II, 17, ubi eius Theogonia citatur, et Mythographum Romanum II, 107. De Pherecydis autem opere theologico, cui non inepte etiam Theogoniae nomen imponi potuit, et quod Aristoteles quasi medium inter poesin et philosophiam fuisse ait[63]), dicere nunc non placet, quum praesertim, quidquid dici a me potuerit, subtilissima Prelleri dissertatione[64]) aut occupatum aut superatum esse videam. Sed adiiciam perpauca de iis carminibus, quae erant de deorum cum Titanibus certamine, quod argumentum quantopere cum Theogonia coniunctum fuerit, res ipsa et Hesiodei carminis comparatio ostendit. Ac de Musaei quidem et Thamyrae Titanomachiis iam supra dictum est. De Eumeli aut Arctini Titanomachia quidquid compertum est, commemorarunt qui de cyclo epico disputarunt, quae compilare nihil opus est. Non improbabiliter huc refertur, quod ex Titanomachia, sed sine auctoris nomine, memoratur in Crameri Anecdotis, I p. 75: *Αἰθέρος υἱὸς ὁ Οὐρανός, ὡς ὁ τὴν Τιτανομαχίαν γράψας.* Aetheris et Diei filius Coelus est etiam apud Hyginum pr. p. 2 Munck.: iisdem parentibus in Hesiodeo quodam carmine *Βροτός* natus esse dicebatur, humani generis, ut videtur, primigenius[65]), fueruntque etiam qui Iovi Aethera patrem darent[66]). A multis autem Aether et Uranus promiscue dicuntur. — Ex eodem Eumeli sive Arctini carmine etiam hi versus

61) Diog. Laert. I, 119. Cf. Boeckh. ad Pindar. explic. p. 169.

62) Vid. Suidas in *Ἄβαρις* et *Ἀριστέας*.

63) Metaphys. XIV, 4.

64) In Museo Rhenano ann. 1845. III p. 377.

65) Etymol. M. p. 215, 37.

66) Vid. Cicero de N. D. III, 21 ibiq. Davis. et Creuz.

esse videntur, quos ex Titanomachia, sine auctoris nomine, Clemens Alexandrinus affert, Strom. I p. 361, de Chirone:

εἰς δὲ δικαιοσύνην θνητῶν γένος ἤγαγε, δείξας
ὅρκον καὶ θυσίας ἱλαρὰς καὶ σχήματ' Ὀλύμπου.

unde probabile fit, etiam apud scholiastam Apollonii, I, 554, ubi de Chironis natalibus citatur ὁ τὴν Γιγαντομαχίαν ποιήσας, scribenbendum esse ὁ τὴν Τιτανομαχίαν ποιήσας[67]). — Citatur item Titanomachia simpliciter in schol. Venet. ad Il. XXIII, 295, de quattuor Solis equis, duobus maribus totidemque feminis, idque ipsum paullo plenius, commemoratis etiam equorum nominibus, ex Eumelo narrat Hyginus fab. 183, quod non video cur Marckscheffelius p. 397 ad Corinthiaca quam ad Titanomachiam referre maluerit.

Finem faciam in obscurissima unius poetae memoria, cuius aut Titanomachiam aut fortasse Gigantomachiam fuisse tabula Borgiana docet, ab Heerenio in Bibliotheca antiqu. litt. et art. fasc. IV publicata. Leguntur enim ibi haec: — — μαχίας οὐχ ἣν Τέλεσις ὁ Μηθυμναῖος. — Heerenius, insolentiore nominis forma offensus, Telesten verius esse arbitratur. Atqui Telesis ex Telesia decurtatum est, ut e Sosia Sosis, e Nicia Nicis, e Lysia Lysis, ex Eryxia Eryxis, aliaque eius generis multa, de quibus vid. quae diximus in comm. ad Isaeum p. 274. Cf. C. Keil. specim. onomatol. p. 79. Ahrens de dial. dor. p. 233. 570. Franz. Elem. epigr. gr. p. 248.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. V. Id. Iul. MDCCCXLIX.

67) Cf. Marckscheffel. Hesiodi, Eumeli etc. fragmm. p. 72.

COMPARATIO THEOGONIAE HESIODEAE CUM HOMERICA.

Recentissimus theogoniae Hesiodeae interpres, D. J. Lennepius, 3
in praefatione editionis suae p. XI profitetur, sese impulsum maxime loco Herodoteo, II, 53, ubi Homerus et Hesiodus theogoniam Graecis condidisse diisque nomina imposuisse, honoresque et munia attribuisse formasque designasse dicuntur, animum adiecisse his poetis inter se conferendis, ut accurate notaret, quae de ortibus deorum, eorumque natura ac specie ab iis proderentur: qua instituta collatione quum viderit illos in nonnullis consentire, in aliis diversos abire, nec raro factam ab uno vel dei vel alicuius mythicae personae aut historiae mentionem apud alterum frustra quaeri, consequens fuisse ut crederet, ea, in quibus consentirent, fuisse tum pridem iam opinione Graecorum recepta, nondum vero ea, in quibus dissentirent, ut potuerint de iis pro sua uterque opinione suove lubitu tradere. Tetigit vir doctissimus his verbis rem ad accuratiorem cognitionem graecae theologiae ac religionis longe gravissimam, necdum pro eo ac debuit explicatam, sed dignam utique, quae aliquando quam diligentissime pertractetur. Nam quum manifestum sit religiones popularesque de diis opiniones in universum aestimanti easdem apud omnes Graecos fuisse, nihilo minus tamen permagnam varietatem ac discrepantiam fabularum et rituum apud eos deprehendimus, adeoque, si quis omnia huius generis diligenter contulerit, affirmare licebit, vix pauciora inventum iri, de quibus dissentiant inter se Graeci quam in quibus con-

spirent. Ac fabularum quidem duo genera facere possumus, alterum earum, quae a philosophis quibusdam fabulosae theologiae nomine
4 comprehendi naturalique et civili theologiae opponi solent[1]): quod genus illi totum a poetis confictum, et ad oblectationem, non ad pietatem aut sapientiam comparatum esse arguunt, immo condemnant tanquam frivolum ac sacrilegum: alterum autem earum, quae cum civili theologia coniunctae erant rituumque et caerimoniarum causas atque origines referre credebantur, quo in genere nonnullae certe ex iis sunt, quae *ἱερῶν λόγων* nomine passim a Pausania aliisque commemorantur. Fontem autem fabularum primamque originem hanc fuisse agnoscimus, quod divinam naturam, cuius quaedam quasi anticipatio humano generi innata est, informare prisca aetas nisi ad humanae naturae exemplum non potuit, unde necesse fuit et multitudinem deorum emergere, et horum omnem vitam actionemque humanae vitae similitudinem induere. Hinc igitur et ritus sacrorum plurimi extiterunt ad imitandas quodammodo deorum actiones instituti, et narrationum magna multitudo, quarum aliae, quum connexae cum sacris permanerent, non multum fere a prima forma degenerasse videntur, aliae autem a poetis susceptae liberiusque tractatae, multisque mox ipsorum ingenio excogitatis auctae sunt, praesertim quum antiquorum hominum rebus, quam illi carminum materiam habebant, divinae personae multifariam immiscerentur. Haec duo fabularum genera certis quibusdam notis discernere saepenumero quidem, haudquaquam tamen semper possumus, qua de re hoc loco disputare nolo; illud autem facile animadvertimus, in neutro genere unam et aequabilem traditionem apud omnes Graecos adeo obtinuisse, ut non de iisdem diis deorumque actionibus aliae apud alios fabulae ferrentur. Haec autem varietas ac dissensio etiam ipsos Graecos, si modo mediocriter attenderent, latere profecto non potuit: qua semel animadversa necesse erat de fide et aucteritate fabularum plurimum detrahi. Errant enim stultissime, qui istas narratiunculas quasi dogmatum instar habitas esse credunt, quae aut examinari aut impugnari et in dubium vocari salva religione non potuerint; neque quisquam eorum, qui impietatis apud veteres rei fuerunt, propterea

1) De hac triplici theologiae divisione vid. Plutarch. de plac. phil. I, 6. Euseb. praep. eu. IV, 1 in. Augustin. de C. D. IV, 27. V, 5. VI, 5. Boeth. de diis et praes. ad Cic. Top. tom. V, 1 p. 392 Orell. Voss. de idololatr. II, 1 p. 307. v. Seelen de inscriptt. bibl. p. 29. Cudworth. system. int. c. 4, 26 p. 522 sq.

accusatus est, quod fabulas sperneret ac reiiceret, sed quod aut deos ipsos, qui publice colebantur, omnino esse negaret, aut sacra eorum violaret vel irridendo et in contemptum adducendo, vel etiam arcana quaedam evulgando, quae profanari nefas esset. Itaque qui de religione veterum quaerunt, illud ante omnia diligenter attendere debent, ut perspiciant planumque faciant, quatenus illa religio, quamvis esset ab initio cum fabulis coniuncta, constare tamen etiam spretis fabulis apud viros bonos ac pios potuerit, itemque qui fieri potuerit, ut etiam apud imperitos, qui minus fabulas spernerent, quum plurima in his absurda et diis divinaque maiestate indigna traderentur, haec tamen multo minus, quam crederes, pietati ac moribus officerent. Nam hoc equidem satis constare arbitror inter omnes, qui aequo animo veteres Graecos cum recentioribus populis comparare velint ac possint, in tanta fabularum perversitate tantisque opinionum erroribus mores tamen illorum haud fere deteriores fuisse quam horum, qui, quum puriorem doctrinam verbis profiterentur, praestare hanc professionem vita et factis aut raro aut numquam potuerunt. Sed haec accuratius exponere alio fortasse tempore conabimur: nunc hoc tantum nobis propositum est, ut, quoniam fabularum diversitatem maxime officere earum auctoritati debuisse diximus, quanta haec fuerit diversitas eorum ipsorum exemplo ostendamus, quos Herodotus tanquam auctores omnis fabulosae theologiae coniunxit, Homeri et Hesiodi. Nam Lennepius in utriusque poetae 5
comparatione nequaquam omnia aut animadvertit aut persequutus est; qui autem olim Heynii monitu mythologiam secundum auctores aetatesque describere conatus est, Martinus Hermannus, quam imperite rem gesserit nemo ignorat. Nuperrime Burckhardus librum tironibus fortasse non inutilem scripsit de mythologia Homeri et Hesiodi: sed is neque ab erroribus satis sibi cavit, et accuratiorem comparationem et discrepantiae expositionem praetermisit, ut libri sui consilio alienam. Nobis autem, quum colligere et in uno conspectu proponere statuerimus, quae maxime qualis haec discrepantia sit docere posse videantur, non illud nunc agendum erit, ut quidquid de divinis personis fabulisque ab altero memoratum, ab altero praetermissum est persequamur, qua in re saepenumero casum dominatum esse nemo negabit; sed illa tantum nobis respicienda erunt, quae diversa ab utroque ratione memorantur, ut appareat diversas de rebus iisdem opiniones utriusque fuisse. Ceterum Hesiodum quum dicimus, unam theogoniam, neque praeterea quidquam eorum carminum, quae eidem auctori tri-

buuntur, intelligi volumus, non quo theogoniam vere ab Hesiodo compositam esse credamus, sed ne praeter necessitatem veteri traditioni obloquamur, et quoniam ex mythologico genere nihil Homeri aetati propius habemus. Homeri autem nomine Iliadem tantum et Odysseam significamus, quae duo carmina, licet nequaquam unius auctoris aut temporis, sed ex complurium poetarum carminibus conflata esse censeamus, in universum tamen aequabilem quandam rationem mythologicam ostendunt: quamquam fatendum est non ubivis hanc plane sibi constare, sed fluctuare nonnunquam inter varias de rebus iisdem opiniones. Recentiorem autem theogoniam Iliade et Odyssea esse quum nemo dubitet, nequaquam tamen propterea etiam fabulas, quas illa proprias habet, et genus illud theologiae, quo ab Homero theogonia discrepat, Homerica aetate recentius esse dicemus. Nam quae apud Homerum fere tota oblitterata est significatio deorum allegorica — licebit enim brevitatis causa hoc nomine uti, quamvis perversa nonnullorum interpretatione diffamato, — haec dubitari non potest, quin primitiva, non quidem in omnibus, sed in permultis tamen fabulis fuerit, eiusque apud Hesiodum multo plura quam apud Homerum vestigia servata sunt. Tamen ipsum genus poeseos theogonicum, cuius hoc unum exemplum superest, heroicis carminibus, qualia Homeri sunt, recentius videri debet. Esse enim et providere atque intervenire rebus humanis credebantur dii haud dubie multo ante, quam de ortu eorum atque cognationibus quaereretur: quumque coeptum esset quaeri, genus tamen omnium quasi in stemmate describi et quibus quisque gradibus a communi rerum origine descenderet, quosve parentes, cognatos, liberos haberet, exponi non ante potuit, quam, quae varie olim de singulis, alia alibi, cantabantur, diuturno poetarum studio per Graeciam divulgata et ad communem notitiam perlata essent, quo facto extiterunt, qui multiplicem huiusmodi fabularum varietatem et discrepantiam componere, quoad possent, et unum quasi systema deorum describere conarentur. Huius studii, cuius fructum antiquitas unum atque alterum praeter hanc Hesiodi theogoniam vidit, etiam in Homericis carminibus indicia quaedam et vestigia, si minus perfecti, at certe inchoati, deprehenduntur, non multa quidem illa, sed quae ostendant tamen theogoniam Homericam admodum ab Hesiodea diversam fuisse. Hoc igitur nunc demonstrare aggrediar.

6 Ac primum quidem de rerum omnium origine eo inter se discrepant, quod quum Homerus Oceanum esse dicat, *ὅσπερ γένεσις*

πάντεσσι τέτυκται [2]), Hesiodus contra primum chaos fuisse docet, quod equidem nec de aqua, cum veteribus quibusdam [3]), neque vero de spatio vacuo et inani, quemadmodum et veteribus nonnullis et recentioribus plerisque visum est [4]), sed de prima quadam materia interpretandum arbitror, corporea quidem illa, sed tenui et penetrabili ad aeris aut nebulae instar, quum praesertim de aere illud nomen etiam a posterioribus poetis nonnunquam usurpatum sit [5]), propterea scili-

2) Il. XIV, 246, ad quem locum schol. Ven. hanc referunt Porphyrii annotationem: *ἐπεὶ ἐξ ὑδάτων αἱ αὐξήσεις ὑπάρχουσιν. Πῶς Ἡσιόδου πάντων πρῶτον εἰπόντος γεγενῆσθαι τὸ Χάος, Ὅμηρός φησιν Ὠκεανόν; ῥητέον οὖν ὅτι ἕκαστος μὲν εἴρηκεν ὡς ἐβούλετο, Ὅμηρος δὲ φιλοσοφώτερον. τὸ γὰρ ὕδωρ πάντων ἡ ζωὴ καὶ προέχει τῶν τεσσάρων στοιχείων,* (*ὅλα ὄν* add. sch. D. h. e. *πάντα ὄν,*) *ὅθεν καὶ Πίνδαρος ἄριστον αὐτό φησιν.* Cf. Plut. Theaet. p. 180 D. Stobae. ecl. I, 11 p. 278. 282. Plutarch. plac. phil. I, 3. — In eodem Iliadis libro v. 202 Oceanus *θεῶν γένεσις* dicitur, quod rectius *γενέτορα*, cum veteribus, interpretabimur, quam cum Vossio, sched. crit. II p. 359. 361. Epist. myth. III p. 17. nihil aliud nisi natos ad Oceani ripam deos significari credemus. Nam ab Oceano, ut omnis rerum natura, ita etiam dii orti sunt. Induxit fortasse Vossium Diodorus, I, 12, qui citato Iliadis versu addit: *οἱ Αἰγύπτιοι νομίζουσιν Ὠκεανόν εἶναι τὸν παρ' αὐτοῖς ποταμὸν Νεῖλον, πρὸς ᾧ καὶ τὰς τῶν θεῶν γενέσεις ὑπάρξαι.* — Plutarchus, de fac. in orbe lun. c. 25, superiori versui 246, *Ὠκεανοῦ, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται*, alterum subiunctum a Cratete memorat, *ἀνδράσιν ἠδὲ θεοῖς, πολλὴν δ' ἐπὶ γαῖαν ἵησιν*, ab ipso haud dubie Cratete procusum, quem offenderet illud *πάντεσσι* sic nude positum. Posterius hemistichium Heynius tom. VI p. 578 mire interpretatur, *γένεσιν* ad *ἵησι* tamquam obiectum suppleri, et adiectivum *πλείστην* cum hoc supplemento, non cum *γαῖαν* construi iubens. Immo Crates *ἵησι* pro intransitivo aut reflexivo posuit, de quo verbi usu conf. Lobeck. ad S. Ai. v. 250 p. 189 ed. 2.

3) Vid. Plutarch. aqu. et ign. comp. c. 1, tom. V p. 422 Tauchn. Cornut. d. n. d. c. 17 p. 85 Os. Ioann. Diac. Alleg. Hes. p. 456 Gaisf. Schol. ad Theog. v. 116 et 123. Schol. Apoll. Rh. I, 498. Achill. Tat. Isag. in Arat. c. 3.

4) Aristot. de Xenoph. Zen. Gorg. p. 976 Bekk. Phys. ausc. IV, 1. Sext. Empir. hypot. Pyrrh. III, 6. Adv. Phys. II, 1, 19. Plut. de Is. et Osir. c. 57. Symposiac. V, 5, c. 2. Lennep. ad theog. p. 179. Hermann. de myth. Gr. ant. Opusc. II, 172. — Lobeckium aliter iudicare ex iis apparet, quae de chao Hesiodi Agl. p. 613 dixit.

5) Eurip. fr. p. 230. 231 Wagn. Aristoph. Avv. v. 192. Simm. in Anthol. Pal. XV, 24, 7. Ibyc. fr. 41 p. 202 Schneid. Bacchyl. ap. schol. ad Hes. th. v. 116. Hesych. tom. I p. 1122. schol. Aristoph. Nub. v. 423. — Ceterum etiam Chalcidius, saeculi p. C. quarti scriptor, cuius conversionem et enarrationem Timaei Platonici habemus ab J. A. Fabricio editam ad calcem vol. II operum S. Hippolyti, Hamburg. 1718, quum theogoniae versus 116. 117 in hunc modum convertit:

Prima haec est caligo: dehinc post terra creata est,
Spirantum sedes firmissima, corpore vasto.,

cet quod aer undique patet et penetrabilis est, et capere omnia posse videtur. Etiam Phoeniciae cosmogoniae interpres, quem Eusebius auctorem sequitur praep. eu. I, 10, aerem illum caliginosum, *ἀέρα ζοφώδη καὶ πνευματώδη*, unde rerum initia orta essent, *χάος* interpretatus est *θολερὸν καὶ ἐρεβῶδες*: itemque Orphicorum ii, qui post *Χρόνον* s. tempus infinitum rerum principia posuerunt aethera et chaos, hoc chaos non spatium inane omnique materia vacuum, sed nebulam quandam caliginosam, *σκοτόεσσαν ὁμίχλην*, esse voluerunt,
7 aetheri lucido et puro oppositam [6]). Neque inter philosophos defuerunt, quibus prima materia aut aer aut simile quiddam aeri fuisse videretur, cui proin hoc ipsum aeris nomen indiderunt, ut Anaximenes et Diogenes Apolloniates [7]), quum contra Thales, ad Homeri exemplum, rerum principium aquam fuisse statueret, quam sententiam etiam Orphicos quosdam amplexos esse accepimus [8]). — Sed Oceano Homerus Tethyn copulavit Il. XIV, 202, de qua ambigitur a viris doctissimis, terramne significet, an ad aquae naturam et ipsa pertineat, ut vis huius mascula et ad procreandas res efficax Oceano, feminea et ad pariendum nutriendumque apta Tethyi attributa sit. Alteram sententiam veteribus Homeri interpretibus placuisse docet schol. ad Il. l. l.: *Τηθὺν δὲ τὴν*

ostendit sibi chaos non spatium inane visum esse, sed tenebricosum quiddam nebulae simile: id enim caligo significat.

6) Cf. locc. apud Lobeck. Aglaoph. p. 473. 4. — Huc pertinet etiam versus a Lactantio institt. div. I, c. 5 citatus, qui Phanetem *περιμηκέος ἠέρος υἱὸν* dicit. Nempe Phanes ex ovo prodiit, in cuius figuram chaos, aethere agitatum, coaluerat. Vid. diss. de poesi theog. p. 10. Cf. Clem. Rom. recogn. X p. 140 ed. Cot.: „Sapientiores inter gentiles initio rerum *chaos* fuisse dicunt. Id per longum tempus externas partes condensans tandem sibi fecisse fines certumque fundum, atque ovi immanis necepisse formam. Deinde sub illius testa vivum aliquod esse generatum, quod testa fracta forma masculino-feminea in lucem prodierit: nomen ei esse *Phanes* a splendore.“ Ceterum apparet, non minore iure Phanetem etiam aetheris filium dici potuisse, quemadmodum in alio eiusdem carminis loco factum videtur, ap. Proclum ad Plat. Tim. II p. 132 B: *παρ' Ὀρφεῖ — ὁ Φάνης περικαλλέος Αἰθέρος υἱὸς ὀνομάζεται.* Neque tamen propterea etiam apud Lactantium *αἰθέρος* rescribendum crediderim, quod Lobeckius p. 480 tacite fecit. Nam tuentur *ἠέρος* et ipsius Lactantii verba, quum Phanetem ex aere immenso natum esse dicit, et codicum, quod sciam, omnium consensus.

7) Vid locos a Rittero et Prellero citatos in Histor. philos. Graeco-Rom. p. 12—17. (p. 16. 40. 41 ed. 2.)

8) Diss de poes. theog. p. 10. not. 16. Add. Justin. mart. cohort. c. 2 p. 15. 16 Ott.

γῆν φησὶν, οἱονεὶ τιθήνην τινὰ οὖσαν καὶ τροφὸν πάντων[9]): contra fluidae et aquosae naturae Tethyn Plato accuset, quum in Cratylo, p. 402 B, ubi Homeri sententiam concordare autumat cum Heraclitea de omnium rerum fluxu, tum in Theaeteto p. 152 E, ubi eandem poetae sententiam adscribit: Ὅμηρος, εἰπὼν Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν, πάντα εἴρηκεν ἔκγονα ῥοῆς τε καὶ κινήσεως. Neque aliter Tethyn interpretati sunt ii, quorum auctoritatem sequutus Cicero in Timaeo Platonico a se converso cap. 11, Salaciam dixit, quod nomen, etiamsi quis graeco minus convenire non immerito dixerit, hoc tamen certe demonstrat, non Tellurem ei Tethyn visam esse, sed aquosam naturam. Denique etiam Aristoteles, Metaphys. I, 3, huius interpretationis testis est. Commemorata enim Thaletis sententia de aqua, rerum omnium initio, haec addit: εἰσί δέ τινες, οἳ καὶ τοὺς παλαιοὺς καὶ πολὺ πρὸ τῆς νῦν γενέσεως καὶ πρώτους θεολογήσαντας οὕτως οἴονται περὶ τῆς φύσεως διαλαβεῖν. Ὠκεανόν τε γὰρ καὶ Τηθὺν ἐποίησαν τῆς γενέσεως πατέρας. Nam si Tethyn Tellurem interpretati essent, non unum, sed duo principia haberent inter se diversa, quod quantopere discordet cum Thaletis sententia nemo non intelligit.[9b]) Iam si quaeris, utra interpretatio verior videatur, non dubito equidem hanc amplecti, 8 quae et auctores habet vetustiores ac locupletiores[10]), et sua sponte probabilior est. Sic enim non duo erunt principia disparia, sed una tantum natura aquosa, quae quod in se ipsa et generandi et pariendi nutriendique vim habet, poetice in duas personas, marem ac feminam, dispescitur. Significarunt igitur veteres huius cosmogoniae auctores hac unius elementi in duos sexus divisione nihil aliud, quam quod posteriores quidam poetae et philosophi, quum summum deum creatoremque rerum ἀρσενόθηλυν et μητροπάτορα dixerunt, ut Orphici quidam, quemadmodum Damascius ait, de princip. c. 123 p. 381, Chro-

9) Cf. Sext. Empir. adv. math. X, 314 p. 685. Hesych. s. v. Θέτις. Ioann. Diac. p. 458. Eudoc. Viol. p. 439. Schol. ad Aesch. Prom. 137. ad Sept. c. Theb. 289. — Diversas Cornuti aut Platonicorum recentiorum interpretationes commemorare nolo. Vid. Cornut. c. 8. Procl. ad Plat. Tim. p. 292. 3. 4.

9b) Etiam in Orph. Argonaut. Tethys aqua est, v. 337. cf. et Tzetz. exeges. Il. p. 90.

10) Etiam apud recentiores plerosque Tethyn de aqua accipi notum est: fallitur autem Schneiderus ad Orph. Arg. v. 337, Archiam, Ciceronis aequalem, primum huius interpretationis testem esse credens.

num suum sive Herculem primigenium *ἀρσενόθηλυν ὑπεστήσαντο πρὸς ἔνδειξιν τῆς πάντων γεννητικῆς οὐσίας*, ad quod exemplum etiam Synesius, christianam doctrinam ethnicorum philosophematis mirabiliter temperare solitus, Deum invocat:

Σὺ πατὴρ σὺ δ' ἐσσὶ μήτηρ,
σὺ δ' ἄῤῥην σὺ δὲ θῆλυς.

plane ut Orphicus poeta de Iove dicit post Phanetis cataposin p. 457 Herm., v. 11:

Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη.

et p. 454 v. 5,

ἄφθιτε μητροπάτωρ, οὗ θυμῷ πάντα δονεῖται[11]).

Apud Hesiodum autem, qui primum Chaos, postea Terram extitisse dicit, non liquet utrumne haec ex illo orta sit, an aliunde, et, si ex Chao, id quod sane voluisse istius cosmogoniae inventores videutur[12]), quae causa ex Chao Terram prodire fecerit. Quamquam dubitari vix potest, quin illi Chaos suum primigenium non iners atque immotum, sed insita sua vi et natura agitatum et quasi animatum cogitaverint, sicut etiam in Phoenicum cosmogonia chaos fuisse dicitur *ἀὴρ πνευματώδης*[13]): atque sic ex chao primum terram, h. e. solidiorem
9 materiam, desedisse, moxque vim illam motricem et agitatricem plures deinceps res quum ex terra tum ex chao, quod dimissa ex sese terra nequaquam tamen superesse desiit[14]), quasi elicuisse: hanc enim vim

---

11) Cf. Lobeck. Aglaoph. p. 456 not. e. — *Μητροπάτορα* fuerunt, qui patrem matris h. e. creatorem materiae interpretarentur (Moshem. ad Cudworth. tom. II p. 969), perperam haud dubie, quamvis in vulgari sermone vocabulum illud matris patrem significat. Sed philosophi matripatrem dixerunt eum, qui mater simul et pater esset, femineam cum mascula natura coniunctam habens. Creatam a deo materiam e veteribus nemo statuisse videtur, ne Plato quidem, cui hanc sententiam Stallbaumius vindicare conatus est, proll. ad Pl. Timae. p. 44. Conf. Iustin. mart. cohort. c. 20 p. 60 Ott. et Pfanner. theol. gent. p. 157.

12) Ita statuit etiam Manilius Astron. II, 12.

Hesiodus memorat divos divumque parentes,
et Chaos enixum terras.

De ipso chao, unde extiterit, nota est Epicuri pueri quaestio, ap. Sext. Emp. adv. Math. X, 19, ad quam nihil a grammatico magistro responsi tulit. Nobis, si quis in illo *γένετο* ap. Hesiodum haerent, respondebit Eustathius ad Il. II p. 245, 22: *λέγεται γὰρ παρὰ τῶν παλαιῶν, ὅτι οἱ Ἴωνες τὸ εἶναι γενέσθαι φασίν.*

13) Euseb. l. l. cf. Moshem. ad Cudworth. p. 27, not. 7.

14) Prodeunt ex chao post terram etiam erebus et nox, de quibus mox dicetur,

esse apparet, quae **Amoris** nomine significatur[15]). Verumtamen fatendum est, ab Hesiodo ipso haec non ita exponi, sed coniectura, quamvis probabili adeoque necessaria, a nobis quasi subaudienda esse. Homeri autem cosmogonia, quum masculam et femineam humidi principii naturam Oceano et Tethye significaret, vim, quae hos ad generandum incitaret, ab ipsis diversam non videtur induxisse. Nimirum proprium hoc et insitum est duobus sexibus, ut sua sponte sese misceant et ad generandum properent, quamobrem non opus fuit duabus Oceani et Tethyos personis etiam tertiam Amoris adiungi, cuius numen Homerus ne in aliis quidem fabulis, etiam quum res id vel maxime ferret aut postularet, usquam commemorat, ut deum Amorem plane non novisse videatur. Ceterum Hesiodus quoque, posteaquam Amorem in rerum principiis posuit, nullas tamen in generationibus subsequentibus partes eius commemorat, omninoque ne nominat quidem nisi v. 201, ubi Veneri hunc comitem una cum Himero adiungit,

τῇ δ' Ἔρος ὡμάρτησε καὶ Ἵμερος ἕσπετο καλός.

Neque mirum est, Veneris hunc sectatorem nonnullis plane diversum et iuniorem visum esse isto cosmogonico[16]), cui quidem quae v. 120 tributa legimus epitheta,

ὃς κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι,
λυσιμελὴς πάντων τε θεῶν πάντων τ' ἀνθρώπων,

non iniuria Venereo puero quam illi omnium deorum vetustissimo convenientiora censeri[17]) fatebimur. Sed huiusmodi offensiones in hac theogonia complures sunt, non tamen, ut equidem arbitror, ab interpolatoribus invectae, sed ipsi carminis compositioni congenitae.

et manet illud infra terram etiam post Titanes a Iove devictos, th. v. 814. Sic alii quoque poetae non raro chaos in locis subterraneis memorant, (vid. Gesner. ad Claudian. p. 72,) et Herculem, posteaquam peragrato orbe terrarum ad ultimam occidentis oram pervenerit, *χάος* ibi *καὶ ζόφον* invenisse narrarunt. Schol. Pind. Ol. III, 79. — Sed difficile dictu est, quid statuendum sit de th. v. 700, *καῦμα δὲ θεσπέσιον κάτεχεν χάος,* fulminibus scilicet in titanomachia a Iove iaculatis. Nam Goettlingii interpretationem Lennepius merito sprevit, ipse loca subterranea significari statuens, quo penetraverit fulminum ardor: neque id improbabile est. Sed fieri potest, ut nihil nisi **aer** significetur, quem nonnunquam illo nomine designari supra monuimus.

15) Praeter locos a Mützellio, de em. theog. Hes. p. 401, et a Lennepio p. 185 citatos conf. Euseb. pr. ev. I, 10 p. 37 Heinrich. et Cudworth. syst. int. p. 118 sq.

16) Vid. Ioann. Diac. p. 456.

17) Velut a Gruppio, in libro de theogoniae genuina forma restituenda, p. 143.

Chaos porro Erebum et Noctem, Nox ex Erebo Aethera Diemque peperisse dicitur, neque dubium est, quin Erebus tenebras significet loca infera perpetuo obsidentes, Nox autem has, quae diurnis vicibus terram obscurant, ex quibus quoniam oriri lux videbatur, Diem Noctis filiam dici consentaneum fuit [18]), eique fratrem addi Aethera, h. e. sublimen illud candens, ut Ennius ait [19]), Erebo eadem ratione oppositum, qua dies nocti opponitur. Nam sicut illius perpetuis tenebris obscurari, quae infra terram essent, ita sublimia mundi sempiterna Aetheris claritate illustrari credebantur, quum Nox et Dies terrae tantummodo et proximis supra eam partibus tenebras lucemque dispensarent. Origo autem horum omnium cur a Chao potius quam a Terra repetatur, ratio manifesta est. Nam quum nihil in iis sit solidioris ac terrenae materiae, naturam habere videbantur non prorsus quidem incorpoream, quod genus fugiebat priscorum hominum notionem et intelligentiam, sed tamen tenuissimam ac subtilissimam, quale etiam chaos illud aerium, dimissa praesertim ex sese terra, esse videbatur. — Terra autem sola de suo corpore Coelum procreat, tamquam fornicem ipsi ad instar tecti impositum, montesque in altum assurgentes, Pontique s. maris profunda; mox autem Coelo copulata primum filios sex totidemque filias, communi Titanum nomine dictos, in quibus sunt Oceanus eiusque uxor Tethys, deinde tres filios, qui Cyclopes dicuntur, Argen, Steropen et Bronten, postremo totidem Centimanos, Cottum, Briareum, Gyen: de quibus omnibus nihil attinet nunc accuratius disserere, quum praesertim iam alio loco dixerimus, quomodo hanc partem theogoniae interpretandam censeremus [20]). Considerabimus igitur Homerum, qui, quum nonnullorum quidem ex his, quos modo memoravimus, et ipse mentionem faciat, longe tamen diversam ab Hesiodo rationem suam esse ostendit. Primum enim ere-

18) Cf. Thaletis dictum apud Diog. L. I, 36: *πρὸς τὸν πυθόμενον, τί πρότερον ἐγεγόνει, νὺξ ἢ ἡμέρα, ἡ νύξ, ἔφη, μιᾷ ἡμέρᾳ πρότερον.* Idem Alexandrum ex gymnosophistis quaesivisse narrat Clemens Alex. Strom. VI, 4 p. 731 Pott. — „Constat prius noctem fuisse, post diem“, inquit Servius ad Vergil. Aen. III, 73 et ex eo Mythogr. Rom. I, 37 p. 13 Bod., et Aeschylus quoque, Agam. 256, *εὐφρόνην ἠοῦς μητέρα* dicit. Cf. ib. v. 270, et quae Stanleius ad priorem versum adnotavit. Add. Dissen. Opusc. p. 131. Ideler. ad Aristot. Meteor. I p. 563.

19) Apud Ciceronem d. n. d. II, 2.

20) In dissertatione de Titanibus Hesiodeis ann. 1844 edita.

bum, diem, aethera nunquam ut animantes vique genetrice praeditos inducit, sed sunt haec rerum tantummodo vocabula: unam Noctem deam agnoscit[21]), natu maximam ipsique Iovi ceterisque diis venerabilem: liberos tamen eius nullos memorat. Deinde Ponti nomine non aliquam divinam personam, sed mare tantummodo designat. De Coelo ambigitur, fueritne in Homeri theogonia personae instar habitum, an nihil nisi superiorem mundi partem significaverit, quumque *Οὐρανίωνες*, forma patronymica, et dii Olympii aliquoties[22]), et semel, ut videtur, etiam Titanes in Tartarum detrusi appellentur, maluerunt tamen plerique illud nomen ad habitationem potius coelestem quam ad genus a Coelo ductum referre. Itaque in Il. V, 898, ubi Iupiter iratus Martem his verbis increpat:

εἰ δέ τευ ἐξ ἄλλου γε θεῶν γένευ ὧδ' ἀΐδηλος,
καί κεν δὴ πάλαι ἦσθα ἐνέρτερος Οὐρανιώνων

veteres interpretes, quamvis Titanes agnoscerent[22b]), tamen *Οὐρανίωνας* hos non ut filios Urani, quemadmodum ab Hesiodo inducuntur, 11
sed propterea dici voluerunt, quod olim in coelo habitaverint[23]): quod quum parum credibile videretur, dudum in Tartarum deiectis cognomentum tamen ab antiqua habitatione tam firmiter haesisse, ut quasi proprii nominis loco esset, extiterunt nuper[24]), qui Titanes hoc loco

21) Il. XIV, 259. 261.

22) Il. I, 570. V, 373. XVII, 195. XXI, 275. 509. XXIV, 547. 612. Od. VII, 242. IX, 15. XIII, 41.

22b) Cf. etiam schol. Aristoph. Nub. v. 248.

23) Ita schol. B.: *πάλαι ἄν, φησίν, ἦς τῶν ποτὲ οὐρανίων Τιτάνων ὑποχθονιώτερος.* Alii *Οὐρανίωνας* interpretabantur *τοὺς ὑπὸ τὴν Οὐρανοῦ ἀρχὴν τεταγμένους*, ut ex Apollonii lex. Hom. et Hesychio s. v. cognovimus. Hi igitur personam saltem Urani agnoverunt.

24) Est in his etiam Naegelsbachius, vir doctissimus, Theol. Hom. p. 73, qui Goettlingium huius sententiae auctorem laudat, cuius dissertationem, ephemeridibus, quae ab Hermete nomen habent, vol. XXIX, 2 p. 251 insertam legi equidem olim, sed nunc inspicere non possum. Quae autem Naegelsbachius ex ea retulit, omnia commemoravi. — Nonnihil diversa est Völckeri sententia, Geogr. Hom. p. 19. Mythol. Iap. p. 324, cui Nitzschius se assentiri profitetur ad Od. IX, 15. Is enim, Heynii iudicium secutus, ad Apollod. obs. p. 5, *Οὐρανίωνας* Il. V, 898 neque coelestes neque Titanes esse statuit, sed Cyclopes et Centimanos: quo nihil perversius excogitari potuit. Nam Homeri sane Cyclopes non in Tartarum deiectos fuisse manifestum est: et si maxime de Hesiodeis potius cogitandum esse concedamus, hos itidem ut Centimanos a patre quidem Urano in terrae visceribus absconditos, sed a Iove solutos et in lucem reductos esse legimus. — Ceterum

significari infitiarentur: esse enim coelestes deos intelligendos, Iovemque nihil aliud dicere, nisi dignum Martem esse qui de coelo pelleretur. Quippe, aiunt, infra Titanes Mars ne potuit quidem detrudi, quandoquidem hi ipsi omnium infimi sunt, utpote in Tartaro inclusi, quo nihil est inferius. Atqui, si quis contra argutari velit, quidni in vasto Tartari ambitu aliquid etiam infra Titanes loci cogitari possit? aut si nullus sit eiusmodi locus, quidni Iovem iratum hyperbolice loqui dicamus? Multo certe convenientius hoc videri debet, quam ista interpretatio, quae, etiamsi verbis haud repugnet, tamen aliquanto leniorem poenam ab irato denuntiari facit, quam quae illi loco ac personae conveniat. Sed ipsa illa loquendi figura, inferiorem esse coelestibus, pro eo quod dicendum erat, deturbari de coelo, mihi quidem parum probabilis esse, omnisque ista interpretatio haud facile cuiquam in mentem ventura fuisse videtur, nisi cui persuasum esset, Urani personam liberosque ex Urano genitos non debere apud Homerum agnosci. Atqui haec ipsa persuasio unde tandem ducta est? Nempe hinc, quod eo, quem supra memoravimus, loco, Il. XIV, 202, deorum genitor Oceanus, non Uranus dicitur, deinde, quod nusquam *Οὐρανίδαι*, qua nominis forma alibi, velut in theog. 486, 502, Urani suboles designatur, dii aut Titanes ab Homero dicti sunt. Sed hoc quidem mihi levissimum videtur, neque consilio poetae sed casui imputandum: illud alterum autem ita demum aliquid ponderis haberet, si non possent, qui ultimum generis auctorem Oceanum habent, iidem nihilo minus tamen etiam ab Urano, tanquam patre aut avo aut proavo, genus ducere.[24b]). Quodsi quis rem ipsam spectare velit, perquam sane probabile est, quemadmodum posteriores quidam physici ex aqua reliquorum elementorum, terrae, aeris, ignis, aetheris originem repetierunt, ita etiam Homericae theogoniae conditores Oceano et Tethyi Tellurem et Coelum liberos
12 dedisse[25]). Atque Tellurem quidem pro divina persona etiam ab Ho-

---

agnoscit tamen ista interpretatio patronymicam in *οὐρανιώνων* vocabulo significationem: oom *οὐρανίωνες* Cyclopes et Centimani non aliam ob causam dici potuerunt, nisi quod Coelo procreati essent.

24b) Cf. Dissen. Opusc. p. 45 et H. D. Müller. Ares p. 61 not. 1, qui recte iudicant.

25) A nonnullis Urano patrem Acmonem datum esse discimus ex Alcman. fr. 29 p. 248 delect. Schneidew., Antimach. fr. 42 p. 39 Dübn., Simmia in Anth. Pal. XV, 24. Tzetzae Homeric. v. 277. Hesych. s. v. *Ἀκμονίδης*, Etym. M. p. 49. 50, Eustath. od Il. XVIII, 476 p. 1154, 25; Acmonem autem eundem cum Oceano

mero habitam esse omnes, quod sciam, consentiunt[26]): eiusdem de Coelo opinionis, si non argumentum plane certum, at indicium tamen haud temere spernendum illud esse arbitror, quod iurari aliquoties per Coelum[27]) non minus quam per Tellurem, per Solem, per Fluvios videmus, de quorum numinibus dubitari non potest. Hanc ob causam ego Uranum deorum Homericorum numero non excludendum esse censeo, liberosque eius, itidem ut apud Hesiodum, Titanes, uxorem autem Tellurem, posteros denique deos omnes, qui *Οὐρανίωνες* vocantur, habitos esse statuo.

Nomina Titanum nulla Homerus indicat praeter Cronum et Iapetum, Il. VIII, 479[28]): quamquam plures his duobus fuisse satis diserte testatur Il. XIV, 274:

ἵνα νῶϊν ἅπαντες
μάρτυροι ὦσ᾽ οἱ ἔνερθε θεοὶ Κρόνον ἀμφὶς ἐόντες.

---

esse Etym. M. p. 11 v. 48 et Eustathius p. 1150, 60, docent, scilicet propter vim eius indefessam, quemadmodum etiam fluvii *ἀκάματοι* dicuntur. Convenit igitur illis hactenus saltem cum ea ratione, quam ego Homero tribuo: discrepat autem, quod Acmoni ipsi matrem Tellurem datam esse Alcmanis versus docet, quam equidem in Homeri theogonia filiam potius Oceani fuisse conicio. Uxorem Acmoni non aliam quam matrem, h. e. Tellurem fuisse crediderim, quemadmodum etiam apud Hesiodum eadem et mater Coeli et uxor est. — Ab aliis Acmonis nomen ipsi Coelo inditum esse Eustathius p. 1150, 59 ait, *ἀπὸ τῆς τοῦ οὐρανοῦ ἀκαμάτου φύσεως*: aut aetheri, quem Coelo patrem dederunt, Etym. l. l. v. 51, aut denique Saturno, Hesych. s. v. *Ἄκμων*, ab iis, opinor, qui hunc temporis deum esse statuerunt. — Ceterum quoniam Acmonis mentionem feci, vellem huius meminissent, qui planetae nuper invento nomen mythologicum quaesiverunt. Nam quum in ceteris planetarum nominibus hic ordo servatus sit, ut initium fieret a diis iunioribus, Iovis liberis, Mercurio, Venere, Marte, Pallade, hos autem sequerentur Iovis sorores Vesta, Iuno, Ceres, tunc ipse Iupiter, post eius pater Saturnus, postremo avus Uranus: quod aptius huic ultimo nuper invento imponi nomen potuit, quam eius, qui Urani pater, Saturni avus, Iovis proavus erat? Neptuni certe nomen, in quod consensisse nostrates astrologi dicuntur, minus aptum est.

26) Vid. Od. VII, 324. XI, 576. Cf. Naegelsbach. l. l. p. 75.

27) Il. XV, 36. Od. V, 184. — Etiam Porphyrius ap. schol. Il. VIII, 1 p. 216b 13 hanc ob causam Uranum deum agnoscere videtur.

28) De omni hoc genere Stoicorum iudicium refert Plutarch. de plac. phil. I, 6 p. 242 Tauch. *Ἡσίοδος βουλόμενος τοῖς γεννητοῖς θεοῖς πατέρας συστῆσαι, εἰσήγαγε τοιούτους αὐτὸς γεννήτορας, Κοῖόν τε Κρεῖόν θ᾽ Ὑπερίονά τ᾽ Ἰαπετόν τε*: quorum postremum certe eximere debebant, non minus quam Cronum. Ego quid de hac parte theogoniae statuendum censeam, exposui in diss. de Titan. Hes., ubi cf. imprimis p. 25 sq.

et ib. v. 278. 9.

θεοὺς δ' ὠνόμηνεν ἅπαντας
τοὺς ὑποταρταρίους, οἳ Τιτῆνες καλέονται.

Oceanum autem et Tethyn, qui apud Hesiodum a Coelo procreati ideoque in Titanum numero sunt, in Homeri theogonia horum progenitores
13 fuisse ex iis, quae supra diximus, intelligitur. De Rhea, Croni uxore, Il. XIV, 203, XV, 187, nihil nec negari neque affirmari potest. De reliquis, quos Hesiodus memorat, Coeo, Crio, Hyperione, unus Hyperion, itemque de sororibus eorum, Phoebe, Thia, Mnemosyne, Themide, una Themis ab Homero nominatur. Sed Hyperionem huic non diversum a Sole esse constat, cuius apud Hesiodum pater est[29]): Themis et in Olympo deos ad concilium Iovis iussu convocat, Il. XX, 4, et hominum in terris concionibus praeest, Od. II, 68. Quod quum Titanes a Iove in Tartaro inclusi sint, Il. XIV, 279 cl. 203, XV, 225, neutrum in his quidem Iovis adversariis numerari posse apparet[30]), omninoque an Titanibus accensiti sint, incertum est.

Fratres Titanum apud Hesiodum Cyclopes sunt, *Βρόντης, Στερόπης, Ἄργης*, Tonitrus, Fulgetrus, Coruscus, quorum naturam quum ipsa nomina satis declarant, tum poeta v. 141 demonstrat, fulmina ab iis Iovi fabricata esse dicens. Sed his admodum dissimiles Homerus Cyclopes inducit[31]), Polyphemum, Neptuno et Thoosa, Phorci filia, natum, aliosque huius vicinos in occidentali quadam terra, mortales immanes atque agrestes[32]), iurisque ac legum expertes et

29) Od. XII, 176, quo uno loco Sol non *Ὑπερίων* sed *Ὑπεριονίδης* dicitur, satis constat ab interpolatore esse. — Lunam, quae apud Hesiodum Hyperionis filia, Solis soror est, ab Homero nusquam in diis numerari iam dudum alii observarunt.

30) Etiam apud Hesiodum, quamvis Titanum nomen omnibus in universum filiis Urani datum sit, tamen neque Oceanum, neque Tethyn, neque Rheam, Themidem, Mnemosynen in iis, quos Iupiter in Tartarum deiecerit, cogitari posse apparet: et plures utique, quam illos duodecim Urani liberos, in Titanum numero ab eo habitos esse, ex titanomachiae descriptione manifestum fit. Vid. quae hac de re dicta sunt in diss. de Titan. Hes. p. 29 sqq.

31) Od. I, 71. IX, 106 sqq.

32) Immortales fuisse Klausenius (Die Abenteuer des Odysseus, p. 7) statuit propterea, quod Polyphemus crudelissimam oculi effossionem vivus pertulerit: quam rationem nemo praeferet satis diserto ipsorum Cyclopum testimonio, quum quaerunt ex Polyphemo Od. IX, 406: *ἦ μή τίς σ' αὐτὸν κτείνει δόλῳ ἠὲ βίηφι;* Neque vero mirabimur mortalem, duobus parentibus immortalibus. Nam huius ge-

nulla inter se societate coniunctos, nihilque cum Hesiodeis illis praeter nomen commune habentes, ductum illud ab oculis rotundis, quos utrique in fronte gerunt singulares. Nam quod Klausenius [33]) Homericos Cyclopes ex illis alteris quasi difflctos a poetis et deformatos esse vult, vix quisquam sibi persuaderi patietur, et si cui credibile sit, stirpem tamen Cyclopum Hesiodeorum ab unius certe Polyphemi — nam de ceteris Homerus tacet, — plane diversam esse videmus. Unde autem orta sit haec de Polyphemo eiusque vicinis fabula et cur coelites hi 14
pariter atque illi Hesiodei habiti sint, quaerere hoc loco nihil attinet.

Alii Titanum fratres apud Hesiodum Centimani sunt, *Κόττος*, *Βριάρεως* s. *Ὀβριάρεως*, *Γύης*, Viriatus, Ferius, Membro, quorum vis partim ad turbines procellasque maritimas, quibus fluctus vehementes excitantur, partim ad terrae motus pertinere videtur [34]). Horum Homerus, Il. I, 396 sqq., unum Briareum nominat, quem Aegaeonem ab hominibus, altero nomine a diis appellari dicit, eumque suppetias olim, a Thetide accitum, Iovi contra Iunonem, Neptunum et Minervam tulisse patreque suo longe fortiorem esse memorat: quis autem sit eius pater, indicare supersedit. Veteres interpretes Neptunum aiunt [35]), quem ab aliis quoque poetis patrem Aegaeoni datum esse videmus [36]), ab aliis autem Pontum, sensu non diverso [37]). Et sane de Neptuno etiam apud Homerum cogitandum esse, non de Coelo, quod propter

neris exempla in fabulis complura sunt, velut Medusa, Phorci et Cetus filia, quam quidem mortalem esse eo magis mireris, quod duae sorores germanae, Stheno et Euryale, immortales sunt. Etiam illos fulminum fabricatores Cyclopes posterioribus poetis non immortales fuisse notum est: idque etiam theogoniam testari Crates voluit inserto versu, qui nunc legitur in Goettlingii editione *οἱ δ' ἐξ ἀθανάτων θνητοὶ τράφεν αὐδήεντες*, de quo cf. Markscheffel. p. 127 et nos in Diurn. antiqu. 1845. Suppl. 2 no. 21 p. 162.

33) L. l. p. 2 sqq. Vossius autem, sched. crit. II p. 382, Hesiodi Cyclopes ex Arimaspis fabulosis originem habuisse suspicatur.

34) Cf. diss. de Titan. p. 5. Add. Lennep. ad H. theog. p. 345. Cornut. d. n. d. p. 80 c. intt. et Boettiger. Kunstmyth. II p. 88.

35) Schol. A. D. ad Il. I, 399: *ἦν δὲ θαλάσσιος δαίμων οὗτος, καὶ τὸν πατέρα Ποσειδῶνα κατεβράβευεν.* Ipsum etiam Neptunum nonnunquam aut *Αἰγέα* aut *Αἰγαίωνα* cognominari notum est.

36) Velut a Nonno, XXXI, 285—7, quem hoc non ipsum excogitasse sed ab antiquioribus accepisse nemo facile dubitabit.

37) Eumel. ap. schol. Apoll. Rhod. I, 1165. Matrem Aegaeoni *Θάλασσαν* ab Ione datam esse idem scholiastes memorat. Cf. et Eudoc. Viol. p. 29 et 91.

Hesiodum nonnulli voluerunt[38]), ipse verborum contextus persuadet. Nam quum comparetur v. 404 Briareus cum patre, consentaneum est hanc comparationem ad superiorem adversariorum commemorationem referendam esse, in quibus, qui pater Briarei esse possit, unus Neptunus est[39]). Quod si ita est, etiam in hac parte discordare Homeri theogoniam cum Hesiodea videmus.

Narrat porro Hesiodus de Cyclopibus et Centimanis a patre Coelo in Terrae visceribus statim postquam nati erant absconditis, de Terrae dolore et ira, concitatisque ab ea Titanibus ad patrem castrandum, quarum omnium rerum apud Homerum nulla mentio facta est. Nam Venus, quam Hesiodus ex Coeli genitalibus in mare delapsis ortam esse prodit, apud Homerum Iovis filia est, matre Dione. Hanc autem Hesiodus inter minutas aquarum nymphas, Oceani filias, commemorat, quod qua ratione explicandum videatur, alio loco exposui[40]). Apud Homerum aliquanto augustiorem eius dignitatem esse satis apparet: quosnam parentes habuerit, incertum est. Sed si recte supra conieci, in Homerica theogonia ex Oceano Coelum et Terram prognatos esse, vix crediderim his Dionen sororem additam fuisse. Alii eam in Titanibus numerant, Terrae Coelique progenie[41]), neque improbabile est, hanc ei originem etiam in illa theogonia datam esse.

Porro ex castrati Coeli sanguine nascuntur apud Hesiodum Eri-

---

38) Fuit in his etiam Wolfius. Vid. lectt. eius in Iliadem ab Usterio editas, I p. 145. — Vossius, sched. crit. I p. 198, probabilius credit, Pontum Aegaeoni etiam ab Homero patrem datum esse.

39) Sensit hoc schol. A. ad Il. I, 404: *οὐκ ἔστι δὲ τῶν Τιτάνων ὁ Αἰγεύς* (scr. *Αἰγαίων*), *ἀλλ' ἐνάλιος δαίμων. οὕτως γὰρ καὶ ἡ σύγκρισις λαμβανομένη πρὸς τὸν Ποσειδῶνα λόγον ἔχει.* Nempe hanc dicit *σύγκρισιν*, quae est in verbis *ὁ γὰρ αὖτε βίῃ οὗ πατρὸς ἀμείνων.* Zenodotea huius loci lectio: *ὁ γὰρ αὖτε βίῃ πολὺ φέρτατος ἦεν πάντων οἳ ναίουσ' ὑπὸ Τάρταρον ἠερόεντα* (ita enim emend. cum H. Steph. Barnes. et Heynio), cur Aristarcho ceterisque criticis displicuerit apertum est. Nam neque inclusum in Tartaro Briareum esse quisquam prodidit, sed custodum cum fratribus Tartari portis appositum Hesiodus narrat, stationemque horum custodum extra Tartarum fuisse omnis narrationis tenor docet (cf. diss. nostr. de extremar. mundi partium descr. Hes. p. 8), neque inclusum facile Thetis accire potuisse videtur. Denique etiam *αὖτε* particula quid sibi velit in ista lectione, non potest intelligi: potest autem, si oppositum Briareum cogitemus patri ante memorato.

40) In dissert. de Oceanidum et Nereidum catalog. Hesiod., ann. 1843 edita.

41) Apollod. I, 1, 3. Orph. fr. 8 p. 467 Herm.

nyes, Gigantes nymphaeque Meliae, de quibus alibi accuratius disputavi[42]), et demonstrasse mihi videor, nymphas illas fraxinorum esse, ex quibus generis humani ortum veteres repetierint, gigantesque item hominum, qui nunc vivunt, progenitores[43]), Erinyum autem istam generationem ab theogoniae compositore minus considerate hic relatam esse, ut quae rationem habeat ab ista de Meliis et Gigantibus fabula longe diversam, quum praesertim quae alio theogoniae loco memorantur Poenae (*Κῆρες*), Noctis filiae, eaedem cum Erinysin esse videantur, licet non appellentur ibi hoc nomine. — Homerus Melias nymphas nusquam memorat: Gigantum mentionem facit[44]) ut populi non nimis longo ante bellum Troianum tempore propter insolentiam et iniustitiam interempti una cum rege Eurymedonte, cuius filia Periboea ex Neptuno Nausithoum pepererit, patrem Alcinoi, Phaeacum regis, eius qui Ulixem hospitio excepit. Dicuntur autem Gigantes pariter atque Cyclopes et Phaeaces *θεοῖς ἐγγύθεν εἶναι*, h. e. propinqua cognatione deos attingere[45]), id quod originem horum trium populorum non eandem quam reliquorum hominum indicare videtur. Iam vero quae Gigantibus origo ab Hesiodo tribuitur, e castrati Coeli sanguine, eadem Phaeacibus ab Alcaeo et Acusilao tributa est; quumque causa nulla sit, quominus hanc rem ex vetustis fabulis petitam credamus, licebit, opinor, suspicari, eandem etiam Homero notam fuisse, quamvis neque ipsam diserte commemoret, et ne Coeli quidem castrati mentionem ullam faciat. Est enim res ex earum genere, de quibus haudquaquam tuta sit ex silentio coniectura[46]). Sic igitur etiam Cyclopes Ho-

---

42) In dissert. de nymphis Meliis, Gigantibus et Erinysin. ann. 1845 edita.

43) In aliis carminibus Hesiodo adscriptis *Βροτός* memorabatur, Aetheris et Diei filius, (Etym. M. p. 215, 37), quem vix dubitari potest quin primum hominum parentem esse voluerint. Sed eiusmodi discrepantia in tanta Hesiodeorum carminum varietate nemini mira videbitur. De gigantibus autem memorabilis locus est in fragmento Pindarico nuper a Schneidewino edito, Philolog. I, 3 p. 437, ubi quum variae de prima hominum origine fabulae percenseantur, unus eorum, *οὓς Γαῖ᾽ ἄνδωκε πρῶτα*, Alcyoneus est, *πρεσβύτατος γιγάντων*.

44) Od. VII, 56 sqq.

45) Od. VIII, 205. Phaeaces *ἀγχίθεοι*, Od. V, 35, quod Vossius olim, Alte Weltk. a. Sched. crit. II p. 292 aliter accepit: secura felicitate diis similes: *(an sorgloser Glückseligkeit den Göttern nahe.)*

46) Valet de his Strabonis iudicium, quamvis ab ipso non recte semper adhibitum, XII, 3 p. 34 Tauchn.: *τὸ μὴ ὀνομάζειν δὲ πολλὰ τῶν γνωρίμων οὐκ*

16 merici eodem modo orti videbuntur: neque obstabit huic sententiae, quod unus eorum, Polyphemus, Neptuni et Thoosae filius dicitur. Nam exemplum plane geminum videmus in Centaurorum fabula, quorum unus, Chiron, Saturni et Philyrae filius est, quum reliqui nubem ab Ixione compressam matrem habeant. — Sed de humani generis origine, quam nonnulli, in quibus etiam Hesiodus, a Gigantibus repetiisse videntur, Homerum aliter statuisse credo. Siquidem Gigantes uno cum hominibus tempore in terris floruisse ex eo colligitur, quod illi tertia demum ante Ulixem aetate deleti sunt, quo tempore, si quis chronologicis rationibus aliquem in fabulosa historia locum concedat, vixisse reperiuntur Minos, Pelops, Laomedon aliique multi. Nisi quis forte Gigantum duplicem propaginem fuisse sumat, alteram humanam, dissimilem parentibus, alteram autem pari cum his natura, et hanc quidem perdurasse usque ad Eurymedontem. Sed diversae opinionis indicium suppeditat proverbialis illa loquutio *ἀπὸ δρυὸς ἠδ᾽ ἀπὸ πέτρης*, Od. XIX, 163, quam de ortu hominum ex arboribus et lapidibus veteres omnes vere, ut arbitror, interpretati sunt [47]). — Denique Erinyes nominantur quidem ab Homero saepenumero, sed unde genus trahant, nusquam apparet. Apud Hesiodum autem, si recte Poenas Noctis filias easdem cum Erinysin esse sumpsimus, duas fabulas diversas male contaminatas habemus, quarum vetustiorem ego quidem hanc esse crediderim, quae Noctem illis matrem dat.

Nocti etiam alii ab Hesiodo liberi ac nepotes dati sunt non pauci, quorum Homerus nullos memorat nisi hosce: primum Mortem et Somnum, qui fratres esse dicuntur Il. XIV, 231, deinde Somnia, quorum populus in Orci aditu habitat, Od. XXIV, 12; *Κῆρας* porro, sed ambigua personarum significatione [48]), et *Μοίρας*, de quibus

---

ἀγνοίας ἐστὶ σημεῖον. et p. 35: *μοχθηρῷ σημείῳ χρῆται πᾶς ὁ ἐκ τοῦ μὴ λέγεσθαί τι ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ ἀγνοεῖσθαι ἐκεῖνο ὑπ᾽ αὐτοῦ τεκμαιρόμενος.*

47) Conf. diss. de nymphis Meliis etc. p. 12. Rationem quidem huius opinionis satis ineptam multi excogitarunt, velut schol. Ven. et Eustath. ad Il. XXII, 126. schol. Ambr. et Eustath. ad Od. XIX, 163; sed ipsa tamen opinio nihilo secius agnosci debet. — Ceterum duos Homerus ipsius terrae partu editos memorat, Erechtheum, quem *ἔτεκε ζείδωρος ἄρουρα*, Il. II, 548, et Tityum, *γαιήϊον* s. *γαίης ἐρικυδέος υἱόν*, Od. VII, 324. XI, 575. Sed uterque, et maxime Tityus, a vulgari hominum genere diversi sunt.

48) Cf. Naegelsbach. Theol. Hom. p. 128 sq., qui recte monet, non plane eandem *Κηρῶν* notionem apud Homerum esse, quam apud Hesiodum.

postea dicendum erit; denique *Ἔριν*. Sed haec quidem Martis soror dicitur Il. IV, 445, V, 518, unde apparet, non Noctis filiam habitam esse: de reliquis, quorum genus non indicatur, si quis convenisse Homero cum Hesiodo credat, equidem haud repugnabo [49]. Eridis filiam Hesiodus *Ἄτην* facit cum magna multitudine malorum et molestiarum, quae omnes apud Homerum res tantummodo, non personae sunt, praeter unam *Ἄτην*. Sed haec Iove nata perhibetur, qua de re mox videbimus.

Sequitur apud Hesiodum Ponti e Terra progenies, filii tres, Nereus, Thaumas, Phorcus, filiaeque duae, Ceto et Eurybia, quibus omnibus aut maris quasdam proprietates aut res e mari oriundas significari manifestum est. In Homeri carminibus neque Pontus usquam deus appellatur, neque liberorum eius mentio fit, praeterquam Phorci, cuius filia Thoosa ex Neptuno Polyphemum peperit, et Nerei, cuius filiae Nereides sunt. Nam quod veteres quidam Homeri interpretes nomen harum patronymicum esse negant, ipsasque aut Phorci aut etiam Protei, quem Hesiodus ignorat, filias esse, patrem autem Nereum ab Hesiodo ex nomine earum male intellecto confictum volunt, nemini facile persuadebunt [50]. Maiore iure de Ponto dubites, fueritne ab Homero in deorum numero habitus, an nihil nisi mare ipsum sit, divina persona carens. Sed mihi quidem haud improbabile videtur, in ea theogonia, cuius apud Homerum dispersa tantum et tenuia vestigia apparent, etiam Ponto deo locum fuisse, ut Oceani et Tethyis aut etiam Terrae filio. Nam mare omne, abs quo ille nomen habet, originem ab Oceano ducere Homero videbatur [51], contra quam Hesiodo, qui dulces tantum aquas Oceano et Tethye gigni, Pontum autem sine patre ex Terra nasci facit, quemadmodum etiam posteriores quidam physici,

The margin figure "17" stands beside the line "omnibus aut maris quasdam proprietates aut res e mari oriundas signi-" 17

49) Naegelsbach. l. l. p. 78 Noctem apud Homerum Somniorum matrem esse negans ablegat nos ad ea, quae ipse ad Il. II, 6 exposuerit. Sed nihil ibi de Somniorum parentibus disputatum, neque omnino quidquam prolatum esse videas, quod isti sententiae adversetur.

50) Schol. V. ad Il. XVIII, 38: *πλανηθέντες οἱ περὶ Ἡσίοδον Νηρέως ἀνέγραψαν θυγατέρα[ς] καὶ Θέτιν [καὶ τὰς Νηρεΐδας], τοῦ ποιητοῦ παρὰ τὸ νεῖν τὴν λέξιν ποιησαμένου, ὅθεν καὶ νῆσος καὶ ναρὸν, τὸ ῥευστικόν. ἦσαν δὲ Πρωτέως, φησὶν, ἢ Φόρκυνος. οὗτοι γὰρ γέροντες ἐνάλιοι κτλ.*

51) Il. XXI, 196: *μέγα σθένος Ὠκεανοῖο,*
ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα,
καὶ πᾶσαι κρῆναι καὶ φρείατα μακρὰ νάουσιν.

similem rationem sequuti, mare salsum Terrae sudorem dixerunt [52]. Neque obstat illi coniecturae, quod in Homerica theogonia etiam Terram ac Coelum Oceanus genuisse videtur, qua de re paullo ante diximus. Quidni enim, his generatis, Pontum quoque gignere potuerit? qui quidem Coeli frater, uterinus saltem, etiam apud Hesiodum est. Verumtamen fatendum est, aliquid difficultatis aliunde obiici. Quippe eo, quem supra significavimus, loco, Il. XXI, 196, ex Oceano non solum mare omne, sed fluvii quoque et fontes derivantur, unde consequens videri debet, ut, quemadmodum Pontum illius filium creditum esse propter hunc locum coniecimus, sic etiam fontium fluviorumque numina eiusdem filii filiaeque dicantur, ut ab Hesiodo factum videmus. Atqui apud Homerum contra est. Nam qui unus apud eum fluvius cum patris nomine memoratur, Xanthus s. Scamander, Il. XIV, 434, Iovis, non Oceani filius est; [52b] itemque nymphae Naiades, Crenaeae, Orestiades Od. XIII, 356. XVII, 240, Il. VI, 420, *κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο* sunt: quae autem Oceani filiae dicuntur, Perse et Eurynome, Od. X, 139. Il. XVIII, 399, has ab hoc minutarum nympharum genere, quibus ab Hesiodo immixtae sunt, longe diversas et dignitatis multo amplioris esse apparet. Sed inconstantiam in huiusmodi rebus quisnam mirabitur? in Homero praesertim, h. e. in iis carminibus, quae neque hominis, neque temporis aut loci unius esse constat. Ceterum, quoniam Eurynomae et Persae mentionem iniecimus, harum altera, quae apud Hesiodum Gratiarum mater est, et in alia quadam theogonia Ophionis, eius qui ante Saturnum mundi imperium habuit, coniux fuit, cur locum
18 in Oceanidibus obtinuisse videatur, alibi exposui [53]: Perse autem, sive, ut ab Hesiodo dicitur, Perseis, similem mihi significationem habere videtur, quam, qui et ipse ex alia quadam fabularum serie in Hesiodi theogoniam ascitus est, Perses, Crio, Titanum uno, et Eurybia, Ponti filia, natus, Astraei et Pallantis frater [54]. Nam Crius et Eurybia quin ad mare pertineant, eiusque magnam vim et potestatem significent, dubitari vix posse arbitror. Horum filius Astraeus s. Sidereus pro-

52) Lucret. V, 488. Idem de fontibus dicit schol. Il. XI, 183. cf. Karsten. Empedocl. p. 153. 300. 438. Ideler. ad Arist. Meteor. II p. 581.

52b) Itaque Simoentem quoque, Xanthi fratrem Il. XXI, 2 et 308, Iovis filium esse apparet.

53) In dissert. de Ocean. et Nereid. catal. p. 14.

54) De his omnibus conf. dissert. de Titanibus Hes. p. 20.

pterea dicitur, quod sidera et oriri e mari et ali etiam maris exhalatione videbantur. Alter filius, **Pallas** s. **Vibruus**, vim illam significat, qua sidera ab ortu ad occasum per coeli convexa quasi vibrantur: **Perses** denique, quem **Trameum** s. **Penetrium** interpretari licet, eam vim, qua, posteaquam occiderunt, rursus occulta quadam via ad eundem unde orta erant locum revertuntur. Hanc igitur revertendi et trameandi vim etiam in Perseide s. Perse, Oceani filia, agnoscere mihi videor: quae quoniam ad Solem non minus quam ad sidera pertinet, Soli haec coniux data est [55]), ex quo Aeeten et Circen peperit, quarum sedes in iis regionibus sunt, quas Sol aut oriens primas, aut occidens postremas invisit.

Sed redeundum est ad Ponti progeniem, ex qua duorum tantum filiorum Homerum meminisse vidimus, Nerei et Phorci. De illius filiabus, Nereidibus, praeter **Thetin** aliae nominantur tres et triginta, partim iisdem, quae Hesiodus refert, nominibus, partim diversis [56]). Phorci unam Homerus filiam nominat, **Thoosam**, Hesiodo ignotam, quam Polyphemi ex Neptuno matrem esse iam supra diximus. Coniugem autem eandemque sororem Phorci, **Cetonem**, nusquam memorat, neque alias vel filios horum vel posteros, qui magnam Hesiodeae theogoniae partem implent, praeterquam hosce. Primum **Gorgonem**, quae aut ipsa aut caput eius, horrendo aspectu, apud inferos esse videtur [57]), effigies autem, sicut Iovis aegidi, ita etiam Agamemnonis scuto imposita [58]), terrendis scilicet adversariis. Obtruncatam, ut Hesiodus refert, a Perseo nusquam Homerus memorat; ignotam ei fabulam fuisse vix tuto colligas, siquidem Persei saltem meminit ut *πάντων ἀριδεικέτου ἀνδρῶν*, Il. XIV, 320, quamquam loco veteribus criticis suspecto [59]). Memoratur porro canis inferorum, sed nomine celato, quem **Cerbe-** 19

---

55) Od. X, 138. 9. Theog. 957.

56) Il. XVIII, 39—49, quos versus Zenodoti obelo notatos esse scholiastae memorant.

57) Od. XI, 633, de quo loco varias veterum ac recentiorum interpretum sententias examinare nunc non opus est.

58) Il. V, 741. XI, 36.

59) Conf. Lobeck. Aglaoph. p. 286. Idem vir summus, cui equidem me meaque probari prae ceteris cupio, p. 317 not. a. Heynium reprehendit propter iudicium in obss. ad Apollodor. p. 118 prolatum: **Quod Hesiodum primum fabulae de Gorgone et Perseo auctorem edunt viri docti, auctore Hesychio** (s. v. *Γοργώ* et *Γοργείη κεφ.*) **parum docte faciunt, qui Homerum**

rum Hesiodus dixit, Il. VIII, 367. Od. XI. 623[60]). Denique Chimaera Il. VI, 179 sqq., πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα, qualem monstri figuram etiam Hesiodus describit, Th. v. 321 sq. Sed nullius horum parentes ab Homero indicantur. Neque Thaumantis, qui item apud Hesiodum Ponti filius est, eiusque uxoris Electrae, Oceani filiae, ulla ab Homero mentio fit, licet eas, quae his ab altero poeta filiae dantur, Harpyias, in quibus Podargen, Hesiodo ignotam, itemque Iridem, deorum nuntiam, aliquoties nominet[61]).

In Ponti progenie apud Hesiodum etiam Echidna est[62]), quae Typhoeo, Tartari filio, copulatur. Illam Homerus nunquam, Typhoeum uno loco nominat, Il. II, 782. 3, sed obiter et sine patris mentione. Verumtamen quum cubile eius ἐν Ἀρίμοις commemoret, quo in loco etiam Echidna habitare ab Hesiodo dicitur, infestumque eum Iovi esse et fulminibus verberari significet, non temere coniicias, etiam fabulam de certamine eius cum Iove, cuius Hesiodus testis est, Homero non ignotam fuisse.

Ponti posteris percensitis sequuntur apud Hesiodum ii, qui a Titanibus originem ducunt, et primum quidem ab Oceano. Sed hunc Homero in Titanibus non esse, sed progenitorem potius, sicut ceterorum omnium, ita etiam Titanum haberi iam supra vidimus. Reliquorum, qui in his ab Hesiodo numerantur, nulla ne minima quidem apud Homerum mentio fit, praeter Iapetum et Saturnum: qui autem liberi Titanum ab illo perhibentur, quamquam nonnulli etiam Homero noti sunt, sciri tamen non potest, eandemne iis an aliam originem tribuerit: quamobrem hos omnes nunc silentio praetermittimus. Neque ex Iapeti filiis ullum Homerus memorat praeter Atlantem, sed ne hunc qui-

---

fabulas has ignorare h. e. iis non uti ait." Sane mentem Hesychii Heynius non percepit; nam is reapse excogitasse Hesiodum hunc fabulam, non solum narrasse primum e superstitibus poetis dicit. Cf. Mützell. de em. theog. Hes. p. 447. Sed hoc Hesychii testimonium non plus ponderis habere potest, quam veterum grammaticorum de Nereo sententia, cuius supra mentionem feci: eum autem, cui Persei fama nota erat, facinus Persei nobilissimum, etiamsi non diserte memoret, notum tamen fuisse, non intelligo qua ratione diffiteamur. Et video sic etiam Lennepium iudicare p. 238.

60) Cf. Pausan. III, 25, 4.

61) Il. XVI, 150. Od. I, 241. XX, 77.

62) Non satis liquet, utrum Phorci eam et Cetonis, an Chrysaoris et Callirrhoae filiam dicat: sed illa tamen verior interpretatio videtur. Cf. Mützell. p. 452.

dem cum patris designatione: quaeque de eo narrantur, nonnihil ab Hesiodeis discrepare videntur, qua de re nunc accuratius disputare nihil opus est[63]). Filiam eius **Calypso** dicit, quo nomine nympham apud Hesiodum in Oceanidibus habemus, plane, ut apparet, ab hac Homerica diversam.

Pervenimus iam ad Saturni et Rheae liberos, qui sex sunt apud Hesiodum, **Vesta, Ceres, Iuno, Pluto, Neptunus, Iupiter.** Ex his Homerus Vestam nec nominat nec nosse videtur, id quod iam ab aliis observatum est. Cererem iisdemne an aliis parentibus natam credat, nusquam apparet: neque tamen causa est, cur fabulam ceteris omnibus communem non ab ipso quoque acceptam statuamus. Reliqui quattuor disertis verbis Saturni et Rheae liberi esse dicuntur, sed ordo nascendi diversus est. Nam apud Hesiodum prima Vesta nascitur,
deinde Ceres, post hanc Iuno, quartus Pluto est, quintus Neptunus, 20
Iupiter autem omnium postremus: idque non casu sed consulto factum esse ex iis apparet, quae mox narrantur, ut devoraverit Saturnus liberos recens natos, utque Iovem demum mater servaverit, is autem, simulatque adoleverat, evomere patrem liberos ante se natos coegerit[64]). Apud Homerum contra, Il. IV, 60, Iuno sese aut omnium aut filiarum saltem natu maximam esse praedicat, et, si quis de huius loci interpretatione ambigat, — nam est sane ambiguus[65]), — Iupiter certe disertis verbis maximus natu de tribus fratribus esse dicitur, secundus Neptunus, tertius Pluto[66]): unde manifestum est, fabulam istam de

63) Conf. Naegelsbach. th. Hom. p. 81 sqq., cuius sententiam ego admodum probabilem censeo.

64) Eundem ordinem hymn. H. in Venerem servat, v. 21, fabulam eandem respiciens: item Apollodor. I, 1, 5. Callim. H. in Iov. v. 58 aliique.

65) Schol. A. ad Iunonis verba, *καί με πρεσβυτάτην τέκετο Κρόνος ἀγκυλομήτης ἀμφότερον, γενεῇ τε καὶ οὕνεκα σὴ παράκοιτις κέκλημαι*, primum haec annotat: *πρεσβυτάτην, τιμιωτάτην νῦν. πλαγιασθεὶς δὲ ἐντεῦθεν Ἡσίοδος νεώτερόν φησι τὸν Δία.* deinde haec: *γενεῇ ἀντὶ τοῦ γένει. ἐκ Κρόνου γάρ.* Item Schol. B. L. *γενεῆς* significationem non unam esse monent, quum et de aetate dicatur, ut Il. II, 707, *ὁπλότερος γενεήν*, et de genere, ut Il. XI, 796, *γενεῇ μὲν ὑπέρτερος*, et aliis modis pluribus. Recentiores interpretes plerique de **genere** h. l. acceperunt, etiam Wolfius in scholis tom. II p. 235: ego utrum verius sit certo sciri non posse arbitror. Ovidius quomodo acceperit e Fastis apparet, VI, 29, ubi Iuno gloriatur: **Saturnum ego prima parentem feci, Saturni sors ego prima fui.**

66) Il. XV, 166. 187. 8. XIII, 355.

liberis devoratis rursusque eiectis Homero ignotam fuisse. Nec minor est utriusque poetae dissensio de Iovis coniugiis. Nam apud Hesiodum Iupiter primam Metin ducit, idque factum videmus posteaquam, patre deiecto, ipse rerum potitus est: siquidem et *θεῶν βασιλεὺς* a poeta dicitur has nuptias narrante v. 886, et mox praegnantem Metin devorat, ne regnum sibi a filio, quem paritura esset, eripiatur, v. 892. Deinceps Themidem, Eurynomen, Cererem, Mnemosynen, Latonam; postremam autem omnium Iunonem sibi copulat. Contra apud Homerum Iunonem iam tum amplexus esse dicitur, quum ambo adhuc sub paterno imperio essent: quam ob causam furtim concumbunt, *φίλους λαθόντε τοκῆας*, Il. XIV, 296. Et Iunonem sub matris custodia etiam eo tempore esse videmus, quum patrem Iupiter deiicit: nam commendatam sese tunc a Rhea Oceani et Tethyis tutelae esse ipsa memorat Il. XIV, 202. Quod autem veteres quidam interpretes [67]) post furtivos illos congressus, deiecto iam in Tartarum Saturno, etiam iustas solemnesque nuptias celebratas esse volunt, Oceano et Tethye desponsantibus, idque comparant cum Samiorum more, ut proci cum puellis clanculum ante nuptias concumberent: est illud quidem haud improbabile, fabulam divinam ad similitudinem humani moris confictam esse, neque tamen sufficit ad conciliandum, quemadmodum illi volunt, cum Hesiodo Homerum. Nam si quam rationem physicam huic de Iovis Iunonisque nuptiis fabulae inclusam esse concedimus, id quod sane concedendum est, eadem ratio, qua Iupiter statim adolescens cum Iunone congressus esse fingebatur, non patiebatur iustas nuptias
21 tam diu differri, interpositis tot aliis coniugiis, liberisque plurimis susceptis. Restabit igitur, ut cum aliis quibusdam veteribus *τοκῆας* illo, quem citavimus, loco non de parentibus, Saturno et Rhea, sed de proavis, Oceano et Tethye, accipiamus. Ita sane non difficile erit dissensionem istam componere: poterimus enim et clandestinum istum concubitum et subsequens matrimonium cuilibet quamvis sero tempori assignare. Vereor tamen magnopere, ut haec interpretatio

67) Schol. B. L. V.: *λάθρᾳ ἐμίγη, ὅτε δὲ ἐταρταρώθη ὁ Κρόνος, ὡς παρθένος ὑπονοουμένη ἐξεδόθη Διὶ παρὰ Τηθύος καὶ Ὠκεανοῦ. — ἄλλοι τὸν Δία φασὶν ἐν Σάμῳ λάθρᾳ τῶν γονέων ἀποπαρθενεῦσαι τὴν Ἥραν, ὅθεν Σάμιοι μνηστεύοντες τὰς κόρας λάθρᾳ συγκοιμίζουσιν, εἶτα παῤῥησίᾳ θύουσι τοὺς γάμους. Τοκῆας οὖν τοὺς περὶ Κρόνον καὶ Ῥέαν. ἔνιοι δὲ τοὺς προγόνους, τοὺς περὶ Ὠκεανὸν καὶ Τηθύν.*

vera sit, videorque mihi agnoscere duas tractandarum fabularum rationes plane inter se diversas. Nempe deorum regis, eius quem omnes Graeci communi nomine Δία, h. e. nihil aliud quam Deum appellabant, aliae olim alibi uxores habebantur, ut quaeque dea in maximo apud quemque populum honore erat Iovisque consortio digna aestimabatur. Hanc opinionum varietatem susceperunt deinde poetae, qui quum fabulas alias alibi natas contexere inter se et concinnare conarentur, fieri non potuit, quin pro fundamento ponerent eas potissimum, quae ipsis patriae et apud populares suos receptae essent, ceteras autem his quantum possent accommodarent. Itaque si Iovis uxorem in patria sua Iunonem, apud alios autem alias celebrari viderent, conciliandarum fabularum rationes duas habebant. Aut enim fuisse quidem alias olim Iovi nuptas profitebantur, sed postea dimissas, aut ne fuisse quidem illas uxores legitimas, sed pellicum loco amatas, quales amores, sicut inter homines nullae leges vetabant, ita in diis quoque non magnopere illius aetatis animos offendere potuisse facile apparet. Utraque ratio a nobilioribus poetis, et quorum carmina ceteris pro exemplo essent et quasi viam praeirent, ascita et ad posteros propagata est. Alteram Homerus sequitur, qui quum Iovem statim adolescentem cum Iunone copulet, ceteras videri debet pro pellicibus habuisse: alteram Hesiodus amplexus est, apud quem Iunonem Iupiter omnium postremam in matrimonium ducit, neque liberos postea ex aliis deabus procreat, praeterquam ex Maia Mercurium. Sed haec Atlantis filia, Iapeti neptis, minoris sine dubio dignitatis inferiorisque loci esse videbatur, quam illae, quae ante Iunonem Iovi nupserant, ut Maiam quidem pellicem eius haberi sine iniuria liceret, illas autem maiorum gentium deas necesse esset uxores legitimas, quamvis mox dimissas credi. — Ceterum ordinem quoque in enumerandis septem Iovis uxoribus Hesiodus eum sequitur, quem non casu ac temere, sed prudenti consilio institutum esse facile intelligas. Nam deorum hominumque moderatori ante omnia prudentiam adesse oportebat, quo ordinare regnum et stabilire posset. Hanc ob causam **Metin**, h. e. nihil aliud quam prudentiam, primam uxorem capit, moxque etiam penitius sibi copulat ac totam plane imbibit, quo facto Minervam, maternae paternaeque prudentiae participem ac ministram, de suo ipse capite procreat. Proxima **Themis** est[68]),

68) A Pindaro hanc primam Iovis uxorem habitam esse ex hymn. fr. 2 p. 561 Boeckh. coniicit Caesar in Diurn. antiqu. 1843 p. 405. Sed interpretatio illius fragmenti non satis certa est.

dea iustitiae seu legis aeternae atque immutabilis, qua rerum omnium naturam pariter ac vitam hominum regi oportet. Huius legis virtute quum temporum varietates coelique mutationes recto ordine convenienterque et concorditer procedunt, tum in hominum societate ius fasque et concordia vigent, id quod significatur Horis tribus a Iove
22 ex Themide procreatis, *Εὐνομίῃ, Δίκῃ, Εἰρήνῃ*. — Neque minus ex hac lege hominibus sua cuique sors obtingit, unde *Μοῖραι* quoque s. Parcae Iovis ex eadem Themide filiae dicuntur: quamquam alii, et ipsa quoque theogonia alio loco, v. 217 sq., aliam Parcis originem, Iove ceterisque diis antiquiorem, ex Nocte et Erebo assignarunt. Scilicet etiam dii aeternae fatorum legi obnoxii sunt, cuius legis ortum, quoniam in obscuro est ipsisque mundi primordiis aequalis, non inepte ad Noctem, Chaus vetusti filiam, referebant. — Tertia Iovis uxor Eurynome est, ex antiquiore quadam theogonia ascita, et significatione non satis certa, sed cui locus in hac uxorum enumeratione propter filias denegari non poterat. Nam Gratias Iovi peperit, quae, sicut Parcae sortem, Horae autem iustitiam, aequitatem, concordiam, sic hae quidquid iucundum et delectabile est hominum vitae dispensant. — Sequuntur quae aut alimenta corporibus procurant frugum proventu, aut animos rerum cognitione et scientia instruunt, Ceres et Mnemosyne, quarum altera Proserpinam, altera Musas parit[69]). — Sexta Latona est, mater Apollinis et Dianae, quorum vis et natura minus certam ac definitam habet ad certas quasdam necessitates vitae humanae relationem, quam ob causam neque primo loco, ante Themidem, numerari, neque media ceteris interponi Latona apte poterat, sed debebat post has omnes et proxime ante Iunonem collocari. De Iunonis autem ex Iove liberis, Hebe s. Iuventa, Ilithyia, Marte, deque Vulcano, quem ipsa ex sese absque Iovis amplexu procreasse dicitur, non opus est nunc accuratius disputari, sed videndum tantummodo, quatenus cum his fabulis Homeri theogonia aut conspiret aut discrepet.

Ac primum quidem Metidis nullam ab Homero mentionem factam videmus. Minervam enim quamvis filiam Iovis saepissime dicat, tamen nec matrem eius usquam nominat, nec quo modo nata sit significat, ut dubitari possit, noveritne et probaverit fabulam illam, quae apud Hesiodum legitur, an aliter statuerit. Nam quod grammatici quidam *Τριτογένειαν* interpretantur ex capite natam, nullius ad hanc quaestionem

69) Fuisse qui primam omnium Cererem Iovi nupsisse dicerent, Servius docet ad Verg. Georg. IV, 58.

momenti est[70]). Verumtamen, quum alios Minervae natales in fabulis vetustis ac genuinis olim traditos fuisse nullo ne tenuissimo quidem vestigio probetur[71]), equidem Homerum eandem cum Hesiodo fabulam tenuisse arbitror, quam quod nusquam diserte memorat, mirari tum demum liceret, si quam memorandi causam fuisse videremus, quae demonstrari nulla potest. Neque praetermittenda sunt verba Iunonis, Iovem alloquentis, Il. V, 880, *ἐπεὶ αὐτὸς ἐγείναο παῖδ' ἀΐδηλον*; nam *αὐτός* non temere h. l. pro *μόνος* dictum accipietur, quamvis veteribus quibusdam criticis hanc interpretationem improbatam esse scholia doceant[72]). Certe coniunctiorem Iovi Minervam et cariorem 23
quam ceteros deos esse non semel apud Homerum apparet, unde fit, ut, si quando minus haec patri obtemperet, tanto aegrius id ab eo feratur[73]). Quae autem ratio isti fabulae inclusa sit, ut matre devorata filiam ipse peperisse diceretur, non inepte veteres allegorici exposuerunt[74]). Sed in theogonia devorandae Metidis non hanc solum causam habuisse Iupiter dicitur,

ὥς οἱ συμφράσσαιτο θεὰ ἀγαθόν τε κακόν τε,

---

70) Cf. Nitzsch. ad Od. tom. I p. 213. Hermann. de Graeca Minerva opusc. VII p. 277. Grimm. Deutsche Mythol. I p. 148.

71) Nam Mnaseae commentum, de Coryphe, Oceani filia, et si quae sunt similia, in genuinarum fabularum numero non habenda esse apparet.

72) Schol. B. L. ad Il. l. l.: *αὐτὸς ἐγείναο: τοῦτο δέδωκεν ἀφορμὴν Ἡσιόδῳ τὸ αὐτὸς ἀντὶ τοῦ μόνος λαβεῖν, ὅπερ ὁ ποιητὴς οὐκ οἶδεν, ἀλλὰ λέγει, ἀνιεῖς αὐτὴν, ἐπεὶ σὺ ἀΐδηλον αὐτὴν ἐγέννησας.* Sed schol. A. ad v. 875: *ἐμφαίνει ὡς ἐκ μόνου τοῦ Διὸς γενομένης τῆς Ἀθηνᾶς.* Cf. schol. ad VIII, 31.

73) Vid. Il. VIII, 405 et. 372. Hinc etiam dubitarunt grammatici de Il. I, 400, ubi Minerva olim cum Iunone et Neptuno Iovem vincire voluisse dicitur, Apollinemque pro ea nominatum maluerunt. Quamquam non hanc unam dubitandi causam fuisse facile concedo. Cf. Lobeck. Aglaoph. p. 287 not. c. Düntzer. de Zenodot. stud. Hom. p. 101.

74) Singulos laudare supervacaneum est. Revocat autem mihi hic locus memoriam Chrysippeae disputationis, a Galeno excerptae, de Hippocr. et Plat. dogm., tom. V p. 349 Kuehn., versuumque undeviginti, quos ille pro Hesiodeis citaverat, de Minervae natalibus. Hos enim versus plerique pro manifestissimo documento habuerunt, longe diversum ab eo, quod nos habemus, theogoniae exemplum a Chrysippo lectum esse: unus, quod sciam, Mützellius, de em. theog. p. 367, non ex theogonia, sed ex alio quodam carmine, theogoniae olim subiuncto, eos citari indicavit, cuius iudicii veritatem ego mihi videor certissimis argumentis ex ipsis Chrysippi verbis desumptis comprobasse, in diss. de fals. indic. lacun. th. H., ann. 1843 edita, p. 21—25. — Ceterum postremos quattuor versus, de quorum emendatione multi frustra laborarunt, nunc ita emendandos censeo:

sed etiam cavere voluisse, ne quem illa filium pareret patre fortiorem: cui narratioui haec ratio subest, quod imperium ac potestas Iovis absque sapientia constare non posse intelligebatur. Quodsi filium Metis pareret, hunc consentaneum erat pari cum matre sapientia fore, ideoque patre etiam sapientiorem: quandoquidem plus de matris ingenio cum filio quam de uxoris cum marito communicatur. Sapientior autem patre non poterat non etiam potentior evadere. Hanc ob causam Iupiter matrem ipse totam imbibit sapientiamque eius suam sibi propriam facit: quo facto filium illa parere non iam potest, quae autem ex ipso filia nascitur, particeps quidem sapientiae, quam pater imbiberat, nequaquam tamen patre sapientior fit [75]).

Horae memorantur quidem ab Homero, sed neque numerus earum neque parentes neque nomina indicantur. Unum iis munus tribuitur, ut Coeli Olympique portas pandant recludantque, densa nube aut remota aut obducta, Il. V, 749. VIII, 392; easdem temporis decursum moderari ex Il. XXI, 450, intelligitur:

24 *ἀλλ' ὅτε δὴ μισθοῖο τέλος πολυγηθέες Ὧραι*
ἐξέφερον.

Denique Il. VIII, 432 revertentibus per Olympi portas Iunoni et Minervae equos de curru solvunt, utpote inferioris ordinis deae, et maioribus ad tempestiva ministeria facile paratae. Sed ad mores hominum regendos vitamque iustitia, aequitate, concordia temperandam munus earum apud Homerum non videtur pertinere.

Parcarum quoque mentio frequentissima, sed de stirpe, de numero, de nominibus singularum idem silentium: quumque unius earum apud Hesiodum nomen *Κλωθώ* sit, Homerus plures communi nomine

---

Ἔνθα θεὰ παρέλεχθ', ἣ μὲν (pro *παρέλεκτο Θέμις*) *παλάμαις περὶ πάντων*
ἀθανάτων ἐκέκασθ', οἳ Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσιν.
αἰγίδα δ' ἀσκήσασα (pro *ποιήσασα*) *φοβέστρατον ἔντος Ἀθήνῃ,*
σὺν τῇ γείνατό μιν, πολεμήϊα τεύχε' ἔχουσαν.

Auctorem horum versuum post Stesichorum vixisse oportet, si verum est, quod schol. Apollon. IV, 1310 ait: *πρῶτος Στησίχορος ἔφη σὺν ὅπλοις ἐκ τῆς τοῦ Διὸς κεφαλῆς ἀναπηδῆσαι τὴν Ἀθηνᾶν.* Scilicet de armata Minerva Stesichorus loquutus est: ex capite Iovis natam esse iam Hesiodus disertis verbis testatur, lapsusque memoria Vossius est, sched. crit. I p. 139, quum Hesiodo pariter atque Homero hanc fabulam notam fuisse negat.

75) *Φρονεῖν δὲ κἀμοὶ Ζεὺς ἔδωκεν οὐ κακῶς*, ipsa ait apud Aeschylum, Eum. v. 812.

Καταχλῶθας appellat, Od. VII, 197[76]), coniungitque cum *Αἴσῃ*, tanquam alias, licet alibi *Αἶσαν* et *Μοῖραν* promiscue usurpet, et *Μοῖραν* multo saepius singulari quam plurali numero dicat. Ceterum quum etiam apud Hesiodum duas diversas de Parcarum genere fabulas proponi videamus, neque apud posteriores unquam una de iis opinio certa ac stabilis invaluerit, Homerum, qui fatorum vim ac numen magis obscuro animi sensu suspicatus esse, quam certam vel unius vel plurium personarum speciem informasse videtur, non sane mirum est de genere et ortu Parcarum nihil prodidisse. Neque Gratiarum aut parentes Homerus nominat, aut numerum definit[77]), quamquam amplius tres fuisse, quot habet Hesiodus, facile colligas ex Il. XIV, 268. 269. 275. 276, ubi una ex iunioribus Gratiis nominatur, Pasithea, quae non est in tribus Hesiodeis, Aglaia, Euphrosyne, Terpsichore. Quam variae autem etiam posteriorum de Gratiis sententiae fuerint, nemo ignorat.

De Proserpina ambigi potest, Cererisne eam filiam, ut Hesiodus, sic etiam Homerus crediderit. Nam licet Cererem in iis numeret, quas Iupiter amplexus sit, Il. XIV, 326, Proserpinamque Iovis filiam esse testetur, Od. XI, 217, tamen Cerere hanc natam esse nusquam perhibet, neque temere Prellerus, vir subtilissimus[78]), numen eius et munus apud Homerum tam diversum videri iudicavit ab eo, quod posteriores ei tribuerunt, ut vix ratio appareat, cur Cereris eam filiam ab Homero habitam esse credamus: quippe pertinere hanc originem ad eam opinionem, qua frugum in terrae sinu absconditarum rursusque in lucem prodeuntium vices moderari Proserpina credebatur, cuius opinionis nullum apud Homerum vestigium esse, sed hoc unum de Proserpina praedicari, esse eam inferorum reginam, horrendam hominibus et formidabilem. Sed fatendum est tamen, incertam et lubricam esse hanc disputationem. Nam sicuti apud posteriores Proserpinam duas quasi personas sustinere videmus, inferorum reginae et frugum obeuntium et renascentium moderatricis, neque difficile est ad explicandum, qui fieri potuerit, ut, si hoc alterum ab initio proprium munus habuit, abs quo Cereris filia dicta est, postea etiam regnare in terrae sinu apud inferos crederetur, ita hoc ipsum iam ante Homerum factum esse, etiamsi demonstrari nequit, non tamen prorsus incredibile videri debet. 25

76) De h. l. cf. Nitzsch. tom. II p. 155 et Maetzner. de Iove Homeri p. 75.
77) Cf. schol. V. ad Il. XIV, 183 et B. L. V. ad 276. Eustath. p. 976, 37.
78) Demeter und Persephone p. 6 et p. 10 sqq.

Nam quod in carminibus Homericis semper tantum ut Orci regina inducitur, altero munere nusquam significato: ne causa quidem huius significandi ulla demonstrari poterit, ideoque haudquaquam certum ex huiusmodi silentio argumentum peti fatebimur[79].

Sequuntur apud Hesiodum Musae, Iovis ex Mnemosyne filiae, quarum in Homeri carminibus similis est atque Proserpinae condicio. Nam quum patrem earum Iovem perhibeat, Il. II, 491. Od. I, 10. VIII, 488, matris nusquam mentionem facit, de qua etiam posteriores nequaquam omnes cum Hesiodo consenserunt. Nam Euripides quidem Harmoniam dicit[80], alii Clymenen, nympham Oceanidem[81], alii Antiopam[82]: ut eos taceam, qui etiam patrem alium nominarunt, Uranum Alcman, Mimnermus, Mnaseas[83], Apollinem Eumelus[84]: nam omnes commemorare longum est. Neque numerum, qui apud Hesiodum est, novenarium Homerus agnoscit, nisi in postremo Odysseae libro, in quo quam multa ab antiquioribus carminibus Homericis abhorreant, dudum ab aliis demonstratum est[85].

De Iovis ex Latona liberis, Diana et Apolline, nulla est utriusque poetae dissensio: de iis autem, quos Iunone Hesiodus natos dicit, Martem a sese generatum esse Iupiter ipse testatur Il. V, 896, Ilithyiam Homerus modo unam, modo plures memorat, easque Iunonis filias dicit[86], quas quin ex Iove conceptas statuerit, non est quod dubitetur, Heben denique s. Iuventam utriusque filiam appellat Od. XI, 603; sed hunc locum interpolatum esse certis argumentis cognoscitur: alibi illa sine parentum mentione nominatur, Il. IV, 2. 3. V, 905. Vulcanum quoque Homerus Iovis ex Iunone filium esse perhibet, Il. I, 577. 8. cf.

---

79) Conf. etiam quae C. O. Müllerus monuit, Götting. Anz. 1840 p. 509.

80) Med. v. 834 (812 Elmsl.) ubi cf. Elmsleium, ineptae veteris grammatici interpretationi recte obloquentem, quam Welckero placuisse (Kret. Kolon. p. 35) admodum miror.

81) Hygin. p. 10 Munck.

82) Cic. d. n. d. III, 21, 54.

83) Diodor. IV, 7. Schol. Pind. Nem. III, 16. Arnob. III, 37. Cf. Welck. ad Alcm. fr. p. 22.

84) Is tamen praeter has Apollinis filias, quas tres esse dixit, etiam illas novem ex Iove natas agnovit. Vid. eius fr. apud Markscheff. p. 405.

85) Conf. Spohn. de extr. Od. part. p. 43. Nomina Musis propria Hesiodum primum imposuisse Varro prodit, fr. p. 339 Bip.

86) Il. XI, 270. 271. XVI, 187. XIX, 103. 119. Od. XIX, 188.

Od. VII, 312, quem Hesiodus v. 927 sqq. a Iunone sola absque Iovis amplexu procreatum facit.

De Maia, Iovis pellice, Atlantis filia, iam supra dictum est. Hanc ut Mercurii matrem Homerus semel memorat, Od. XIV, 435, sed paullo alia nominis forma, — *Μαιάδα* enim dicit, — neque parentes eius indicat. Maiam in Hesiodi theogonia excipiunt duae mulieres a Iove amatae, Semele et Alcmena, quarum alteram post mortem inter deos relatam esse poeta testatur v. 942, alteri eundem honorem habitum esse neque ipse indicat, neque recepta vulgo mythologia statuebat: nam in beatorum insulis collocata credebatur, cultumque apud Thebanos non divinum sed heroicum habebat[87]). Hanc ob causam veteres quidam critici duos illos versus, qui Alcmenae mentionem fa- 26
ciunt, 943 et 944, subditicios esse iudicarunt[88]), idque eo magis, quod eandem ab eodem, ut ipsis videbatur, poeta etiam in Eoeis memoratam legebant, in theogonia autem inter deas aut divinitate donatas aptum ei locum esse negabant. Sed praetermittere theogoniae compositor Alcmenam propterea noluit, quod mox filium eius Herculem, huiusque cum Hebe nuptias commemoraturus erat, v. 950. — Ceterum credo equidem Alcmenam non minus quam Semelen ab initio deam habitam fuisse, ac postea demum in inferiorem heroidis conditionem detrusam esse, qualem capitis deminutionem non paucos vetustissimarum religionum deos variis de causis subiisse constat. Sed haec disputatio ab hoc loco aliena est. — Homerus utramque in Iovis amoribus, liberosque ex iis natos nominat Il. XIV, 323 sqq., Alcmenam etiam alibi[89]), Semelen praeterea nusquam.

Sequitur ut de iis videamus, quos Iovis liberos Homerus, aliunde ortos Hesiodus perhibet. Et Xanthum quidem s. Scamandrum ab illo Iovis filium dici iam supra commemoravimus, neque de ceteris fluviis dubitari potest, quin eadem opinio fuerit, pariter ac de nymphis

87) Pherecyd. apud Anton. Liber. c. 33, p. 44 Koch.

88) Schol. ad th. 943. *ἀθετοῦνται ἐφεξῆς στίχοι β'. τοὺς γὰρ ἐξ ἀμφοτέρων θεῶν γενεαλογεῖν αὐτῷ πρόκειται.* Numerale signum β' in Θ' abierat, unde nata est vulgaris scriptura *στίχοι ἐννέα*, quam falsam esse et Hermannus monuit in Diar. schol. ann. 1833 p. 926, et ego in diss. de fals. ind. lacun. th. Hes. p. 26. Goettlingius et Lennepius longe a vero aberrarunt.

89) Il. XIX, 99 sqq. Od. II, 120. XI, 265. Sed Il. XIV, 323 veteribus quibusdam spurium visum esse, iam supra monuimus.

aquarum, quas et ipsas et iis coniunctas **Oreades**[90]) Iovis filias disertis verbis appellari videmus, quum Hesiodus hoc omne genus deorum in fluviis fontibusque et locis irriguis versantium Oceano et Tethye prognatum dicat. Atque ipsum etiam Homerum uno certe loco, XXI, 196, fluvios fontesque ab Oceano derivare monuimus, quae sententiarum diversitas ex diversitate poetarum, quorum carmina in Iliadem coaluerunt, explicanda esse videbatur. Verumtamen rem accuratius reputanti nequaquam tantopere illas duas sententias sibi oppositas esse apparebit, ut non potuerint etiam ab uno poeta pariter teneri. Nempe longe abhorret Homerus ab eorum ratione, qui deorum personas resque quibus illi praesunt ita quasi miscent ac confundunt, ut dii nihil aliud esse videantur, nisi rerum ipsarum proprietates quaedam ac potestates personarum specie informatae[91]), sed habent apud eum
27 dii suam ac propriam naturam, suntque a rebus ita discreti, ut praesint quidem iis easque regant ac moderentur, sed nihilo secius tamen etiam seiunctam a rebus vitam actionemque liberam habeant. Ita fieri

90) Cf. versum ignoti poetae ap. Stobae. Ecl. I, 3, 30 p. 68: *Νυμφᾶν τ' ὠρειᾶν, αἳ νάματα κάλ' ἐφορῶντι.*

91) Tamen ne apud Homerum quidem nulla huius rationis vestigia esse peritiores norunt, quo pertinent, quae passim leguntur loquutiones huiusmodi: *ἐπέφερον ἀλλήλοισι πολύδακρυν Ἄρηα*, et *ἐγείρειν ὀξὺν Ἄρηα*, et *κτεῖναι μεμαῶτες Ἄρηι*, et *ἀφίει μένος ὄβριμος Ἄρης* de telo dictum, aut *σπλάγχα ὑπείρεχον Ἡφαίστοιο*, de quo cf. Heraclit. alleg. Hom. c. 26 p. 52 Schow., aut *Ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ' αἶαν*, aut, quod nunc non legitur, sed olim legebatur, *ὅτ' αἰζηοὶ Δημητέρα βωλοτομεῦσι*, teste Ps. Plut. de vit. et poes. Hom. c. 23, aliaque eiusdem generis, (cf. et Porphyr. ap. schol. Il. VIII, 1. Sallust. de diis et mundo c. 4,) in quibus, ut ait Spitznerus ad Il. XVII, 210, dii et quae nomine eorum significantur, pertenui discrimine dignoscuntur. Cf. Plut. de aud. poet. c. 6 tom. I p. 52 Tauchn.: *χρῶνται τοῖς θεῶν ὀνόμασιν οἱ ποιηταὶ ποτὲ μὲν αὐτῶν ἐκείνων ἐφαπτόμενοι τῇ διανοίᾳ, ποτὲ δὲ δυνάμεις τινὰς, ὧν οἱ θεοὶ δοτῆρές εἰσι καὶ καθηγεμόνες, ὁμωνύμως προσαγορεύοντες*: de qua metonymia vid. et intt. ad Cic. d. N. D. II, 23, 60 p. 296 Mos. Sed confusae dei reique, cuius ille praestes est, notionis, unum maxime insigne exemplum est in Xanthi certamine cum Achille, Il. XXI, ubi quum haud dubie deus humana specie, sicut ceteri, inducatur, multa tamen de eo dicuntur, quae manifesto ad ipsum flumen aquarum pertinent, velut v. 234, *ἐπέσσυτο οἴδματι θύων, πάντα δ' ὄρινε ῥέεθρα κυκώμενος*, et v. 248, *οὐδέ τ' ἔληγε μέγας θεὸς, ὦρτο δ' ἐπ' αὐτὸν ἀκροκελαινιόων*, et 254, *ἢ καὶ ἐπῶρτ' Ἀχιλῆϊ κυκώμενος, ὑψόσε θύων, μορμύρων ἀφρῷ τε καὶ αἵματι καὶ νεκύεσσιν*, itemque v. 356, postquam Vulcanus vim ignis ei opposuit, *καίετο δ' ἶς ποτάμοιο*, et v. 361, *φῆ πυρὶ καιόμενος*.

profecto potuit, ut ipsi quidem fluvii fontesque, id est aquae his vocabulis appellatae, ex Oceano manare, moderamen autem earum et imperium diis deabusque Iove genitis tributum esse crederetur. Quamquam prisci quidem illi fabularum auctores, qui primi hos deos Iove natos dixerunt, dubitari non potest quin nihil aliud significare voluerint, nisi originem aquas terrestres de coelo trahere, quemadmodum Eustathius ad Il. VI, 420 p. 652, 37 nymphas Iovis filias dici interpretatur *διὰ τὴν ἄνωθεν ἑπομένην αὐταῖς ὑγρότητα καὶ θερμότητα*, neque alia ratione Hesiodeae theogoniae compositores ipsum Oceanum, qui ipsis non, ut Homero, rerum omnium principium, sed fluviorum tantummodo princeps est, Coelo procreatum fecerunt. Sed Homerus, huiusmodi rationes allegoricasque significationes nihil curans, deosque a rebus plane discernens, hanc de aquarum numinibus ex Iove ortis fabulam cum altera opinione, quae fluvios fontesque ex Oceano derivabat, componere sine ulla dubitatione potuit[91b]). — Quemadmodum autem apud priscos illius fabulae auctores naturalem Iovis significationem agnoscimus ab ea, quae apud Homerum et Hesiodum nobis offertur, regia persona admodum diversam, ita etiam illam Iovis notionem, quae ad animum et mores pertinet, aliam apud vetustissimos, aliam apud posteriores fuisse videmus. Et hac quidem in parte Homerum de vetustis opinionibus plus quam Hesiodum retinuisse, quum aliis rebus non paucis, tum etiam hinc apparet, quod Eris et Ate apud illum Iovis filiae sunt, quas Hesiodus Noctis alteram filiam, alteram neptem facit. Scilicet Hesiodus nihil Iove genitum vult, nisi quod bonitati eius ac sapientiae conveniens sit[92]): apud Homerum contra, sicut Iupiter

---

91b) Cf. schol. ad Il. XIV, 434. XVII, 263. XXI, 194. IV, 4.5. Stobae. Eclog. I p. 1030 et 1038.

92) Animadvertendum hoc loco etiam illud est, quod de Iovis contra patrem Saturnum certamine nihil disertius in theogonia refertur, nisi unum versiculum huc trahas 496, ubi Saturnus evomuisse liberos devoratos dicitur *νικηθεὶς τέχνῃσι βίηφί τε παιδὸς ἑοῖο*. Ne in Titanumachia quidem, truncata sane et ex pleniore quondam carmine a theogoniae compositore excerpta, ulla Saturni mentio fit. Fuerunt qui hanc brevitatem, quae officit haud dubie narrationis perspicuitati, pro lacunae indicio haberent, Platonem etiam et Lucianum antestati, qui pleniorem a sese theogoniam lectam esse ostenderent: sed horum testimonium nullum esse demonstrasse mihi videor in dissert. de fals. indic. lacun. th. Hes. p. 13. 14. Nimirum consulto poeta, sive mavis compositorem dicere, omisisse aut leviter tantum tetigisse videtur, quidquid impietatis crimen Iovi conflaret.

ipse, in Iliade praesertim, nequaquam morum bonitate insignis est, ita etiam liberos non omnes bonos probosque habet. Nam Eridem, quae Martis germana dicitur, Il. VIII, 441, Iovis filiam esse apparet, et Ate eiusdem filia vocatur Il. XIX, 91, pariter cum *Λίταις*, quae mala ab Ate commissa sarcire conantur, Il. IX, 502. Sed illam Iupiter, quum ipse aliquando in fraudem ab ea inductus esset, exturbat Olympo coetuque deorum in perpetuum interdicit, Il. XIX, 128; cuius fabulae sententia haec est, ut Iovem ipsum erroris et peccandi non omni tempore immunem fuisse, sed sapientiorem factum esse significet, experientia edoctum. Et eiusdem opinionis de Iove paullatim demum virtute et
28 sapientia aucto etiam alia quaedam indicia in fabulis extare periti non ignorant: quo pertinet apud Homerum narratio de Iunone, Neptuno, Minerva vincire Iovem coniuratis, Il. I, 399 sqq., siquidem, ut ad supplendam hanc narrationem grammatici docent, antiquos sine dubio auctores sequuti, superbiam eius et novi imperii insolentiam indignabantur. Ceterum vix opus est monere, ne quis huiusmodi fabellis abutatur ad Aeschyleae Promethei interpretationem. Nam quemadmodum in ceteris tragoediis summi huius et unius omnium ethnicorum sapientissimi poetae nullam tam lubricae sententiae indicium apparet, ita ne in Promethei quidem compositione quidquam inest, quod prudentibus nulloque opinionis praeiudicio occupatis comprobare istam interpretationem posse videatur. Sed hac de re alias satis dictum est: nunc propositum exsequamur.

Restant autem de theogonia perpauca tantum. Primum Neptuni et Amphitritae connubium, natusque hinc filius Triton, v. 930 sqq. Hunc Homerus nunquam, Amphitriten in Odyssea aliquoties memorat, III, 91. V, 422. XII, 60. 97: neque causam video, cur dubitemus, quin uxorem eam Neptuni et ipse crediderit, licet disertam rei mentionem nullam faciat[93]). Pavorem porro et Terrorem, *Φόβον καὶ Δεῖμον*, quos theogonia v. 934 Martis ex Venere filios dicit, Homerus illi comites adiungit Il. IV, 440[93b]), quumque alterum eorum, *Φόβον*, etiam natum eius perhibeat, Il. XIII, 299, ne de altero quidem dubitabitur: de matre num idem atque Hesiodus statuerit, non liquet, siquidem coniugem

93) Dubitare videtur Naegelsbach. theol. Hom. p. 78 sq.

93b) De iis, qui *Φόβον* Martis equum fecerunt, velut Quint. Sm. VIII, 242, propter Homeri locum male intellectum Il. XV, 49, vid. Spitzner. ad h. l. et Lehrs de Aristarch. p. 181.

Martis Venerem nusquam dicit. Tamen quum in deorum pugna, Il. XXI, 416 sq., vulneratum Martem ab illa reduci ex proelio faciat, aliquid coniunctionis inter eos intercessisse colligas[94]). Nam fabellam de adulterio Martis cum Venere, quae Od. VIII, 267 sqq. a Demodoco canitur, ab interpolatore Odysseae insertam esse non temere viri doctissimi iudicant. H a r m o n i a m denique, quae filia illorum duorum ab Hesiodo dicitur, Homerus nusquam memorat. — Sequitur v. 945. 6. Vulcani coniugium cum A g l a i a, una Gratiarum; neque dissentit Homerus, Il. XVIII, 382, licet nomen reticeat[95]). — A r i a d n e, Dionysi uxor, obiter ab Homero memoratur in Scuti Achillei descriptione, Il. XVIII, 592; disertius in Necyia, Od. XI, 320, loco admodum suspecto et difficili ad interpretandum. Notabilis tamen dissensus cum Hesiodo: nam hic immortalitatem Ariadnae a Iove tributam ait; Odysseae poeta eam apud inferos versantem inducit inter defunctas. In eodem Odysseae libro v. 602 etiam Herculis cum H e b e nuptiae memorantur. Sed hunc locum interpolatoris esse satis constat[96]). Denique de P e r s e i d i s s. P e r s e s cum Sole nuptiis, natisque hinc A e e t e et C i r c e, th. v. 956 sqq., Homerus Od. X, 136—9 plane conspirat cum Hesiodo: de I d y i a, Aeetae uxore, eiusque filia M e d e a nihil refert.

In his theogonia desinit: nam quae sequuntur usque ad finem libri, heroogonici potius argumenti sunt, et a nostrae scriptionis consilio aliena.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. IX. Cal. Mart. ann. MDCCCXLVII.

94) E schol. A. discimus, veteres *χωρίζοντας* hunc locum ita interpretatos esse, ut uxorem Martis Venerem habitam a poeta statuerent.

95) Quod Goettlingius dicit, ad conciliandum scilicet Od. VIII, 267 cum Il. XVIII, 382: „i p s a V e n u s e s t G r a t i a r u m m a x i m a", indictum mallem, aut saltem accuratius definitum.

96) Cf. schol. Il. IV, 2 p. 119b 38. Lauer. quaestt. Hom. I p. 26 sqq.

DE CUPIDINE COSMOGONICO.

3 Aristoteles Metaphysicorum libro primo cap. IV, postquam veterum philosophorum de rerum principiis sententias breviter percensuit, quorum alii nihil nisi materiam quandam primam statuerunt, unde omnis rerum natura prodierit, alii contra etiam alterum quoddam principium assumpserunt, in quo vis inesset movendae materiae et ad generationem rerum incitandae, postremo autem, quum intellectum esset, non movendam solum materiam, sed ratione et consilio movendam fuisse, huius rei causa atque principium in Mente s. Intelligentia positum est ab Anaxagora aut etiam ante eum ab eius populari Hermotimo: his igitur commemoratis Aristoteles primum tamen omnium, qui de tali quodam principio cogitaverint, Hesiodum videri posse profitetur, ac si quis praeter hunc in rerum principiis Cupidinem[1]) posuerit, id quod

1) Cupidinem quam Amorem *Ἔρωτα* dicere malui ad Romanorum scriptorum exemplum, qui licet promiscue nonnunquam hunc deum, religionibus ipsorum ignotum, utroque nomine appellent, ut Vergil. Aen. I, 658 coll. 663 et 695, longe frequentius tamen Cupidinem dicere solent. Cicero quidem ubique sic, de Nat. Deor. III, 23., 58. 59. Verr. II, 47. IV, 2. 3. 55. 60, praeterquam uno loco, ubi utrumque nomen posuit, si verba eius accurate a Lactantio relata sunt, I, 20, quae in superstitibus hodie libris Ciceronis non extant: „Magnum Cicero audaxque consilium suscepisse Graeciam dicit, quod Cupidinum et Amorum simulacra in gymnasiis consecrasset.“ Nam de Nat. Deor. III, 17, 44: „Quod si ita est, Caeli quoque parentes dii habendi sunt, Aether et Dies eorumque fratres et sorores, qui a genealogis antiquis sic nominantur, Amor, Dolus, Metus, Labor, Invidentia etc.“ Amoris nomine non *Ἔρωτα* sed *Φιλότητα* significari ex Hesiodo intelligitur, Theog. v. 224. Ceterum fuerunt, qui etiam huic *Φιλότητι* cosmogonicam significationem assererent, similem Empedoclis *φιλίᾳ*, Creuzerus Epist. Hom. et Hes. p. 168, F.

a Parmenide factum esse constat. *Ὑποπτεύσειε δ' ἄν τις*, inquit, 4
Ἡσίοδον πρῶτον ζητῆσαι τὸ τοιοῦτον, κἂν εἴ τις ἄλλος Ἔρωτα ἢ ἐπιθυμίαν ἐν τοῖς οὖσιν ἔθηκεν ὡς ἀρχήν, οἷον καὶ Παρμενίδης. Οὗτος γάρ, κατασκευάζων τὴν τοῦ παντὸς γένεσιν, „πρώτιστον μέν“ φησιν „Ἔρωτα θεῶν μητίσατο πάντων“, Ἡσίοδος δέ, „πάντων μὲν πρώτιστα χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα Γαῖ' εὐρύστερνος - - ἠδ' Ἔρος, ὃς πάντεσσι μεταπρέπει ἀθανάτοισιν“, ὡς δέον ἐν τοῖς οὖσιν ὑπάρχειν τιν' αἰτίαν, ἥτις κινήσει καὶ συνάξει τὰ πράγματα. Ex his verbis illud quidem intelligitur, Aristoteli hac Cupidinis Hesiodei persona vim quandam significatam videri, quae motum materiae ad res conformandas effecerit, sed qualem hanc vim Hesiodus cogitaverit, similemne Menti Anaxagorae, hoc est motus materiae ratione et consilio moderantem, an his carentem et caeco duntaxat instinctu grassantem, in medio relinquitur. *Τούτους μὲν οὖν*, inquit, *πῶς χρὴ διανεῖμαι περὶ τοῦ τίς πρῶτος, ἐξέστω κρίνειν ὕστερον*: h. e. quis primus tale principium, (quale Anaxagoras aut Hermotimus,) proposuerit, posthac licebit disceptare, vel, ut Alexander Aphr. interpretatur, *τίς πρότερον τῆς τοιαύτης αἰτίας ἤρξατο, πότερον Ἀναξαγόρας ἢ Ἑρμότιμος πρὸ αὐτοῦ, ἢ πρὸ τούτου οἱ περὶ Ἡσίοδον, ὕστερον ἐξέστω ζητεῖν.* Feceritne Aristoteles alibi, quod polliceri hoc loco videtur, non liquet: in iis certe, qui supersunt, libris Aristoteliis nihil huiusmodi invenitur, ac de Hesiodo quidem accuratius ab eo quaesitum esse vix crediderim propter ipsius professionem Metaph. III (*B*) c. 4 p. 1000 a 18: *περὶ μὲν τῶν μυθικῶς σοφιζομένων οὐκ ἄξιον μετὰ σπουδῆς σκοπεῖν.* Et debuit fortasse hoc summi philosophi iudicium nos quoque ab huius-

C. Baur. Symbol. II, 1 p. 289, contra quos disputare nunc non vacat. Sed vere cosmogonicum illum deum Amorem dixit auctor declamationis Quintiliano adscriptae XIV, 303: „Amor ille, per quem rerum naturae sacra primordia totiusque mundi elementa creverunt.“ Graeci nominis propriae significationi magis haud dubie respondet Cupido quam Amor. Quippe *ἔρως, ἐρᾶν, ἐρᾶσθαι* de eo dicuntur, qui aliquid appetit, eo potiri, id sibi comparare cupit: amor, amare de eo, qui aliquid carum habet. Quamquam etiam amoris vocabulo desiderii notionem tanquam primitivam asseruit Iacobus Grimmius (Ueber den Liebesgott. Berlin 1851. p. 9. 10), cui viro in tali re quis obloqui audeat? Sed tamen usu loquendi hanc notionem paullatim oblitteratam esse confitebimur. — Graeci vocabuli miram notationem a Bauro propositam, Symbol. II, 1 p. 3. 4 silentio praetermittere decet.

modi quaestione dehortari, quum praesertim ab ipso theogoniae Hesiodeae compositore neque qualis Cupido fuerit, neque quid effecerit, ac ne unde ortus quidem sit, edoceamur, sitque de his omnibus per coniecturam duntaxat quaerendum. Attamen etiam coniectura, si opinandi arbitrium et levitas absint, rectaque via et ratione procedatur, a vero non facile aberrabit.

Primum igitur illud dubitari non potest, quod cum Aristotele omnes, quicunque hunc locum attigerunt, intellexisse videmus, esse in Hesiodi Cupidine vim quandam movendae materiae et ad rerum generationem impellendae: sed quod divina quadam persona haec vis a poeta induitur, errant haud dubie, si qui hoc figurate tantum et allegorice dictum accipiunt, veramque poetae sententiam hanc fuisse credunt, aut ut vim illam non discretam a materia sed huic ipsi insitam cogitaret, aut discretam quidem ab ea quam moveret materia, ipsam autem omnis materiae expertem planeque incorpoream, qualem Anaxagoras *Νοῦν* suum esse voluit. Nam id genus allegoriae ab antiquissimorum poetarum ingenio alienum fuisse dicendum est, qui profecto neque incorporeae naturae notionem conceperant, neque unquam ea, quae non per se ipsa constare, sed qualitates tantum et affectiones rerum esse intellexissent, in deorum numero posuissent. Hanc ob causam de Cupidine Hesiodi non aliter quam de ceteris, quos idem commemorat, deis statuendum est, quibuscum etiam ipse eum componit, *κάλλιστον* dicens *ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι*, id quod dici non potuit, nisi eum, quamvis pulchritudine eximium, ipso tamen genere non diversum credidit[2]). Communis autem de natura deorum apud veteres opinio haec fuit, ut et corpore eos et animo ad humanae

2) Quum apud Aristotelem pro eo, quod theogoniae codices habent, *ἠδ' Ἔρος, ὃς κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι*, scriptum sit — *ὃς πάντεσσι μεταπρέπει ἀθανάτοισι*, hoc nonnullis veris visum est, usique sunt hoc exemplo ad demonstrandum, quantopere nostrae theogoniae contextus a prisca et genuina carminis forma diversus esset. Sed rectius statuunt viri prudentissimi, Bonitzius ad Ar. Met. p. 72 et Schweglerus p. 38, Aristotelem hunc versum ex memoria non satis fida citasse, cuius rei etiam alia in eius libris exempla manifesta sunt, velut Metaph. III(*B*), 4 in Empedoclis versu scripsit *ἐξ ὧν πάνθ' ὅσα τ' ἦν*, quum Empedocles ipse sine dubio scripsisset *ἐκ τούτων γὰρ* — (vid. Karsten. Emped. p. 96) et V(*Δ*), 5 e Sophoclis Electr. v. 256 citatur *ἀλλ' ἡ βία με ταῦτ' ἀναγκάζει ποιεῖν*, pro eo quod Sophoclis codices habent, *ἀλλ' ἡ βία γὰρ ταῦτ' ἀναγκάζει με δρᾶν*. — Similiter igitur iudicandum erit etiam de Th. v. 116, qui ab Arist. Met. I. I. et Phys. ausc. IV p. 208, scribitur *πάντων μὲν πρώτιστα χάος κτλ.*

naturae similitudinem informarent, sed immortales viribusque ac potestate longe supra humanum modum praeditos: quumque vis deorum talis esse crederetur, ut ad res movendas ac mutandas non utique corporis ac membrorum ministerio egerent, sed possent, quod vellent, solo mentis actu motuque efficere, haec divini numinis efficacia comparari solet cum ea vi, quam in corporis nostri membra animus exercet. *Ὁ σὸς νοῦς ἐνὼν*, inquit Socrates apud Xenophontem, Memm. I, 4, 17, *τὸ σὸν σῶμα ὅπως βούλεται μεταχειρίζεται· οἴεσθαι οὖν χρὴ καὶ τὴν ἐν τῷ παντὶ φρόνησιν τὰ πάντα ὅπως ἂν αὐτῇ ἡδὺ ᾖ οὕτω τίθεσθαι.* Similiter Cotta ap. Cic. de Nat. Deor. III, 39, 92: Vos enim (Stoici) ipsi dicere soletis — ut hominum membra nulla contentione mente ipsa ac voluntate moveantur, sic numine deorum omnia fingi, moveri mutarique posse. Itemque ex mente Stoicorum Q. Cicero de divin. I, 53, 120: Si omne animal ut vult ita utitur motu sui corporis, prono, obliquo, supino, membraque quocunque vult flectit, contorquet, porrigit, contrahit, eaque ante efficit paene quam cogitat, quanto id deo est facilius, cuius numini parent omnia? Quodsi quis hanc comparationem recte ab iis tantum institui potuisse dicat, qui totum mundum quasi corpus quoddam existimarint uno et continuo spiritu divino animatum, quam sententiam ab antiquissimis illis alienam fuisse; cogit tamen res ipsa, ut non absimilem quandam rationem, quamvis obscurius, obversatam tamen etiam illis esse statuamus, qui multas credebant deorum personas, alias in aliis mundi partibus vel rerum generibus dominantes. Intercedebat enim sine dubio etiam horum opinione artissima quaedam connexio inter deorum personas resque eorum numini subiectas: quae connexio qualis esset, etiamsi illi ipsi vix subtiliter quaesiverunt, tamen, si quaesivissent, non puto magnopere diversam videri potuisse ab ea, quam Xenophontis et Ciceronis verbis proposuimus. Intererat hoc tantummodo, quod non unum spiritum divinum universo mundo infusum cogitabant, uni supremo numini, in quo eius principatus esset, parentem atque obtemperantem, sed spiritum illum in plures quasi partes discerpebant, et inter plures personas deorum quae cuiusque partis principatum habe- 6
rent, distribuebant[3]). Hae autem personae divinae corporibus quidem

3) Principatum dico, quod Graeci *τὸ ἡγεμονικόν*, cum Cicerone de N. D. II, 11, 29. Sic *τῆς χθονικῆς δυνάμεως τὸ ἡγεμονικόν* Vestae tributum esse Por-

vestiebantur, sed spiritus ille, seu quocunque nomine naturam eam vocare libet, quae cuiusque numini paret, unus et cohaerens erat in deo rebusque deo subiectis, principatus vero eius in deo tantum, ad eundem modum, quo animi humani per corpus diffusi principatus in mente et capite esse videtur: quamobrem, quidquid per spiritum illum in quocunque rerum genere ageretur, id dei eius, in quo illius principatus esset, potestate ac numine effici credebatur. Hinc iam apparebit, quonam modo de Cupidine illo Hesiodeo statuendum sit. Nempe facultas quaedam et nisus, quo moverentur et copularentur inter sese prima elementa rerumque efficeretur procreatio, inerat quidem etiam in ipsis elementis, sed principatum eius et regimen necesse videbatur uni cuidam divinae personae tribui, quam ob causam Cupidinem suum huius theogoniae auctor induxit. Constat autem huius omne munus in eo, ut facultatem illam nisumque elementorum ad res procreandas incitet numine suo et impellat; amplius vero nihil agit: legem ac normam movendi, et quasi viam quandam et sectam consilio et sapientia praescriptam, ut ad certum destinatumque finem omnis rerum procreatio dirigatur, Cupido non habet: quam si haberet, demiurgus quidam esset et architectus totius mundi, adeoque unus summus deus, cuius ceteri omnes duntaxat ministri legumque et consiliorum exsequutores videri deberent, qualis summi dei notio quantopere a vetustissimorum Graecorum persuasionibus abhorreat, non opus est exponere. Hi enim aut omnino non quaerebant de lege ac norma creationis, aut, si quaerebant, obscuram quandam et inexplicabilem statuebant necessitatem primordialem, quemadmodum etiam a Parmenide *Ἀνάγκην* mundi fabricae praepositam, ab eaque ipsum Cupidinem procreatum esse infra cognoscemus. Hesiodeum ergo Cupidinem non sane, ut Orphicum illum, *σοφὸν αὐτοδίδακτον Ἔρωτα* [4]) dicere licebit, sed comparandus erit cum Sanchoniathonis spiritu creatore, qui, ut ille ait [5]), *οὐκ ἐγίγνωσκε τὴν ἑαυτοῦ κτίσιν*, h. e. ipse quid et qua ratione efficeret nesciebat, sed parebat caeco cuidam instinctui et legi necessitatis. Atque talem sui Cupidinis naturam etiam theogoniae nostrae compositor videri potest significare voluisse his duobus versibus,

---

phyrius ait apud Eusebium Pr. eu. III, 11, 4, et Theodoretus, Therap. III p. 45, 8 Sylb. (124 Gaisf.).

4) Nonn. Dionys. VIII, 110.

5) Apud Eusebium, Praep. eu. I, 10, 1 p. 37 Heinich.

qui multis alieni ab hoc loco et cosmogonici dei, qualem scilicet ipsi optarent, maiestati parum convenientes esse visi sunt,

λυσιμελὴς πάντων τε θεῶν πάντων τ᾽ ἀνθρώπων,
δαμνάς τ᾽ ἐν στήθεσσι νόον καὶ ἐπίφρονα βουλήν.[6])

Nimirum non diversum esse indicat cosmogonicum hunc Cupidinem 7
ab eo, qui etiamnum in diis atque hominibus amoris affectum excitat, qui affectus quum in iis, qui eo moventur, non ratione et consilio, sed caeco quodam impetu regatur, etiam a deo, qui eum immittit, consilium et sapientiam abesse consentaneum est. Neque enim facile alii

6) *Δαμνάς* scripsi propter faciliorem constructionem, pro vulgato *δάμναται ἐν στ.*, quod quam incommodum sit, Hermannus verissime monuit in censura ed. Goettl. Opusc. VI p. 161. Ipse *δαμνᾷ τ᾽ ἐν στ.* probavit, quemadmodum in codicibus Mediceo et Taurinensi Origenis, Philos. c. 26, ubi hic versus affertur, Salvinius scriptum esse refert, addit. ad Orig. ed. Wolf. p. 48. Et sane activum verbi *δαμνάω* formam, quam vetustiorum epicorum sermoni nonnulli abiudicarunt, tuetur unum certe exemplum Homericum, ab Hermanno citatum, Od. XI, 221: *ἀλλὰ τὰ μέν τε πυρὸς κρατερὸν μένος αἰθομένοιο δαμνᾷ.* — Nam quod Nitzschius, Comm. in Od. tom. III p. 224, addit ex Il. XVI, 103, *δάμνα μιν Ζηνός τε νόος καὶ Τρῶες ἀγαυοί*, potest etiam a *δάμνημι* deduci, ut *ἐδάμνα* Il. V, 391. XIV, 439. XXI, 52. 270. Sed apud Theognidem est v. 1388, *δαμνᾷς δ᾽ ἀνθρώπων πυκινὰς φρένας.* Itaque forma quidem verbi non obstat, quominus illa, quam dixi, codicum Origenis scriptura probetur; sed structura minus concinna est, si post v. 120, *ἠδ᾽ Ἔρος, ὃς κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι*, ubi apparet *ἐστί* subaudiendum esse, addito sine copula altero versu, *λυσιμελὴς κτλ.*, eodem verbo *ἐστί* subintellecto, deinde subiungitur verbum finitum, quum si in tertio versu participium ponitur, ut hi tres versus eodem tenore decurrant, sitque pariter in omnibus verbum substantivum subaudiendum. Ceterum de adiectivo *λυσιμελής* falluntur sine dubio, qui interpretantur curis solvens, Sorgenbefreier (Gerhard. de Erote in Act. Acad. Berol. ann. 1848 p. 264), quasi *λύων μελεδήματα θυμοῦ*, quod de somno dicitur Il. XXIII, 62. Od. XX, 56. XXIII, 343, sed quod in cupidinem nullo modo convenire experti fatebuntur, non magis quam in sitim, quae *λυσιμελής* dicitur a Theognide v. 838, aut in podagram, cui idem epitheton tribuitur in Hedyli epigrammate, Anthol. Palat. XI, 414: *Λυσιμελοῦς Βάκχου καὶ λυσιμελοῦς Ἀφροδίτης γεννᾶται θυγάτηρ λυσιμελὴς ποδάγρα.* Veram vim vocabuli de amore et cupidine usurpati ostendit Homerus, de procis loquens Penelopen conspicatis, Od. XVIII, 212: *τῶν δ᾽ αὐτοῦ λύτο γούνατ᾽, ἔρῳ δ᾽ ἄρα θυμὸν ἔθελχθεν*, et disertius etiam Sapphus versiculi explicant, Od. II, 7: *ὡς ἴδω γάρ σε βροχέ᾽, ὥς με φωνᾶς οὐδὲν ἔτ᾽ ἴκει, ἀλλὰ κὰμ μὲν γλῶσσα Fέαγε, λεπτὸν δ᾽ αὐτίκα χρῷ πῦρ ἐπιδεδρόμακεν, ὀππάτεσσι δ᾽ οὐδὲν ὄρημ᾽, ἐπιρρόμβεῦσι δ᾽ ἀκουαί, ἐκ δε Fίδρως κακχέεται, τρόμος δὲ πᾶσαν ἄγρει, χλωροτέρα δὲ ποίας ἔμμι, τεθνάκην δ᾽ ὀλίγω ἐπιδεύης φαίνομαι.*

affectus a dei alicuius numine repeti potuerunt, quam qui essent ipsius dei naturae atque ingenio consentanei.

Sic igitur de natura Hesiodei huius Cupidinis haud dubitanter statuendum est. Iam vero si de origine eius quaerimus, rursus ad coniecturam res redit propter indisertam et obscuram poetae nostri orationem. Nam quum tria rerum principia proponat[7]), primum Chaos,

7) Fuerunt iam e veteribus non pauci, qui non tria, sed quattuor principia ab Hesiodo proponi crederent, quum *Τάρταρα* v. 119 pro nominativo acciperent, non pro accusativo, a verbo *ἔχουσι* v. 118 pendente. Sic Cornutus de Nat. D. p. 82 Os. Plutarch. de Is. et Osir. c. 57, Pausan. IX, 27, 2, Damasc. de princ. c. 124 aliique, quos Muetzellius citavit de emend. th. Hes. p. 391. Sed quum *Τάρταρα* dicantur *μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης*, h. e. in intimo ipsius terrae sinu, vix aliud quid intelligi licet, quam loca subterranea, quae, etiamsi non inania cogitentur, sed caligine quadam s. aere turbido et tenebricoso repleta (cf. Eustath. ad Il. VIII, 16 p. 694, 48. XIV, 273 p. 985, 41. Schol. Theog. v. 119 p. 395 Gaisf.), non perspicio tamen, qua ratione haec loca in principiis numerari potuerint, ex quibus omnis rerum natura originem habuerit. Nam noviciorum quorundam interpretum argutias nihil moror. Verum viderunt, qui *Τάρταρα* pariter ut *κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου* cum verbo *ἔχουσι* construxerunt, ut intelligantur dii superi et inferi. Sunt autem in his e recentioribus Iacob. Barlaeus, nott. ad Th. v. 116 et 119, Hugo Grotius, locum Hesiodi ap. Stobaeum Ecl. I p. 272 Heer. in hunc modum convertens: „Sedes aeterna deorum, quique iugum calcant niveum sublimis Olympi, quique colunt sub humo tenebrosum Tartari regnum“; Moshemius ad Cudworth. syst. intell. p. 283b: nec Lennepius comm. ad Th. p. 181 se ab hac interpretatione abhorrere ostendit. Ex vetustioribus unum disertum eius auctorem habemus Ioannem Diaconum, Alleg. p. 456 Gaisf.: *λέγεται δὲ ἐνταῦθα ἡ γῆ ἕδος ἀσφαλὲς τῶν τε οὐρανίων τῶν τε ὑποχθονίων.* Sed vix minus disertum testimonium est schol. Cant. ad v. 115: *τρία πρῶτον ἐγένετο, Χάος, Γῆ, Ἔρως οὐράνιος, ὃς ἦν θεός.* Nam eum, cuius est haec annotatio, sive is unus de Byzantiis magistris fuit, sive antiquior grammaticus de Alexandrina schola, versum 119 in suo exemplo theogoniae non legisse nemo sibi persuadebit, quoniam Cornuti, Plutarchi, Pausaniae aetate eum lectum esse apparet. Non maiore autem iure versum illum a Platone, Aristotele, Sexto Empirico non lectum esse ex eo colligitur, quod hi, quum Hesiodi de principiis sententiam commemorant, hos tres tantum versus citant, qui sunt 116. 117. 120, omissis v. 118 et 119. Nempe omiserunt propterea, quod eos non modo nihil facere viderunt ad Hesiodi sententiam declarandam, sed officere etiam vero intellectui posse, si quis forte *Τάρταρα ἠερόεντα* minus recte construeret, id quod mox non paucis accidit. Non satis caute igitur eos egisse apparet, qui Platonis et ceterorum silentio freti versus hos duos tanquam spurios damnarunt: qui quidem, si qua vis esset illius silentii, eos post Aristotelis, sed ante Plutarchi aetatem insertos, et tamen ac Sexti quidem Empirici aetate in omnibus exemplaribus lectos esse statuere deberent. Omittit eos etiam schol. Clement. Alex. tom. IV p. 111 Klotz. ob similem quam Plato et

deinde Terram et Cupidinem, haec duo utrum ex Chao an sua sponte 8
extiterint, indicare supersedit. Quod enim nonnulli ex eo ipso, quod in hac principiorum commemoratione poeta nihil nisi post Chaos, — αὐτὰρ ἔπειτα —, Terram et Cupidinem, mox autem ex Chao — ἐκ Χάεος — Erebum et Noctem extitisse dicat, satis apparere crediderunt, illorum duorum ortum non item ex Chao esse: haec ratio mihi non magni momenti esse videtur. Nam quae post Chaos extitisse dicuntur, non tamen negantur propterea etiam ex Chao extitisse, quandoquidem sic quoque non potuerunt non post illud existere: atque licet fatendum sit, potuisse illud disertius indicari in hunc modum, ἐκ δ' ἄρα τοῖο pro αὐτὰρ ἔπειτα, tamen quis affirmare ausit hanc formulam a compositore theogoniae ex vero intellectu eius, quam sequebatur, rationis cosmogonicae positam esse, ad arcendam scilicet alteram opinionem, ac non potius incuriose usurpatam, ut unam epico sermoni maxime propriam? Quid enim frequentius hac formula, propter cuius usum nimium atque ineptum τοὺς αὐτὰρ ἔπειτα λέγοντας irrideri videmus acerbo Poliani epigrammate, Anthol. Palat. XI, 130. — Fuerunt quidem, qui chaos nihil aliud significare autumarent, nisi spatium inane omnique materia vacuum: quorum si vera est sententia, non modo Terra et Cupido, sed ne aliud quidem quidquam ex chao originem habere potuit. Nam spatium omni materia vacuum quid est aliud quam Nihil? Ex nihilo autem nihil fieri posse constans fuit veterum physicorum persuasio, nondum scilicet revelato religionis dogmate de deo mundum ex nihilo per omnipotentiam suam procreante. Atqui in theogonia ex Chao extitisse dicuntur Nox et Erebus, unde consequitur non certe pro nihilo Chaos habitum esse, quamquam quale fuerit non liquet: qua de re postea videndum erit. At, inquiunt[8]), ipsa nominis etymologia persuadet vacuum spatium intelligendum esse. Est enim χάος a χάω, χαίνω, χάσκω, ut φάος a φάω, φαίνω, significatque id quod hiat atque apertum est, unde fluxit altera capacitatis significatio, quae est in χάδω, χάζω, unde χάσμα, vorago,

---

Aristoteles rationem: agnoscit autem versum 119 schol. Ven. A. ad Il. I, 312, unde merito conieceris, eum ab Aristonico probatum esse. Minus etiam audiendi sunt, qui solum versum 118 tanquam spurium uncinis incluserunt, scholio non recte intellecto decepti. Sed de his satis dixi in diss. de schol. theog. Hes. ann. 1818 edita, p. 16, quae repetere hoc loco piget.

8) Vid. I. A. Kanne, Mythol. Gr. I p. 9.

quod vocabulum in theog. v. 740 de orco locisque inferis dicitur,
quemadmodum etiam illud alterum, *χάος*, de eodem orco accipien-
dum videtur v. 700, *καῦμα δὲ θεσπέσιον κάτεχεν χάος*, et v. 814,
Τιτῆνες ναίουσι πέρην χάεος ζοφεροῖο. Sit sane ita; sed dicitur
9 tamen *χαίνω* tantum de rebus, quae dehiscunt, h. e. quae panduntur
sic ut aliquid intra se spatii aperiant, quo intrare aliud possit, et quae
sic existit apertura, *χάος* s. *χάσμα*, haec non potest infinita esse, sed
non ulterius patet, quam quousque res illa, quae dehiscere, *χαίνειν*,
dicitur, loco ante occupato recessit, est igitur semper finibus quibus-
dam terminata. At terminatum fuisse chaos illud cosmogonicum, quod
fuit ante quam res ulla existeret, non sane illi volunt, sed infinitum
spatium dicant necesse est, id quod non certe ex etymologia, sed ali-
unde conficiunt. Nimirum urgent illam unam partem significationis
quae capacitatem designat. Quid est enim, aiunt, in quod sola ca-
pacitatis notio conveniat, praeter spatium? Attamen concedendum
erit, multa vulgo capacia dici, quae non tamen propterea etiam omni
corpore s. materia vacare dicantur, sed in quibus tantum nihil sit,
quod resistat alteri, quaeque omni impulsu facile pellantur et cedant
pellenti, ac dissipabilia sint et penetrabilia, locumque in se aliis prae-
beant: qualis natura quum aeris maxime sit, hunc a poetis etiam *χάους*
nomine appellari videmus. Eurip. in Cadmo, ap. Prob. ad Verg. Ecl.
VI, 31 (ex emend. Valcken. Diatr. p. 12 a): *οὐρανός θ᾽ ἡμᾶς ὕπερ
καὶ γῆ, βροτῶν κοινόν τε δαιμόνων θ᾽ ἕδος, τό τ᾽ ἐν μέσῳ τοῦτ᾽
οὐρανοῦ τε καὶ χθονὸς χάος μὲν ὀνομάζουσιν.* Sic apud Aristo-
phanem, Nubb. v. 423, Socrates Strepsiadem docet pro diis habenda
esse *τὸ χάος τουτὶ καὶ τὰς νεφελάς*, ubi ipsum pronomen *τουτί*
docet, non de primitivo quodam inani, ab hominum notitia longe re-
moto, sed de re nota et propinqua, h. e. de aere cogitandum esse, ut
recte scholiastes interpretatur. Neque obstat, quod in altero eiusdem
fabulae loco, v. 625, Socrates iurat *μὰ τὴν ἀναπνοήν, μὰ τὸ χάος,
μὰ τὸν ἀέρα*: nam potuit aeria illa natura, quam ille obtestatur, tri-
bus modis appellari, proprio ac vulgari nomine *ἀήρ*, et minus proprio
ἀναπνοή, quoniam exhalationibus aer constare videbatur, et *χάος*,
quoniam patens et penetrabilis est. Addo Aristoph. Avv. v. 192: *ὅταν
θύωσιν ἄνθρωποι θεοῖς, ἢν μὴ φόρον φέρωσιν ὑμῖν οἱ θεοί,
διὰ τῆς πόλεως τῆς ἀλλοτρίας καὶ τοῦ χάους τῶν μηρίων τὴν
κνῖσαν οὐ διαφρήσομεν.* Nempe urbs illa Nephelococcygia est, in
aere, *ἐν χάει*, condita, recteque scholiastes: *χάους ἀντὶ τοῦ ἀέρος*

νῦν, *ὡς Ἴβυκος· „ποτᾶται δ' ἐν ἀλλοτρίῳ χάει.“* Ibyci versui simillimum e Bacchylide citat schol. theog. v. 116: *νωμᾶται δ' ἐν ἀτρυγέτῳ χάει*, de aquila per aerem volante. Denique Simmias in Anthol. Palat. XV, 15, 7: *ἅπαν θ' ὅσ' ἕρπει δι' αἰθέρος χάους τε*[9]). Itaque hoc saltem apertum est, ex ipso *χάους* vocabulo haudquaquam perspici posse, spatiumne omni materia vacuum, an aliud quid theogoniae auctor designare voluerit. Huc accedit, quod, qui praeter hunc de rerum principiis philosophati aut fabulati sunt, quum nonnulli item *χάος* in initio posuerint, nemo tamen eorum tale spatium eo nomine significavit. Nam ne de diis loquar, quos Ovidius auctores habuit, chaos rudem indigestamque molem dicens[10]), Pherecydem testatur Achilles Tatius in isagoge ad Arati Phaenomena c. 3 (in Petavii Uranolog. p. 123), primam materiam, cuius aquosam naturam esse voluerit, *χάος* appellasse. Orphicos autem poetas *χάος* suum non modo *χάσμα πελώριον*, sed etiam *νύκτα ζοφεράν*, *σκότος ἀζηχές*, deni-

---

9) Etiam Latini puetae inane pro aere dicere amant. Claudiao. VIII, 142: quae voces avium, quanti per inane volntus. Stat. Theb. I, 310: sublimes roptim per ioaoe volntus carpit. Verg. Aen. XII, 906: lapis vacuum per inane volutus. Ovid. Met. II, 506: celeri raptos per inania vento imposuit caelo. Sil. Ital. X, 151: funda procul per inane voluta. XIV, 210: pulveream volvens ad inania oubem. Plin. H. N. II, 38: hoc caelum appellavero maiores, quod alio nomine aëra: omne quod inani simile vitalem hunc spiritum fundit. Et caeli vocabulum Varro L. L. V, 8 a cavo descendere vult. Notum est autem caelum veteres pro aere dixisse, quod nomen postmodo demum e Graecorum sermone asciverunt. Vid. Cic. Acad. I, 7, 26. de N. D. III, 36, 91. Serv. ad Verg. Georg. I, 51. Aen. I, 58. Prob. ad Ecl. v. 31 p. 16 Keil. et all. Cavum aerem dixit Varro fr. sat. 81, 16 Oehl.: vias stelligeras aetheris explicans aere cavo emisit sonitum cotornix: quae verba Ad. Koehius, Exercit. crit. in prisc. poet. Rom. Bonn. 1851 p. 30 scite numeris inclusit hoc modo: aétheris viás stelligeras éxplicans cavo áëre —.

10) Conf. Lactant. I, 5 p. 23 ed. A. Thys.: Chaos quod est rudis inordinataque materiae confusa congeries. Id. II, 8 p. 110: nec audiendi sunt poetae, qui aiunt chaos in principio fuisse, hoc est confusionem rerum atque elementorum. Lact. Placid. ad. Ovid. 1: Chaos, ut Hesiodus indicat volumine, quod deorum originem continet, fuit in initio rerum quaedam confusio, quae postea in suas species distributa est. De tali chao idem dici potest, quod de Anaxagorae *ὁμοιομερῶν* congerie Aristoteles dicit Met. I, 8 p. 989a 33: *ἄτοπον γὰρ τὸ φάσκειν μεμῖχθαι τὴν ἀρχὴν ἅπαντα, καὶ διὰ τὸ συμβαίνειν ἄμικτα δεῖν προϋπάρχειν, καὶ διὰ τὸ μὴ πεφυκέναι μεμῖχθαι τῷ τυχόντι τὸ τυχόν.*

que *σκοτόεσσαν ὀμίχλην* dixisse accepimus[11]), unde apparet, fuisse illud iis aerium quiddam, caliginosum atque tenebricosum. Id procedente tempore coalnisse dixerunt in ovi figuram, motumque inclusi aetheris vi tandem ruptum esse Phanetemque ex sese emisisse, qui et Metis et Ericapaeus dictus est. Denique ex veteribus, qui de Hesiodi cosmogonia dixerunt, perpauci tantum *χάος* spatium esse crediderunt[12]), plerique aquam interpretati sunt, in quibus etiam Zenonem fuisse legimus[13]), nec defuerunt, qui aerem interpretarentur, quorum unum Zenodotum scholiastes theogoniae ad v. 116 commemorat[14]). Et sane, si quid horum eligendum sit, haec mihi sententia a vero proxime abesse videtur, modo ne quis de hoc aere cogitet, quem nos nunc spiritu ducimus, sed de caliginosa quadam natura, quae quum nulli eorum quattuor corporum, quae elementa vocantur, similis esset, proxime tamen ad aeris similitudinem accederet, cuique, quum nullum elementi alicuius nomen satis conveniret, tale nomen impositum est, quo nihil aliud nisi penetrabile quiddam et dissipabile significaretur, quod, quum ipsum nulla forma ac specie praeditum esset, omnium, quaecunque post extiturae erant, formarum pariter capax esset, quumque nihil solidi atque concreti haberet, tanquam vacuum quiddam et
11 inane designari poterat, in quo rebus omnibus postea prodituris locus ac spatium esset. — Ex hoc igitur Chao primum extiterunt Terra et Cupido, quorum altera omnem solidioris materiae concretionem ex

11) Vid. locc. apud Lobeck. Agl. p. 472. sqq.

12) Arist. de Xenoph. c. 1. 2. Phys. ausc. IV, 1. cf. Sext. Emp. Pyrrh. hyp. III, 6. adv. Phys. X, 1. Plutarch. de Is. et Os. c. 57, quamquam is alibi, Aqu. et ign. comp. c. 1, etiam eorum sententiam non improbat, qui chaos aquam interpretabantur, eamque interpretationem plerisque probatam esse testatur. Alterius autem interpretationis mentionem habet etiam schol. th. p. 393 Gaisf.

13) Vid. schol. Apollon. I, 498. Cf. Prob. ad Verg. Ecl. VI, 31 p. 21 Keil. Etiam Platonem de Hesiodi chao similiter statuisse suspicetur aliquis e Cratylo p. 402 B. Ibi enim, quum de iis dicat, qui quoniam omnia fluere et manare statuerent, etiam aquosam naturam omnium rerum principium esse voluerint, in his Hesiodum numerat. *Ὥσπερ οὖν* inquit, *Ὅμηρος Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσίν φησι καὶ μητέρα Τηθύν, οἶμαι δὲ καὶ Ἡσίοδος κτλ.* Hesiodi de Oceano locum non respici apparet, quoniam ibi Oceanus et Tethys nequaquam omnium deorum, sed fontium tantum et fluviorum parentes sunt. Itaque aut memoria Platonem fefellit, aut Chao similem quandam naturam tribuit, atque Oceano, h. e. fluidam et aquosam.

14) Fuisse etiam qui ignem chaos esse vellent ex Cornuto intelligitur c. 17 p. 85.

elementis in chao diffusis significat, unde et orbis hic terrarum et quaecunque e terra nascuntur conformata sunt; alter autem vim illam animalem, quae omnis generationis causa atque principium est. Horum utriusque quasi fontem in chao fuisse necesse est, ex quo ea incognitae cuiusdam et reconditae causae impulsu sive insitae cuiusdam necessitatis lege aliquando prodierunt. De hac causa Hesiodeus poeta nihil dicit; quid alii dixerint, postea videbimus. Ceterum quum Terram pro solidiore materia, Cupidinem pro vi animali habendum esse diximus, hoc tamen utique tenendum est, sicut in Chao utriusque rei fons fuerit, sic in his quoque, quae e Chao prodierunt, neutram plane ab altera separatam et discretam, sed nec Terram sive materiam prorsus inertem atque inanimam, nec vim illam animalem, quae Cupidinis persona significatur, incorpoream fuisse. Hoc duntaxat differebat, quod, quae etiam materiae indita erat vis animalis, huius principatum Cupido habebat, cuius numine et impulsu opus erat, ut insita materiae vis et facultas ad generandum excitaretur; quo quidem munere ille etiam postea fungi non desinit, sed exortis e Terra diversis sexibus, nataque Venere, quae marium et feminarum copulationi praeest, huic se comitem adiungit, theog. v. 201. Omne autem eius munus, quemadmodum iam supra dictum est, hac una re continetur, ut ad generandum excitet; sed quae eo impellente primum ex Terra, post ex Terrae subole generantur, haec omnia, pariter ut ipsa Terra, non inerti solum materia constant, sed animam materiae iunctam habent, atque sicut materia posteriore quaque generatione perfectior magisque quasi subacta evadit, sic anima quoque per gradus magis magisque perficitur, et a naturali illo et necessario instinctu, quo olim regebatur, ad mentis libertatem, ad prudentiam, ad sapientiam denique procedit, quibus rebus quum superent haud dubie iuniores dei illum primum generandi auctorem Cupidinem, ea tamen huius vis est, quam si exerceat, facile eos sibi parere cogat, consiliumque eorum et sapientiam vincat, *δαμνᾶς ἐν στήθεσσι νόον καὶ ἐπίφρονα βουλήν.*

Quod autem ex Chao, post Terram et Cupidinem, etiam Erebus et Nox prodiisse dicuntur, hac de re sic statuendum est. Emissis ex semet Terra et Cupidine Chaos nequaquam tamen exhaustum est, id quod etiam hinc manifestum fit, quod memoratur a poeta v. 814 *χάος ζοφερόν* in Tartaro, quem alii in ipsius terrae cavitatibus, *μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης*, alii infra orbem terrarum esse credebant, tantundem infra depressum, quantum superne caelum attollitur, cuius utriusque

opinionis in hac theogonica compositione indicia reperiri alibi demonstravimus.[14b]). Neque, opinor, abhorrebat huius theogoniae auctor ab ea sententia, in qua Empedocles fuisse dicitur, qui hunc mundum partem tantummodo totius universi esse statuebat, extra mundum autem *ἀρχὴν* sive *ἀργὴν ὕλην*[15]) Nam quod illi *ὕλη*, hoc theogoniae auctori chaos erat. Ex hac igitur parte chai, quae post emissos ex semet Terram et Cupidinem reliqua erat, postea excitato etiam in hac
12 illo, qui antea quieverat, nisu generandi, quum solidiora corpora conformari non amplius possent, gignuntur residuae eius naturae congrua Nox et Erebus, h. e. duplex 'genus tenebrarum, alterum infernum et subterraneum, alterum statis vicibus super terram se effundens rursusque recedens. Nam tenebras veteres non incorporeas esse censebant et existere tantum lucis defectu, sed constare per se suamque habere substantiam, quam in aere ponebant[16]). *Μέλας γὰρ ὁ ἀήρ*, inquit Eustathius ad Il. IV, 140, *ὅθεν καὶ ἠέροεν τὸ σκοτεινὸν καὶ ἠέρα τὴν ἀορασίαν φησὶν ὁ ποιητής.* Nec aliter Philo de mundi opif. c. 7 (tom I p. 6 ed. Mang.): *μέλας ὁ ἀὴρ τῇ φύσει*, quamobrem etiam *σκότος* dicitur; et explicatius Plutarchus de prim. frig. c. 9: *ὅτι δὲ ἀὴρ τὸ πρῶτον σκοτεινόν ἐστιν οὐδὲ τοὺς ποιητὰς λέληθεν· ἀέρα γὰρ τὸ σκότος καλοῦσιν. „Ἀὴρ γὰρ παρὰ νηυσὶ βαθὺς ἦν οὐδὲ σελήνη οὐρανόθεν προὔφαινεν“* (Od. IX, 144) *καὶ πάλιν „Αὐτίκα δ' ἠέρα μὲν σκέδασεν καὶ ἀπῶσεν ὀμίχλην, ἠέλιος δ' ἐπέλαμψε, μάχη δ' ἐπὶ πᾶσα φαάνθη.“* (Il. XVII, 649), cuiusmodi exempla permulta esse neminem fugit. Addit autem Plutarchus: *καὶ γὰρ κνέφας τὸν ἀφώτιστον ἀέρα καλοῦσι, κενὸν, ὡς ἔοικε, φάους ὄντα* (scilicet vocabulum e *κενός* et *φάος* factum esse rati) *καὶ νέφος ὁ συμπεσὼν καὶ πυκνωθεὶς ἀὴρ ἀποφάσει φωτός*, (h. e. *νέφος* ex negatione *νέ* et *φάος* factum,) denique, *ὅσα τοῦ φωτὸς οὐ παρέχει τῇ αἰσθήσει δίοψιν, ἀέρος εἰσὶ διαφοραί.*

14b) Vid. diss. de extrem. mundi part. p. 7.

15) Cf. Karsten. Empedocl. p. 418.

16) Substantiam tenebris propriam ne suam asseruit nuper etiam Joannes Richers in libro quem inscripsit Natur und Geist tom. III p. 265, similiterque de frigore statuit p. 9 et 112, quod plerique perperam, ut mihi quidem persuasissimum est, nihil nisi caloris absentiam esse autumant. Veterum de utraque re sententias non easdem omnium fuisse vel ex Plutarchi libro de primo frigido notum est. Cf. Schol. Eurip. Orest. v. 177. Ideler. ad Aristot. Meteor. t. II p. 390.

Cupidinem cosmogonicum etiam alii praeter Hesiodum complures adhibuerunt ad mundi conformationem explicandam. Ac primum quidem Orphicorum theogonia ea, quae continebatur quattuor et viginti rhapsodiis *ἱερῶν λόγων*, causam et principium omnium rerum *Χρόνον*, Tempus, posuit: ex hoc generatos esse Chaos et Aethera, eosque in ovi formam coaluisse, quo dirupto prodiisse Phanetem, qui idem etiam *Ἔρως* s. Cupido cognominatur[17]). *Χρόνον*, inquit Proclus in Plat. Timae. II p. 86 B. 202 Schn., *τὸ πρῶτον ἐπωνόμασαν, ὡς δέοντος, οὗπερ γένεσίς ἐστιν, ἐκεῖ προηγεῖσθαι τὸν χρόνον*: quae interpretatio rem non magnopere explanat. Nec meliora ab aliis proferuntur. Qui Tempus causam rerum gignendarum, *τὴν πρώτην πάντων αἰτίαν*, statuerunt, hos necesse est una cum temporis notione etiam actionis notionem coniunxisse, quandoquidem tempus solum per se constans cogitari non magis potest, quam actio sine tempore[18]); aut si quis illud a se tamen cogitari posse autumet, efficere certe tale tempus vacuum nihil quidquam posse in aperto est. Itaque Orphici illi, quum causam primam, *τὴν ἄρρητον ἀρχήν*, actionem quidem esse debere intelligerent, qualis autem aut cuius ea esset, significari non posse viderent, id posuerunt, quod quum cogitari absque 13
actione non posset, de ipsa tamen actione nihil definiret. Haec igitur actio primum omnium Chaos et Aethera, h. e. duplex genus materiae effecit, alterum tenebricosum, caliginosum, corporeum, alterum lucidum, tenue, animale: quae quum inter se coaluissent, extitit hinc deus primigenius, *πρωτόγονος*, qui Phanes dicitur, quia primus apparuit aliaque post apparere fecit, item Metis, quia plenus fuit consilii atque rationis, *Ἔρως* autem s. Cupido, quia appetens fuit generandi et procreandi. Fuit autem is masculofemineus, alatus, cum capitibus capri, tauri, leonis, draconis, denique multum diversus ab eo, quem Hesiodus *κάλλιστον ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι* praedicat, et, quod quidem ad formam attinet, Typhoeo quam Cupidini similior. Hunc autem et quae-

17) Procl. in Tim. II p. 132 A. 311 Schn.: *ὁ Φάνης περικαλλέος Αἰθέρος υἱὸς ὀνομάζεται καὶ ἁβρὸς Ἔρως*. Cf. Orph. Arg. v. 12: *Ἀρχαίου μὲν πρῶτα Χάους ἀτέκμαρτον ἀνάγκην, καὶ Κρόνον* (scr. *Χρόνον*) *ὡς ἐλόχευσεν ἀπειρεσίοις ὑπὸ κόλποις Αἰθέρα καὶ διφυῆ περιωπέα κυδρὸν Ἔρωτα, Νυκτὸς ἀειγνήτης υἱᾶ κλυτὸν ὃν ῥα Φάνητα ὁπλότεροι κλῄζουσι βροτοί*, et v. 426: *πρεσβύτατόν τε καὶ αὐτοτελῆ πολύμητιν Ἔρωτα*.

18) Cf. Aristot. Phys. IV, 10. 11. Stobae. Ecl. I p. 250. Lucret. 1, 454. Serv. ad Verg. Aen. VII, 37.

cunque ab eo procreata erant postea Iupiter devorasse, ac deinde rursus ex semet progenuisse, eoque modo huius, qui nunc est, mundi pater atque creator factus esse dicitur, quamobrem non mirum est, eadem, quae illi, quem devoraverat, Primigenio cognomina etiam Iovi indita esse, ut diceretur *καὶ Μῆτις πρῶτος γενέτωρ καὶ Ἔρως πολυτερπής*[19]). — Ceterum haec Orphicorum monstra quam vetusta sint, perquam mihi dubium videri iam alibi significavi[20]), quum antiquiores eorum testes nullos habeamus, quam aut patres Christianos, Athenagoram Clementemque utrumque, aut Platonicos recentiores, Hermiam, Proclum, Damascium aliosque: ut non immerito hanc omnem partem theogoniae, quae est de Phanete eiusque cataposi, antiquioribus ignotam et recentius demum a Platonicis insertam suspiceris, qui suae de mundo intelligibili ante hunc materialem doctrinae vetustissimum poetam quodammodo praelusisse vellent. Antiquior sine dubio ea est theogoniae Orphicae forma, quam ex Hieronymo Damascius memorat de princ. p. 380, paullo certe minus monstrosam. Haec in principio ponebat Humorem Terramque, h. e. solidiorem materiam, ex humore concretam: sed utrique vim quandam vitalem atque animalem insitam fuisse res ipsa manifestum facit. Nam coiisse inter se filiumque procreasse dicuntur, nec dubitari potest, quin Terra femina, Humor masculus habitus sit, qui ab ipsis Orphicis Oceanus potius quam Ὕδωρ appellatus esse videtur, quandoquidem versum ex Homero nemini ignotum, *Ὠκεανοῦ, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται*, Athenagoras p. 144 Rechenb. tanquam Orphicum affert, hanc ipsam de principiis doctrinam, quam ex Hieronymo Damascius refert, commemorans. Nec mirum Homericum versum ad Orpheum referri, ad quem etiam Hesiodeos non paucos referri videmus. Quippe uterque, Homerus et Hesiodus, plurima ab Orpheo mutuati esse censebantur[21]). Sed filius Oceani et Terrae Chronus fuit, qui etiam Hercules vocatur, forma draconis, alatus, cum capitibus tauri et leonis, mediaque horum
11 facie divina. De hac forma, et cur Hercules dictus sit, nihil attinet nunc

19) Procl. in Timae. III, 156 A (368). cf. II. 137 C (324). Fragm. Orph. ap. Euseb. pr. eu. III, 9 et Stobae. Ecl. I, 3, 23 p. 44.

20) In dissert. de poesi theogonica Graec. p. 13.

21) Cf. Clem. Al. Strom. VI c. 2. Tzetz. exeg. Iliad. p. 26. Etiam in hymnis Orphicis aliquot versus Homerici sunt, velut LXXXIII, 4 est ex Il. XXI, 196. hymn. XVII, 1 ex Od. IX, 528. hymn. XXXV, 5 ex h. Hom. in Apoll. Del. v. 16.

quaerere: Chronum autem propterea dictum statuo, quia rerum, in quas temporis mensura cadit, omnium ab hoc initium coeptum est. Adiungitur huic apud Damascium *Ἀνάγκη* sive *Ἀδράστεια*, ad significandum scilicet, necessitatis legem ipsi rebusque ab eo generandis iniunctam. Ex rebus autem, quae generaverit, commemorantur a Damascio *αἰθὴρ καὶ χάος ἄπειρον καὶ ἔρεβος ὀμιχλῶδες*, ab utroque autem teste ovum ingentis magnitudinis, ex his videlicet conflatum, et ex ovo exclusus deus Protogonus, qui et Iupiter et Pan vocatur. Erotis autem s. Cupidinis nomen non magis quam Metidis, Phanetis et Ericapaei in hac Hieronymica theogonia memoratur.

Sed doctrinam illam de ovo mundano et Cupidine ex ovo excluso etiam Aristophanes aves suas in fabulae cognominis parabasi proponentes fecit, quamquam ridicule diffictam:

Χάος ἦν καὶ Νὺξ Ἔρεβός τε μέλαν πρῶτον καὶ Τάρταρος εὐρύς,
Γῆ δ' οὐδ' ἀὴρ οὐδ' οὐρανὸς ἦν· Ἐρέβους δ' ἐν ἀπείροσι κόλποις
τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον Νὺξ ἡ μελανόπτερος ᾠόν,
ἐξ οὗ περιτελλομέναις ὥραις ἔβλαστεν Ἔρως ὁ ποθεινός.
Οὗτος δὲ Χάει πτερόεντι μιγεὶς νυχίῳ κατὰ Τάρταρον εὐρὺν
ἐνεόττευσεν γένος ἡμέτερον καὶ πρῶτον ἀνήγαγεν εἰς φῶς.
Πρότερον δ' οὐκ ἦν γένος ἀθανάτων πρὶν Ἔρως συνέμιξεν ἅπαντα,
ξυμμισγομένων δ' ἑτέρων ἑτέροις γένετ' οὐρανός τ' ὠκεανός τε
καὶ γῆ πάντων τε θεῶν μακάρων γένος ἄφθιτον — —

quae si cui ad veriorem formam revocare libuerit, quattuor his nominibus, Chaus, Noctis, Erebi, Tartari, duo principia significari dixerit, quorum alterum *χάος* sive *νύξ*, alterum *ἔρεβος* sive *τάρταρος* fuerit. Quamquam fieri potest etiam, ut ex Chao Nox et frater eius Erebus, qui idem Tartarus, prodierint. Nam poeta, ilocalariter tantum haec traducens, rem accuratius proponere nihil opus habuit. Sed ovum illud, si epitheton eius *ὑπηνέμιον* urgendum est, Nox ex semet ipsa, nullo generante, peperisse dicitur in Erebi sinu ac recessu, unde exclusus Cupido e Chao sive prima materia deos alites omnemque deinceps rerum universitatem produxerit, innectis nimirum inter se apteque copulatis rerum elementis, quae in Chao confusa latebant: possitque ali-

quis hanc Cupidinis cum Chao copulationem comparare cum eo, quod de spiritu Sanchoniathonis Philo apud Eusebium refert: *καὶ ἠράσθη τὸ πνεῦμα τῶν ἰδίων ἀρχῶν.* Nam principium, cuius amore spiritus incensus esse dicitur, fuit *ἀὴρ ζοφώδης*, sive alio nomine *πνοὴ ἀέρος ζοφώδους* aut *χάος θολερὸν ἐρεβῶδες.*

Irrisisse haec somnia cosmogonica etiam mediae comoediae poetam Antiphanem ex Irenaeo cognoscimus, qui ex huius quadam fabula, quam propter hoc ipsum argumentum Theogoniam vocat, haec refert, in disputatione contra Valentinianos gnosticos II, 17 p. 308 Stier.: „Multo verisimilius et gratius (scil. quam Valentiniani) de universorum genesi dixit unus de veteribus comicis Antiphanes in Theogonia. Ille enim de Nocte et Silentio Chaos emissum dicit, dehinc de Chao et Nocte Cupidinem, et ex hoc Lumen, dehinc reliquam secundum eum primam deorum genesin. Post quos rursus secundam deorum generationem inducit et mundi fabricationem. Dehinc de secundis diis narrat hominum plasmationem." Intelligitur ex his, apud Antiphanem principia fuisse Noctem et aliud quiddam, quod Irenaeus vel potius is, qui librum Irenaei latine vertit, Silentium interpretatus est. Apud Graecum poetam *Σιγὴν* fuisse non est credibile, non modo propterea, quod haec in antiquis cosmogoniis a nullo mememoratur, sed quod masculum potius principium poni debuisse apparet, ex cuius cum Nocte coniunctione Chaos tanquam partus prodierit. Nam Nox quin pro matre habita fuerit, dubitari non potest. Neque quidquam probabilius videtur, quam copulatum cum ea *Σκότον* fuisse. Certe *Σκότον* persona indutum videmus etiam apud Sophoclem Oed. Col. v. 40, ubi Furiae dicuntur *Γῆς τε καὶ Σκότου κόραι* itemque v. 106, *παῖδες ἀρχαίου Σκότου*, quemadmodum ab aliis quoque factum esse ex Aeschinis scholiasta discimus p. 747 Reisk. Irenaeum autem aut eius interpretem ut Silentium pro Scoto poneret, non una causa permovere potuit: sive quod epitheton aliquod additum erat, velut *σιγηλὸς Σκότος*, sive quod non competebat aptum vocabulum latinum, quoniam Tenebrae et generis feminini et numeri pluralis est, sive quod sic evidentior evadebat comicae huius cosmogoniae cum gnosticis similitudo, qui pro principiis *Βύθον* et *Σιγὴν* posuerunt[22]). Utut est, illud pro certo affirmare licet, hanc, quae

22) Quanto studio gnosticorum adversarii id egerint, ut pleraque ab ethnicis

Antiphani tribuitur, cosmogoniam ab illa, quam modo ex Aristophane proposuimus, tam diversam esse, ut reiicienda sit Meinekii suspicio[23]), Antiphanis nomen librariorum errore pro Aristophanis scriptum, nullumque alium locum Irenaeo obversatum esse, quam illos Avium versus. Nam Aristophanes Chaos primo loco nominat; apud Antiphanem Chaos generatur ex Nocte et Scoto sive Silentio: apud Aristophanem Nox ovum ponit sine parente, unde Cupido excluditur; apud Antiphanem Cupido Noctis quidem filius est, sed alterum parentem Chaos habet, neque ovi apud eum mentio fit: denique apud Aristophanem Cupido ex Chao deos pinnatos omnemque rerum universitatem procreat; apud Antiphanem Cupido primum Lumen generat, de quo nihil est apud Aristophanem, ac deinde duae generationes deorum memorantur, hominesque a secundis deis procreati, quarum rerum omnium quum nihil apud Aristophanem Irenaeus invenerit, nisi hunc aut fraudis aut summae levitatis insimulare velimus, Meinekii sententia nullo modo probari posse videtur. Multo probabilior est Grabii coniectura, sumpsisse ista Irenaeum ex Antiphanis comoedia, quae inscripta erat *Ἀφροδίτης γοναί*, in qua quum de Veneris ortu dictum fuisse ipse titulus facile persuadeat[24]), commodissime etiam de ceterorum deorum omnisque rerum naturae origine dici potuisse apparet: eaque causa
Irenaeo esse potuit, ut Theogoniam hanc fabulam nominaret, quo no- 16
mine Aristophanis Aves propter paucos illos versus appellari potuisse vix credibile est.

Sed redeundum ab his comicorum lusibus ad eos est, qui serio agebant, quorum non pauci magnas Cupidini partes in mundi conformatione assignarunt. Nam Pherecydes, placita sua miris allegoriarum formis includens, summum deum, quem Iovem dixit, a quo materiam motam atque formatam voluit, in huius opificii progressu ad socianda inter se apteque vincienda rerum elementa in Cupidinem se transfor-

---

eos mutuatos esse arguerent, notum est. Vid. Hippolyt. p. 144 Mill., et Feuardent. ad Epiphan. I p. 27. Syzygias quidem eorum etiam in Hesiodi theogonia praemonstratas esse Epiphanius demonstrare satagit, adv. haer. lib. I. T. II p. 164 B.

23) Histor. crit. com. graec. p. 318 sqq.

24) De similibus fabularum titulis loquitur Lobeckius Agl. p. 436 sq., qui fabulas a solemnibus appellatas coniicit, quorum imaginem repraesentarent imitandis conviviis, pervigiliis aliisque ludicris. Nempe ab iis solemnibus, qui deorum natalicia erant aut esse credebantur.

masse dixit, quemadmodum Proclus testatur in Plat Timae. III p. 368 Schn.: *ὁ δὲ Φερεκύδης ἔλεγεν εἰς Ἔρωτα μεταβεβλῆσθαι τὸν Δία μέλλοντα δημιουργεῖν, ὅτι δὴ τὸν κόσμον ἐκ τῶν ἐναντίων συνιστὰς εἰς ὁμολογίαν καὶ φιλίαν ἤγαγε καὶ ταὐτότητα πᾶσιν ἐνέσπειρε καὶ ἕνωσιν τὴν δι' ὅλων διήκουσαν.* Multa praeterea de demiurgiae modo ac ratione, de variis deorum generationibus, de certaminibus eorum atque imperii vicissitudinibus, quae fuissent, ante quam omnia Iovi subiicerentur, fabulatus erat, de quibus dicere hoc loco nihil attinet. Hoc tamen non est silentio praetermittendum, si Iovem Pherecydes inde ab initio sui similem, h. e. sapientem et ratione atque consilio in mundi fabrica utentem induxit, qua de re dubitari non potest [25]), praelusisse eum sic quodammodo posteriorum philosophorum doctrinae, qui mentem mundi creationi praefecerunt. Quamquam Mentem Anaxagoras incorpoream esse voluit; Pherecydes Iovis naturam aetheream [26]), itaque corpoream, licet subtilissimam, statuerat. Hactenus igitur ille comparari potest cum Orphicorum Phanete, *περιμήκεος αἰθέρος υἱῷ*, quem et ipsum *Ἔρωτα* cognominatum esse vidimus; Hesiodeo autem Cupidini praestantiam mentis et sapientiam in mundo condendo tribui non posse demonstravimus.

Conspirare autem cum Hesiodo Acusilaus dicitur a Platone in Symposio c. 6 p. 178 B, quod quam vere dicatur eo difficilius est ad diiudicandum, quod quae alibi ex Acusilao a veteribus proferuntur, omnia fortassis adulterina sunt, ut Suidas aliquoties monuit [27]): nec repugnabo si quis cum C. Muellero [28]) librum illum, qui Acusilai nomen praeferebat, Alexandrina aetate compositum dicat. Sed Cupidinem ab Acusilao Noctis et Aetheris filium dictum esse scholiastes Theocriti in argumento idyllii XIII memorat: contra Damascius de princ. p. 383 Kopp. *Ἀκουσίλαος*, inquit, *Χάος μὲν ὑποτίθεσθαί μοι δοκεῖ τὴν πρώτην ἀρχὴν ὡς πάντῃ ἄγνωστον, τὰς δὲ δύο με-*

25) Hinc est, quod Aristoteles dicit Metaph. XIV, 4 p. 1091 b 9: *Φερεκύδης καὶ ἕτεροί τινες τὸ γεννῆσαν πρῶτον ἄριστον τιθέασιν.*

26) Cf. Prob. ad Verg. Ecl. VI, 31 p. 20 Keil.: Pherecydes diversa affert elementa: *Ζῆνα* inquit *καὶ Χθόνα καὶ Κρόνον* (scr. *Χρόνον*), ignem et terram et tempus significans: et esse aethera, qui regat, terram, quae regatur, tempus, in quo universa pars moderetur (scr. aether moderetur).

27) Sub vocc. *Ἑκαταῖος, ἱστορῆσαι* et *συγγράφω.*

28) Fragm. histor. Graecor. I p. XXXVIII.

τὰ τὴν μίαν Ἔρεβος μὲν τὴν ἄρρενα, τὴν δὲ θήλειαν Νύκτα, ἐκ δὲ τούτων φησὶ μιχθέντων Αἰθέρα γενέσθαι καὶ Ἔρωτα καὶ Μῆτιν. Ostendit autem Damascius se Acusilai librum non ipsum legisse, sed notitiam eius Eudemo debere, quem apparet varias et Grae- 17
corum et barbarorum sententias cosmogonicas et theogonicas collegisse[29]). Ait enim: *παράγει δὲ ἐπὶ τούτοις ἐκ τῶν αὐτῶν* (h. e. ex Erebo et Nocte) *καὶ ἄλλων θεῶν πολὺν ἀριθμόν, κατὰ τὴν Εὐδήμου ἱστορίαν.* Itaque in hac Acusilai theogonia, quam Eudemus retulit, haec fuisse videtur principiorum series, ut ex Chao primordiali prodirent Erebus et Nox, mas et femina, hoc est materia ad generandum et ad pariendum apta, ex quorum copulatione deinde subtilior quaedam natura existeret, quae quum aetherea esset, tum mente et consilio polleret, vimque in se haberet materiae ad generandum incitandae, quamobrem tribus eam nominibus appellavit, Aethera, Mentem, Cupidinem, quemadmodum etiam ab Orphicis Phanetem et *Μῆτιν* et *Ἔρωτα* cognominatum esse vidimus. Alterum testem si audimus, Aether Cupidinis pater dicebatur, quod et ipsum aliquis ad physicam rationem haud ineptam fortasse revocaverit. Utri horum maior fides sit, incassum quaeras. Hoc tamen apparet, ab Hesiodea fabula utramque relationem diversam esse.

Parmenides quoque Cupidinem in mundi fabrica adhibuit, eamque ob causam a Platone, Aristotele aliisque cum Hesiodo componitur. Interest tamen inter eos hoc maxime, quod, quum apud Hesiodum ipsius Cupidinis origo in obscuro sit, hanc Parmenides eatenus saltem explicare conatus est, ut primam quandam creationis causam indicaret, quae quum Cupidinem, tum ceteras naturae vires, quibus ille pariter deorum personas induit, produxisset. Hanc primam causam quo nomine appellaverit, non satis liquet: videtur autem non uno modo, sed aliter alibi appellasse. Nam e Platonis verbis, Sympos. c. 6: *Παρμενίδης δὲ τὴν γένεσιν λέγει „πρώτιστον μὲν Ἔρωτα θεῶν μητίσατο πάντων“* probabiliter colligitur, hoc ipsum *Γενέσεως* nomen a Parmenide usurpatum fuisse, quo quasi genetricem omnium rerum significaret, quemadmodum *γένεσιν* Hesychius interpretatur *πατέρα ἢ μητέρα*, Oceanumque Homerus, aethera Philostratus dixerunt *θεῶν γένεσιν*[30]). Sed eandem etiam *Ἀφροδίτην* a Parmenide vocatam

29) Cf. Diog. Laert. Prooem. §. 9.

30) Homer. Il. XIV, 201. Philostr. vit. Apoll. III, 34 p. 125. Cf. Intt. ad

esse ex Plutarcho colligas, qui in Erotico p. 756 haec habet: *Παρμενίδης μὲν ἀποφαίνει τὸν Ἔρωτα τῶν τῆς Ἀφροδίτης ἔργων πρεσβύτατον, ἐν τῇ κοσμογονίᾳ γράφων „πρώτιστον μὲν Ἔρωτα θεῶν μητίσατο πάντων“* [31]). Denique Ioannes Stobaeus, Ecl. phys. I, 23 p. 484, illam omnis motus et generationis causam, *τὴν τοκέα πάσης κινήσεως καὶ γενέσεως*, ab eo *δαίμονα, κυβερνήτην, κληροῦχον* (scr. *κληδοῦχον*), *δίκην, ἀνάγκην* dictam esse testatur, quibus nominibus etiam *πρόνοιαν* addere possumus ex Theodoreto, Therapeut. VI p. 87, 21 Sylb. (236 Gaisf.), cuius testimonium omnes adhuc, qui de Parmenide scripseruut, fefellisse videtur.
18 Sedem huic causae motrici et genetrici assignavit in medio eorum orbium, quibus mundum universum contineri voluit, id quod etiam versus testatur ex eius carmine a Simplicio servatus, *ἐν δὲ μέσῳ τούτων δαίμων ἣ πάντα κυβερνᾷ*): et fuisse eam non caecam quandam vim necessitatis, sed plenam rationis et consilii, quum *προνοίας* nomen ei inditum tum verbum *μητίσατο* demonstrat, in illo quem Plato et Plutarchus citarunt versiculo. Iam quum Cupidinem omnium deorum primum procreasse dicatur, necesse est etiam alios praeter hunc deos ab ea procreatos esse: quumque apud Ciceronem de N. D. I, 11, 28 Parmenides c u p i d i t a t e m, b e l l u m, d i s c o r d i a m ceteraque eiusdem generis ad deum revocare perhibeatur, non immerito conieceris Cupidini ab illo contrarias quasdam naturae vires adiunctas esse, deorum personis indutas, quemadmodum *Πόλεμον, Νεῖκος, Ἔριν* ab Heraclito, Empedocle aliisque in mundi fabrica adhibitos esse constat.

Fuerunt autem, qui etiam Platonis in Symposio Cupidini, Pori et Peniae filio, cosmogonicam quandam significationem asserere conarentur, cuius opinionis a veteribus nescio quibus propositae Plutarchum testem habemus. Is enim, de Is. et Osir. c. 57, postquam Hesiodi

---

Hesych. I p. 815. Jacobs. ad Aelian. H. A. p. 71. — De Platonis loco similiter iudicaverunt Hommelius et C. F. Hermannus in Diurn. antiquar. ann. 1835 p. 219. Ritter. hist. phil. I p. 481, quos laud. Winckelmannus ad Plutarch. Amat. p. 155. Et Godofredum quoque Hermannum sic iudicasse refert G. A. Koch. Obss. in Timae. lex. Plat. praef. p. XII.

31) Etiam Empedoclem *Φιλίᾳ* suae varia nomina imposuisse videmus; modo enim *Φιλότητα* dixit, modo *Γηθοσύνην*, modo *Ἁρμονίην*, modo *Ἀφροδίτην*. Vid. fr. v. 59. 107. 111. 209. 224. cum Karstenii annot. p. 347 n. 109. — De Parmenide cf. eundem in Parm. reliq. p. 235.

32) Apud Karsten. p. 42 v. 127.

Chaos, Terram, Tartarum, Cupidinem commemoravit, Aegyptiorumque deorum Isidem cum Terra, Osiridem cum Cupidine, Typhoeum cum Tartaro comparari dixit, addit deinde haec: *προσκαλεῖται δὲ καὶ τὸν Πλάτωνος ἀμωσγέπως τὰ πράγματα μῦθον. — — Ὁ γὰρ Πόρος οὐχ ἕτερός ἐστι τοῦ πρώτου ἐραστοῦ καὶ ἐφετοῦ καὶ τελείου καὶ αὐτάρκους, Πενίαν δὲ τὴν ὕλην προσεῖπεν, ἐνδεᾶ μὲν οὖσαν αὐτὴν καθ᾽ ἑαυτὴν τοῦ ἀγαθοῦ, πληρουμένην δὲ ὑπ᾽ αὐτοῦ, καὶ ποθοῦσαν καὶ μεταλαμβάνουσαν. Ὁ δὲ γενόμενος ἐκ τούτων κόσμος καὶ Ὧρος οὐκ ἀΐδιος οὐδ᾽ ἀπαθὴς οὐδ᾽ ἄφθαρτος, ἀλλ᾽ ἀειγενὴς ὤν, μηχανᾶται ταῖς τῶν παθῶν μεταβολαῖς καὶ περιόδοις ἀεὶ νέος καὶ μηδέποτε φθαρησόμενος διαμένειν.* Apparet primum pro *καὶ Ὧρος* scribendum esse *καὶ Ἔρως* aut *ὃς καὶ Ἔρως*[33]), Erotem autem accipi pro mundo hoc adspectabili, qui ad negatam sibi aeternitatem perpetuis occidendi et nascendi vicibus quodammodo tamen adspiret, quae interpretatio quantopere ab eo Cupidine, quem Plato nobis proponit, aliena sit, neminem fugere potest. Huius enim omnis vis et natura ad animi tantum humani conditionem eiusque amorem pulchritudinis pertinet. Quodsi quis fabulam illam de ortu Cupidinis Platone vetustiorem esse autumat, et ab hoc, neglecta genuina significatione, suo consilio accommodatam, sumit is suo arbitratu quod probari nulla ratione potest. Neque enim Peniam et Porum Cupidinis parentes a quoquam praeter Platonem dictos videmus, et Cupidinem, quicunque cosmogonicum faciunt, aut nullis aut longe diversis parentibus ortum esse perhibent. Et tamen Schellingius, quum in Brunone p. 188, tum in libro de diis Samothr. p. 12, non dubitavit similem quandam Platonicae fabulae interpretationem nobis proponere, eique Orphicam originem asserere, plaudente, ut par erat, Creuzero, Symbol. II, 369 sq. et III, 574 ed. 2. Ubinam vero quidquam simile vel in fragmentis Orphicorum, vel apud
quemquam eorum, qui de horum fabulis ac placitis retulerunt, inve- 19
niatur, neuter eorum nos docet. Nimirum quum pauca de Orphicis satis comperta sint, eaque ipsa a plerisque ignorentur, impune illo nomine se abuti posse arbitrantur ad quandam vetustae auctoritatis commendationem commentis suis apud imperitos conciliandam. Sed hos satis refutavit Albertus Jahnius in dissertatione Platonica, Bernae 1839 edita, p. 137. 145. 150, idemque etiam ceterorum omnium inter-

33) Id iam Squirium voluisse cognosco e Partheyi annot. p. 103.

pretamenta accurate percensuit. Nobis de vera Platonicae fabulae sententia unus rectissime disseruisse videtur Zellerus, Philos. Graec. tom. II p. 167 sqq.

Tantum de Cupidine cosmogonico philosophorum: non indignos enim philosophorum nomine eos omnes iudico, qui de causis rerum ac principiis quaesiverunt, quamvis sententias suas non sine fabularum involucris expromere potuerint, naturaeque vires deorum personis significaverint, quamobrem eos Aristoteles theologos quam philosophos dicere maluit[34]). Sed horum theologia quatenus cum religione populari aut conspiraverit aut discordaverit, perquam difficile est ad definiendum. Quippe popularis Graecorum religio venerationem quidem habebat deorum, eosque coli ab hominibus iubebat ut *δοτῆρας ἐάων*, a quibus bona malaque hominibus dispensarentur; sed quum de singulorum muneribus atque potestatibus nulla fere constans ac certa doctrina esset, tum omnis haec quaestio de prima rerum origine, et quae in mundi creatione huius vel illius dei partes fuissent, a populi religione remota erat, neque quidquam de his rebus in templis a sacerdotibus tradebatur. Sic igitur etiam de Cupidine hoc quidem constat, cultum eum a Graecis non uno loco fuisse, qualem autem coluerint minus liquet: sed hoc pro certo affirmari potest, quum vel a poetis, vel ab aliis, qui in vulgari inscitia rerum diviuarum non acquiescerent, perquam varia atque diversa dicerentur, ex his pro suo quemque captu et ingenio id arripuisse, quod ipsi maxime probabile videretur. Itaque et de ortu Cupidinis varia et multiplex opinio fuit, quum alii eum aliis parentibus editum, alii minimum natu, alii omnium deorum antiquissimum dicerent, et numen quoque eius modo ad hominum duntaxat aut etiam deorum animos amore incendendos pertinere visum est, modo ad animalium omnium copulationem, aut ultra haec etiam ad res sensu carentes, velut ad stirpes quae terra continentur, aut denique ad ipsa prima rerum elementa inter se miscenda atque coniungenda: quarum sententiarum nulla est, quam unam praeter ceteras receptam vulgoque probatam et sacerdotali aut publica auctoritate stabilitam dicere liceat.

Coluerunt autem Cupidinem omnium religiosissime Thespienses in Boeotia, in quorum agro quum Ascra pagus esset, coniecerit aliquis

34) Metaphys. III (*B*), 4 p. 1000 a 9. XII (*Λ*), 4 p. 1071 b 27. Cf. Bonitz. Comm. p. 160.

hanc religionem etiam Ascraeo poetae in causa fuisse, ut Cupidini tam insignem in theogonia locum daret, sequutumque eum hac in re esse popularium persuasionem. Ea coniectura nec refutari certis argumentis, nec stabiliri facile potest. Nam in iis, quae de Thespiensium cultu Cupidinis tradita sunt, quum nihil sit, unde cosmogonicum hunc deum habitum esse appareat, est tamen etiam nihil, quod eum non talem 20
fuisse demonstret, nisi quis forte hoc ipsum per se parum credibile esse dicat, antiquissimos horum sacrorum conditores tam subtiliter de mundi origine philosophatos esse, ut Cupidinem quendam comminiscerentur elementorum copulatorem. Nam antiquissimum Cupidinis cultum apud Thespienses fuisse hinc apparet, quod in templo eius pro imagine rudem lapidem habebant, ut Pausanias testatur IX, 27, 1: *καί σφισιν ἄγαλμα παλαιότατόν ἐστιν ἀργὸς λίθος*. Quae autem de cultu eius accepimus, perpauca sunt. Primum Erotia sive Erotidia festum ei celebratum esse quinto quoque anno ad montem Heliconem, cum certaminibus gymnicis et musicis, cuius festi celebritatem cum Panathenaeis Atheniensium, Olympiis Eleorum, Aleis Rhodiorum Athenaeus compouit XIII, 12 p. 561. Porro ex Plutarcho colligi potest, invocari Cupidinem a Thespiensibus solitum ad dissolutam inter coniuges gratiam reconciliandam [35]). Denique quum fontem Thespiis fuisse legamus „conceptus mulieribus repraesentantem“, ut Plinius ait H. N. XXXI, 2 p. 342 Gron., quumque in vicinia etiam Priapi cultum floruisse audiamus [36]), quem deum multi fratrem Cupidinis, uterinum saltem, perhibuerunt, vicinumque Cupidini Priapum etiam ibi inveniamus, ubi pari quam apud Thespienses religione ille colebatur, in Asia ad Hellespontum [37]), non errabimus, opinor, si in populari quidem religione hanc maxime vim Cupidinis spectatam fuisse suspicamur, quae ad coniunctionem sexuum generationemque pertineret. Quodsi quis vim eius atque numen etiam latius patere, adeoque in ipsa totius mundi generatione pollens potensque fuisse diceret, nulla, ut opinor, publica lege, nullo sacerdotum interdicto coercebatur: modo

35) Plut. Erot. p. 749 B.

36) Pausan. IX, 31, 2.

37) Pausan. l. l. Strab. XIII, 1 p. 90 Tauchn. Athenae. I, 30 B. Schol. Theocr. I, 21. Vergil. Georg. IV, 111. Ovid. Trist. I, 9, 26. Klausen. Aeneas u. d. Penat. I p. 84 sqq. — In hymno Orphico V, 9 *Πρίηπος* idem est, qui *Πρωτόγονος*, *Ἠρικεπαῖος*, *Φάνης*, quem quidem etiam *Ἔρωτα* dictum esse supra vidimus. Poterit igitur, qui volet, etiam Priapo cosmogonicam dignitatem asserere.

ne quis talem doctrinam cosmogonicam aut vulgo creditam aut inter sacra traditam autumet. Nam quod Creuzerus, ad Plotin. de pulchr. praep. p. XXX, in sacris Thespiensium non Veneris filium Cupidinem[38]) sed deorum antiquissimum celebratum esse ex Olenis quodam hymno colligit, qui Ilithyiae filium Cupidinem dixerit: hymnos Olenis Thespiensium sacris ipse vir *μυθολογώτατος* suo arbitratu largitus est, qua de re mox videbimus. Idem etiam mysteria quaedam Cupidinis apud Thespienses fuisse credit, in quibus de animi humani conditione subtilior quaedam doctrina per dei illius et Psychae fabulam initiatis inculcata fuerit; quam opinionem, olim a nonnullis temere conceptam, prudentiorum quidem iudicia iamdudum refutarunt[39]). Non defuerunt etiam, qui ad Cabirorum mysteria nos vocarent, quibus non admodum dissimilia Thespiensium sacra fuisse vel propterea crederent,
21 quod Tyrrhenos Pelasgos, quorum propria fuerit Cabirorum religio, in his olim regionibus habitasse constaret, iidemque etiam ad Hellespontum quondam sedissent, ubi non minus quam apud Thespienses Cupidinem cultum esse Pausanias auctor est, IX, 27, 1. *Σέβονται*, inquit, (*τὸν Ἔρωτα*) *οὐδὲν ἧσσον καὶ Ἑλλησποντίων Παριανοί.* Parium enim ab Iasionis filio aut nepote Pario conditum esse complures memorant[40]): Iasionem autem Hyginus, Poet. astr. II c. 4 p. 366 Munck., Hermippum auctorem laudans, Thusci, hoc est Tyrrheni, filium perhibet, unde colligi volunt, Parium olim Tyrrhenorum fuisse. Quamvis autem hanc urbem postea Iones ex Mileto, Erythris insulaque Paro occupasse dicantur[41]), nihil obstare tamen, quominus cultum illum Cupidinis, qualem apud ceteros Iones non invenimus, antiquiorem hac occupatione et a priscis habitatoribus Tyrrhenis cum advenis Ionibus communicatum esse statuamus. Atque Thespiensium quoque aliquam veterem cum Tyrrhenis connexionem non incredibilem aiunt. Nam licet conditorem Thespiarum alii Thespium dicant, Erechthei aut etiam

38) Non magna est, sed aliqua tamen fortasse Leonidae Tarentini auctoritas, qui id, quod Creuzerus negat, diserte testatur, cultum a Thespiensibus esse *τὸν Κυθερείης Ἔρωτα.* Anthol. Gr. I p. 164.

39) Cf. O. Jahn. Archaeol. Beitr. p. 124.

40) Filium Iasionis Parium dicunt Steph. Byz. s. v. *Πάριον.* Arrian. ap. Eustath. ad Od. V, 125 et ad Dionys. Per. p. 74. Ammian. Marcell. XXII, 8, 4; nepotem eius Hygin. P. A. II, 4 p. 366 Munck., Petellidem Gnosium auctorem citans.

41) Strab. XIII, 1 p. 90. Pausan. IX, 27, 1.

Cephisi fluvii filium [42]), alii Theuthrantis filium, Pandionis nepotem, Thespiadem [43]), tamen quum haud procul a Thespiis Cabirorum templum fuisse legamus lucumque Cereris Cabiriae et Proserpinae [44]), manifestum esse, gentem illam, cuius sacra Cabirica propria fuerunt, h. e. Pelasgos Tyrrhenos haec olim loca habuisse. Atque hac quasi statione occupata etiam longius coniectando progredi licet. Nam quum multa et magnopere inter se discrepantia de sacris Cabirorum tradantur, ex quibus apparet, quam ea ipsis veteribus ignota et obscura fuerint, bonum factum, quod ab uno saltem teste, Mnasea Patarensi, Aristarcheo illo, haec tria memorantur deorum Cabirorum nomina, *Ἀξίερος*, *Ἀξιόκερσος*, *Ἀξιόκερσα* [45]), quorum in primo graecum nomen Cupidinis *Ἔρος*, forma aeolica, qua Hesiodus quoque utitur, iamdudum Frereti sagacitas investigavit. Nam *Ἀξίερος* quidni credatur coaluisse ex *ἄξιος* et *Ἔρος*? quum praesertim etiam *ἄξιε ταῦρε* acclamatum Dionyso ab Eleorum mulieribus esse Plutarchus doceat [46]). — Atqui Mnaseas, qui unus haec tria nomina tradidit, *Ἀξίερον* non C u p i d i n e m sed C e r e r e m interpretatur. — Enimvero licere mythologis debet veterum scriptorum testimoniis delectum quendam ac iudicium adhibere, ut tantum cuique tribuant, quantum conciliari cum suis 22
rationibus posse sperent, quae autem non conveniant, errori atque inscitiae testium imputent; quod ius nisi concedatur mythologis, obmutescere scilicet cogentur de rebus plurimis et gravissimis, multisque libris doctissimis lusibusque ingenii splendidissimis litterae nostrae carebunt [47]). Quod autem ad Axierum istum attinet, quidni dicamus eun-

42) Diodor. IV, 29. Pausan. IX, 26, 4. Schol. B. L. ad Il. II, 498, ubi pro *τοῦ Κηφέως* sine dubio *τοῦ Κηφισοῦ* legendum, cum Müllero, Orchom. p. 237.

43) Steph. Byz. s. v. Eust. ad Il. II, 498 p. 266, 7.

44) Pausan. IX, 25, 5. 26, 4.

45) Schol. Apoll. Rh. I, 917, cuius annotationem excerpsit Etym. M. s. v. *Κάβειροι*, p. 482, 27.

46) Quaestt. Graec. c. 36: *Διὰ τί τὸν Διόνυσον αἱ τῶν Ἠλείων γυναῖκες ὑμνοῦσαι παρακαλοῦσι βοέῳ ποδὶ παραγενέσθαι πρὸς αὐτάς; Ἔχει δ' οὕτως ὁ ὕμνος· „Ἐλθεῖν, ἥρω Διόνυσε, ἅλιον ἐς ναὸν ἁγνὸν σὺν χαρίτεσσιν ἐς ναὸν τῷ βοέῳ ποδὶ θύων.“ Εἶτα δὶς ἐπᾴδουσιν· „Ἄξιε ταῦρε“*. Magnopere dolendum est, quod non integrum contextum verborum Plutarchus perscripsit, ut intelligeretur, quid illud *ἄξιε* significaret quove pertineret. Nam fieri potuit, ut ad aliquid prius dictum referretur, quod a Plutarcho omissum est. Sic enim absolute dictum esse *ἄξιε ταῦρε*, ut significaret *σεμνέ, σεβάσμιε*, vix credibile videtur.

47) „Si cui miserum et inglorium videatur rem diu multumque agitatam re-

dem deum aliis Cupidinem aliis Cererem videri potuisse, ut masculofeminum, patrem simul rerum ar genetricem, quemadmodum apud Orphiros quoque Phanes, quem et ipsum *Ἔρωτα* cognominatum esse vidimus, *θῆλυς καὶ γενέτωρ* dicitur[48]), itemque de Iove legimus *Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη*[49]), aliaque androgynorum deorum exempla facile rongeri possunt.

Ut in Cabiriris mysteriis, sic in Eleusiniis quoque Cupidinem cosmogonicum mythologorum industria deprehendit. Nempe docemur a Pausania IX, 27, 3, fuisse hymnos quosdam in Cupidinem[50]) ab Orpheo et Pampho pro Lyromidis, Attica gente, compositos, quos illi inter sacra sua cantarent, neque improbabile videri potest, in his hymnis, qui Orphei esse putabantur, non admodum diversa de Cupidine dicta fuisse, quam quae hodieque ex Orphicorum reliquiis, quum antiquioribus, tum iis, quae recentioris fabricae sunt, cognoscuntur. Lycomidarum autem gentem in Eleusiniis *δᾳδουχίας* sacerdotio funrtam esse

tractando nibilo expeditiorem fieri, sed potius certa quae fuerant, ea incerta reddi, equidem baud intelligo, cur mythologo plus vereendaudam sit quam grammatico, cui aliqua nescienda esse vetus edicit proverbinm. Nam quum in omni genere et varietate doctrinae antiquariae multa sint, quae in aeternum ignorabnntur, tum haec qnaestio de Cabiris non nobis solum sed veteribus quoque parum expedita fuit, id quod summa sententiarum diversitas atqne adeo repugnantia ostendit, Strabonisque ipsins confessio." Lobeck. Agl. p. 1109 sq.

48) Proclus in Timae. II p. 130F (308 Schn.).

49) Arist. de mundo c. 7. Stobae. Ecl. ph. I, 3 p. 42.

50) Hos bymnos, si fuerunt Platonis aetate, admodum certe reconditos atque iguotos fuisse colligas e Phaedri querela, Sympos. c. 5 p. 177A: *οὐ δεινὸν — ἄλλοις μέν τισι θεῶν ὕμνους καὶ παιᾶνας εἶναι ὑπὸ τῶν ποιητῶν πεποιημένους, τῷ δὲ Ἔρωτι, τηλικούτῳ ὄντι θεῷ, μηδὲ ἕνα πώποτε τοσούτων γεγονότων ποιητῶν πεποιηκέναι μηδὲν ἐγκώμιον;* Quamquam in Phaedro p. 252B Homeridae quidam dicuntur *ἐκ τῶν ἀποθέτων ἐπῶν* proferre *δύο ἔπη εἰς τὸν Ἔρωτα, ὧν τὸ ἕτερον πάνυ ὑβριστικὸν καὶ οὐ σφόδρα τι ἔμμετρον. Ὑμνοῦσι δὲ ὧδε „Τὸν δ' ἤτοι θνητοὶ μὲν Ἔρωτα καλοῦσι ποτηνόν, Ἀθάνατοι δὲ Πτέρωτα διὰ πτερόφοιτον ἀνάγκην*, quos versus ex aliquo eorum hymnorum, quos Lycomidae cecinerint, Passovius esse suspicatur ad Musae. p. 55. Temere, ut arbitror. Potuerunt enim duo versiculi (*δύο ἔπη*) de Cupidine etiam in aliis carminibus esse, non solum in hymnis in ipsum Cupidinem compositis. Et quis spondeat, revera in aliquo Homeridarum carmine hos versus, cum mira nominis fictione metrique laesione, extitisse, ac non potius ab ipso Platone ioculariter confictos esse? Qui autem coniecturis ludere amant, bi poterunt *Πτέρωτα* illum interpretari de eo Cupidine, qui pinnatus, tanquam proprio epitheto, appellatur a Cicerone d. N. D. III, 23, 58, Dianae primae et Mercorii filio.

novimus. Ergo ab Eleusiniis quoque eum Cupidinem, quem Lycomidarum hymni Orphici celebrabant, non alienum fuisse colligitur. Atqui Eleusinium illud sacerdotium Lycomidae recentiore demum aetate nacti sunt, post extinctam Calliarum et Hipponicorum gentem, qui eo prius functi erant; antea illi duntaxat privata quaedam mysteria et sacellum habuerant in pago Phlyensi[51]): quamobrem, quum parum credibile sit, hymnos istos, quos in eorum usum Orpheus et 23
Pamphus fecisse dicebantur, recentiore demum tempore, post traditam eis Eleusiniam daduchiam, compositos fuisse[52]), consequitur necessario eos ad antiqua illa Lycomidarum sacra privata, non ad Eleusinia pertinuisse. De his igitur, deque Cupidine in iis celebrato, nihil hinc confici potest, nisi quis forte coniiciat privata illa sacra non magnopere ab Eleusiniis diversa fuisse, quae coniectura, quamvis fortasse probabilis, non tamen certa est[53]).

Videndum nunc de Lycii Olenis hymno in Ilithyiam composito, quem nihil ad Thespiensium sacra pertinuisse iam supra diximus. Nam Pausanias IX, 27, 1, postquam in summo apud Thespienses ho-

51) De gente Lycomidarum eorumque sacris et daduchiae sacerdotio vid. O. Müller. Minerv. Pol. sacr. p. 44sqq. Boeckh. Corp. Inscr. I p. 441 sq. Meier. de gentil. Att. p. 49.

52) Suspicatur tamen hoc Prellerus, Demet. u. Perseph. p. 62.

53) Clementem Alexandrinum si audias, Protr. c. 3 §. 44, plane nulli honores divini, ab Atheniensibus certe, Cupidini habebantur ante Charmum, qui Pisistrati aetate fuit. *Ἀμέλει*, inquit *τὸν Ἔρωτα τὸν ἐν τοῖς πρεσβυτάτοις τῶν θεῶν εἶναι λεγόμενον ἐτίμα πρότερον οὐδ᾽ εἷς, πρὶν ἢ Χάρμον μειράκιόν τι ἑλεῖν καὶ βωμὸν ἱδρύσασθαι ἐν Ἀκαδημίᾳ χαριστήριον ἐπιτελοῦς γενομένης ἐπιθυμίας.* Sed locupletiores auctores, Clidemus apud Athenaeum XIII p. 609 C. Pausan. I, 30, 1, aram quidem in Academia Cupidini primum Charmum consecrasse aiunt, nullum autem huius dei cultum ante hoc tempus apud Athenienses fuisse nequaquam testantur. Quamquam quae de eius cultu memorantur, perpauca sunt, haec fere: aras ei, sicut in Academia, sic in aliis quoque gymnasiis fuisse, et in Panathenaeorum lampadodromia ephebos cum taedis ardentibus ab ara eius in Academia decurrendi initium fecisse. Vid. Plut. Sol. c. 1. Schol. ad Plat. Phaedr. p. 57 Siebenk. et quae citantur a Meursio in Ceram. c. 25. Nec sane magnam Cupidinis religionem fuisse etiam Aristophanis verba demonstrant, apud Platonem, Symp. c. 14 p. 189 C: Non enim videri, inquit, homines vim Cupidinis plane intellexisse: *ἐπεὶ αἰσθόμενοί γε μέγιστ᾽ ἂν αὐτοῦ ἱερὰ κατασκευάσαι καὶ βωμοὺς καὶ θυσίας ἂν ποιεῖν μεγίστας, οὐχ ὥσπερ νῦν τούτων οὐδὲν γίγνεται περὶ αὐτόν.* Et Euripides Hippolyt. v. 535 chorum mulierum Troezeniarum dicentem facit: *ἄλλως, ἄλλως παρά τ᾽ Ἀλφειῷ Φοίβου τ᾽ ἐπὶ Πυθίοις τεράμνοις βούταν φόνον Ἑλλὰς αἰ᾽ ἀέξει, Ἔρωτα δὲ τὸν τύραννον ἀνδρῶν - - οὐ σεβίζομεν.*

nore Cupidinem esse memoravit, addit deinceps de natalibus eius dei perquam diversas esse hominum opiniones, quum plerique eum natu minimum et Veneris filium faciant, Olen Ilithyia natum perhibeat, Hesiodus contra omnium antiquissimum dicat. Sappho denique varia et inter se pugnantia canat; quid autem Thespiensibus visum sit, vulgarine opinioni, an Oleni, an Hesiodo assenserint, id prorsus in medio relinquit. Quae autem alibi de Olenis hymno referuntur, non apud Thespienses eum sed apud Delios cantatum esse demonstrant. Pausan. VIII, 21, 2: *Λύκιος Ὠλὴν ἀρχαιότερος τὴν ἡλικίαν* (scil. quam Homerus) *Δηλίοις ὕμνους καὶ ἄλλους*[54]) *ποιήσας καὶ εἰς Εἰλείθυιαν, εὔλινόν τε αὐτὴν ἀνακαλεῖ, δῆλον ὡς τῇ πεπρωμένῃ τὴν αὐτὴν, καὶ Κρόνου πρεσβυτέραν φησὶν εἶναι.* Item I, 18, 5: *Θύουσι δὲ Εἰλειθυίᾳ Δήλιοι καὶ ὕμνον ᾄδουσιν Ὠλῆνος.* Videmus autem Olenem illum de Ilithyia perquam diversa a ceterorum opinionibus cecinisse, quorum quum plerique eam Iovis et Iunonis filiam crederent, alii cum Diana aut etiam cum Iunone confunderent, ille priorem fecit Saturno, h. e. unam ex deis antiquissimis, qui ante Titanes fuerint, quorum omnium quin cosmogonica significatio sit, dubitari non potest. Dixit porro eam *εὔλινον*, quod si recte Pausanias interpretatus est, *δῆλον ὡς τῇ πεπρωμένῃ τὴν αὐτήν*, eam ille deam Ilithyiam informavit, quae inter ipsa nascentis mundi initia legem rebus futuris modumque praefiniret, quasi quandam *τῆς*
24 *κοσμικῆς γενέσεως εἱμαρμένην*, ut ait Heraclitus alleg. Hom. c. 48, cuius personam non multum diversam esse apparet ab ea, quam a Parmenide vel *Γένεσιν* vel *Ἀνάγκην* vel *Δίκην* vel *Πρόνοιαν* vel *Ἀφροδίτην* dictam esse supra vidimus. Atque sicut Parmenides ab hac dea primum omnium Cupidinem procreatum esse dixit, sic etiam personatus ille Olen eundem Ilithyiae suae filium fecit, nihil aliud, opinor, significans, nisi vim illam, qua quum initio mundi conformatio, copulatis inter se rerum elementis, effecta esset, tum deinceps sociatis generibus perpetuitas omnis rerum naturae niteretur, huic summae legi, quam Ilithyia pepigerit, originem debere. — Haec, si non plane certa, valde tamen probabilia sunt[55]), nec rationem perspicio, cur

---

54) Sic certissima emendatione scribendum pro vulg. *καὶ ἄλλοις*.

55) Statuit sic fere etiam Creuzerus, Symb. II, 118 sqq. IV, 12, quamquam, ut solet, falsis quibusdam admixtis, quae nunc excutere non opus est. — Ceterum num praeter Olenem alii quoque Ilithyiam sic totius mundi creationi praefecerint,

O. Müllerus, Dor. I p. 312, Pausaniae illam interpretationem falsam esse censeat, Ilithyiamque ab Olene Cupidinis matrem non aliam ob causam factam esse statuat, quam quod eam cum Venere ἀρχαίᾳ Deliorum confuderit. Nam e Callimacho, ad quem provocat, hymn. in Del. v. 308, nihil aliud discitur, nisi in sacris Veneris, quae a Theseo Deli instituta esse credebantur, etiam Olenis quendam hymnum cantari solitum fuisse; qualem vero hanc Venerem Olen celebraverit, quamque vel similem Ilithyiae suae vel dissimilem, nullo ne tenuissimo quidem indicio cognosci potest. Ἀρχαίαν enim Venerem hanc Callimachus propterea tantum dixit, quod ligneum eius simulacrum antiquissimum fuit, ab ipso, ut aiebant, Theseo Creta asportatum Delique consecratum, Paus. IX, 40, 2. Ceterum hoc quidem neminem fugere potest, de Veneris numine ac potestate talia passim tradi, vix ut ullum

---

nescio: nisi hoc scio, ex cognomine Olympiae, quod illi apud Eleos inditum fuisse Pausanias memorat VI, 20, 2, tale quid colligi, cum Gerhardo, Prodr. p. 33, nullo modo posse. Cognomen ab Olympo ductum, quamvis caelitibus omnibus commune, maxime tamen Iovi proprium fuit, Olympiorum principi ac moderatori. Olympii Iovis, h. e. Caelestis ac Regis, quum alibi templa erant, tum unam maxime celebratum apud Pisam in Elide, unde etiam vicus circa illud templum Olympiae nomen accepit. Similiter Iovis uxori, Olympi reginae, cognomen illud impositum, celebrataque Ἥρη Ὀλυμπία apud Eleos. Pausan. V, 14, 6. Atque sicut in his duobus haec cognomenta nihil nisi maiestatem regnumque caeleste designant, eamque ob causam ampliora atque augustiora sunt aliis cognominibus ab uno aliquo munere unaque potestate, aut a locis, a ritibus sacrorum, denique a fortuitis quoque causis desumptis, sic etiam alia numina Olympia appellata sunt, quo caelestis eorum maiestas in universum designaretur, cui designandae alia cognomina, ab iis, quas dixi, causis imposita, non satis apta erant. Ita Ἀφροδίτην Ὀλυμπίαν Spartani colebant (Pausan. III, 12, 9), non aliam sine dubio quam Οὐρανίαν (Id. I, 12, 2), h. e. deam magnam, caelestem, quae caelestis regni partem et ipsa exerceret, quum alia cognomina, velut Μηχανῖτις, Μορφώ, Πρᾶξις, Νύμφη, Εὔπλοια etc. humiliora et angustioris significationis essent. Ita etiam Tellus eodem cognomine apud Athenienses appellabatur (Plutarch. Thes. c. 27. Pausan. I, 18, 7), ut indicaretur, huius deae etiam inter caelites magnam vim atque numen esse; similemque ob causam Ilithyiam Elei Olympiam vocabant, significantes scilicet non inferiorem aliquam et minorum gentium deam, quales multae in terris habitare credebantur a caelestium concilio exclusae (Ovid. Met. I, 192), sed unam de summorum numero. Nam novimus etiam plures Ilithyias creditas esse, quas consentaneum fuit unius illius caelestis sive Olympiae ministras haberi, quemadmodum Plutarchus, de defect. orac. c. 21, multos daemones esse docet cognomines eorum deorum, quibus subiuncti essent atque ministrarent: ᾧ γὰρ ἕκαστος θεῷ συντέτακται καὶ παρ' οὗ δυνάμεως καὶ τιμῆς εἴληχεν, ἀπὸ τούτου φιλεῖ καλεῖσθαι.

muliebre numen vel in caelo vel in terra vel apud inferos non possit aliquo saltem modo cum Venere componi. Venerem Proserpinam quis ignorat doctissima Gerhardi dissertatione illustratam? Venerem Iunonem e Pausania novimus III, 13, 6; Venerem matrem deorum testatur Servius ad Verg. Aen. X, 83; Venerem Parcarum antiquissimam Pausanias I, 19, 2: denique unam eandemque esse, quam Paphiam Venerem Cyprii, quam Attici Minervam, quam Cretenses Dianam, quam Eleusinii Cererem, alii aliter invocent, ipsius deae testimonio constat, apud Apuleium Metam. XI, 5. Itaque potuisse ab Olene etiam Ilithyiam cum Venere confundi facile concedimus: nos autem non quid potuerit fieri, sed quid factum sit, cognoscere, si liceat, cupimus.

Hanc igitur ob causam ne in iis quidem immorari placet, quae de tribus Cupidinibus ex theologis, interiorum et reconditarum litterarum scrutatoribus, referuntur a Cicerone de N. D. III, 23, 60: „Cupido primus Mercurio primo et Diana prima natus dicitur; secundus Mercurio et Venere secunda; tertius, qui idem est Anteros, Marte et Venere.“ Cuius loci interpretatio aut difficilis est aut perfacilis, prout quis aut certam rerum fidem ac demonstrationem postulat, aut probabili quadam coniectura contentus est, cui in tanta copia locorum diversissima quaeque testantium nunquam aliqua saltem auctoritatis commendatio deerit. Itaque, qui volet, Mercurium istum, quem a multis Cupidinis patrem factum esse constat[56]), non

56) Quid? quod Mercurius ille Cabiricus ipse etiam Cupido esse dicitur a Welckero, Trilog. p. 217. Nam *Ἴμβρον*, quo nomine Mercurium a quibusdam appellatum esse Steph. Byz. testatur, nihil aliud esse quam *Ἵμερον* h. e. Cupidinem. — Quod autem W. codicum Stephani lectionem, *ὃν Ἴμβρον λέγουσι μάκαρες*, praetulit alteri, ex Eustath. ad Dionys. v. 524 ab editoribus restitutae, *λέγουσιν οἱ Κᾶρες*, deorum sermonis nos admonens, ab Homero aliisque passim memorati, improbabunt fortasse, qui in Cabiros aliquid lucis e Caria derivari posse sperent. Nam Röthio certe p. 254 Cabiri Carici sunt, et Cadmum, Cabiricum deum, Rückertus, Troi. p. 54, Caribus vindicavit. Quid igitur? si ipsum nomen Cabirorum a Caribus repetendum sit. Nam *Καβείρους* esse *Καείρους* dudum audivimus. *Καείρας* mulieres Caricas Homerus dicit Il. IV, 142. Potuerunt igitur etiam dei Carici *Κάειροι*, et, interposita littera, *Κάβειροι* dici. Accedit Hesychii glossa: *Κάβειροι, καρκῖνοι*, cui facillimam emendationem adhibere licebit, *Κάβειροι, Καρικοί*. Nam *τῶν Καρῶν τὸ κτητικὸν Καρικός*, inquit Steph. Byz. s. v. *Καρία*. Cabirorum autem nomine antiquitus non deorum, sed mortalium genus designatum esse demonstrat Pindaricum fragmentum a Schneidewino editum, Philol. I p. 423. Ibi enim inter eos, quos terra primos edidisse crederetur humani generis parentes,

diversum esse dicet a Cabirico Casmilo, cuius quam insigne munus fu-
erit in huius mundi constitutione ipsum nomen demonstrat, neque
ignoratur hodie a peritis. Venerem pariter atque Dianam, quae eadem
Ilithyia est, tali deo aptam coniugem esse nemo diffitebitur, neque Cu-
pidinem, cuius tantae vel in condenda vel in conservanda rerum natura
partes sunt, his parentibus filium datum esse mirabimur. Martem
vero et Venerem comparare licebit cum illis, quibus Empedocles pri-
mam rerum originem imputavit, Odio (*Νείκει*) et Amore (*Φιλίᾳ*),
ex quibus quum Anteros natus dicitur, quid hoc aliud esse videbitur,
quam illa c o n c o r d i a d i s c o r s, quae efficit, ut mutuo omnia et con-
cilientur inter se et rursus disiungantur, aliis alia modo appetentibus
modo fugientibus? — Haec igitur horumque similia, quae aut prolata 26
sunt a viris doctissimis aut potuerunt certe proferri, non infitior equidem,
etiamsi non facile possint certis argumentis demonstrari, non tamen
esse veri dissimilia, neque otiosam tantum delectationem, sed nonnihil
etiam utilitatis habere, hactenus saltem, ut faciant aliquid ad conditionem
veteris mythologiae rectius aestimandam, quae tota versatur in huiusmodi
deorum personis atque fabulis, quarum quum vera et genuina significa-
tio plerumque obscurata, neque ulla certa doctrina tradita esset, summa
cum libertate et ipsi veteres quod cuique maxime probaretur de diis
rebusque divinis expromebant et hodie mythologi expromunt. Non
mirum igitur de iisdem diis deorumque fabulis diversissima non modo
a diversis, sed etiam ab iisdem hominibus prolata esse, quemadmo-
dum de Cupidine Sapphonem Pausanias IX, 27, 1, *πολλὰ καὶ οὐχ
ὁμολογούμενα* dixisse testatur. Sed qualem plerique, maximeque ly-
rici poetae Cupidinem quamque diversum a cosmogonico induxerint,
nemo ignorat. Et quod Plato, Pausanias aliique docent, vulgo Cupidi-
nem omnium deorum minimum natu haberi, satis demonstrat, cosmo-
gonicam huius dei significationem a populari certe religione plane alie-
nam fuisse, deberique sapientiorum quorundam ingenio, qui quum
vim quandam cupidinis et amoris etiam in primis rerum elementis in-

una cum Alalcomeneo Boeoto, cum Cretae indigenis Curetibus et Corybantibus, cum Arcade Pelasgo, Diaulo Eleusinio, Alcyoneo gigante Phlegraeo, cum Libyco Iarba, denique cum hominibus in Aegypto e Nili restagnantis pingui limo enatis nominatur etiam Lemni indigena C a b i r u s. [Non verebar, ne quis haec, quae animi causa chartis illusi, tanquam serio a me dicta acciperet: et tamen accidisse hoc Gerhardo video, Myth. I p. 129. — Ceterum de Hesychii loco quid statuendum sit iamdudum Ducangius et post hunc Lobeckius monuit, Agl. p. 1249.]

sitam esse statuissent[57]), ad hanc significandam uterentur popularis dei persona, fabulasque de eo aut antiquitus traditas ad hanc significationem accommodarent, aut etiam ipsi fingebant. Atque horum primus fortasse is fuit, cuius rationem theogoniae Hesiodeae compositor sequutus est. Nam Olenis hymnis maiorem antiquitatem asserere nemo facile volet, qui quidem sapiat[58]): quae autem de Cabiricis religionibus memorantur, quum incertam habent interpretationem, tum haudquaquam omnia pro antiquis haberi debent. Nam esse haec sacra procedente tempore aucta et amplificata, novis numinibus fabulisque ascitis, dubium esse non potest, si quis veterum testimonia ab Acusilao et Pherecyde usque ad Pausaniam aliosque recentiores persequatur atque perpendat.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. XV. Cal. Mart. MDCCCLII.

---

57) Tali quadam vi etiam ipsi Aristoteli opus fuit ad motum atque ornatum huius mundi explicandum. Moveri enim materiam desiderio quodam atque amore illius summi numinis, quod quum ipsum immotum sit, excitet tamen in illa motum: *κινεῖ ὡς ἐρώμενον*, inquit Metaph. XII, 7 p. 1072b 3. Conf. Phys. I, 9 p. 192a 18, ubi de materia dicit, *πέφυκεν ἐφίεσθαι καὶ ὀρέγεσθαι αὐτοῦ* (sc. *τοῦ θείου καὶ ἀγαθοῦ καὶ ἐφετοῦ*) *κατὰ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν*. Unde igitur illud desiderium materiae inditum? *Εἰ γὰρ ἐρᾷ ὁ κόσμος τοῦ νοῦ καὶ κινεῖται πρὸς αὐτὸν, πόθεν ἔχει ταύτην τὴν ἔφεσιν;* inquit Proclus in Timae. II p. 82A (192 Schn.).

58) Plato, Sympos. p. 178C. 195C, Aristoteles Met. I, 4, Sext. Empir. adv. Phys. I, 450, Plutarchus, Amator. p. 756F, Alexander denique in Arist. Met. l. l. de cosmogonico Cupidine loquentes nullum antiquiorem Hesiodo auctorem citant, unde satis apparet, Olenem istum aut ignoratum ab iis, aut spretum esse, pariter cum Orpheo ceterisque subditiciis, de quorum ementita antiquitate etiam Herodotus quid sentiret significavit loco notissimo II, 53. Sunt tamen hodieque, qui Hugio potius assentiri malint, de myth. p. 193: „Homer erwähnt des Eros niemals: und doch hatte Olen der Lykier und dann Pamphus in ihren geheimnissvollen Tempelliedern von ihm gesungen. Er scheint daher in den mystischen Hallen des geheimen Gottesdienstes verschlossen gewesen zu sein, aus denen er noch nicht in die gemeine Götterlehre übergegangen war."

DE TITANIBUS HESIODEIS.

Proprium hoc fuit Graecorum theologiae poeticae, ut deorum natura, quamvis immortalis, non tamen sempiterna haberetur: nam natos deos et ex iisdem principiis ortos credebant, unde mortalia: quae principia quum alia aliis viderentur, pervagata tamen iam apud antiquissimos haec fuit opinio, ut genus eorum duplex statueretur, animale alterum, alterum autem materiale. Neque philosophi fere ab hac opinione desciverunt: sed interest inter horum placita et poetarum commenta hoc maxime, quod animale illud principium philosophi plerique mente ac ratione instructum voluerunt, mundum ex materia fabricans et ad quam ipsi visum esset descriptionem formamque aedificans, deum itaque praepotentem ac sapientem; quum poetae contra nihil nisi caecam vim animali illi principio tribuerent, obscuro quodam instinctu motam, sensu autem et ratione carentem, haec vero numina, quorum consilio et sapientia mundus administratur hominumque vitae prospicitur et consulitur, posteriore demum tempore nata esse dicerent, adulto iam mundo partibusque eius aut omnibus aut maximis procreatis, quumque etiam antea naturae quaedam divinae extitissent, hos tamen qui postea nati essent deos iis qui ante fuissent longe praestantiores esse, summum autem omnium Iovem extitisse optimum maximum, qui prioribus partim remotis, partim sibi adiunctis, divisoque cum fratribus imperio omnem mundum quum per hos liberosque suos, tum per alios multos ex prioribus aut e iunioribus diis natos administraret. 3

Vetustissimum huius theologiae monumentum, summa capita brevi carmine complexum, theogoniam habemus eam, quae Hesiodi esse dicitur, unam de compluribus, quae olim ferebantur, nec fortasse

antiquissimam: sed quamvis haec magni facienda sit, constat tamen inter viros doctissimos, eum, qui hanc theogoniam composuerit, veram vim ac rationem fabularum a se memoratarum ipsum non satis perspectam habuisse, et compilasse tantummodo quae ab antiquioribus excogitata et tradita invenisset [1b]. Quod quum ita sit, non sane mirabimur, factum nonnunquam esse, ut aut poneret, quae verae fabularum significationi parum responderent, aut omitteret, quae maxime pertinerent ad rem declarandam. Huius generis exempla quum alibi non pauca, tum praecipue in ea carminis parte deprehendimus, in qua de antiquiore genere deorum, in quibus Titanes sunt, horumque contra Coelum parentem facinore ac deinde contra Iovem certamine exponitur. Hanc igitur partem paullo accuratius nunc examinare eaque quae diximus compositionis minus rectae exempla demonstrare decrevimus.

Narrat poeta Terram, posteaquam mare montesque et Coelum ipsa ex sese procreaverit, gravidatam a Coelo edidisse duodecim liberos, sex mares totidemque feminas, quorum omnium nomina tantum et mox etiam connubia subolesque enumerat, de natura autem eorum et quibus quisque muneribus functus sit, nihil exponit. Post hos Terram e Coelo peperisse Cyclopes [1]) et Centimanos; sed hos liberos suos patrem exosum rursus abscondidisse in terrae sinu neque in lucem prodire passum esse. Cyclopum naturam nomina declarant, *Βρόντης*, *Στερόπης*, *Ἄργης*, Tonitrus, Fulgetrus, Coruscus, et dicun-

---

1b) Obloquitur Rinckius, d. Relig. d. Hell. II, 1 praef. p. 4: sed contra hunc eiusque similes rationibus pugnare nihil attinet.

1) Goettlingius ad Ib. v. 501 Cyclopes non a Coelo generatos esse ex versibus 139 et 147 comprobari autumat, quippe quorum alter, *γείνατο δ' αὖ Κύκλωπας*, solam matrem memoret, patris mentione omissa, alter contra Centimanos diserte Terra et Coelo natos dicat. Contra Hermannus in cens. ed. Goettl. (Opusc. VI p. 176) ex his ipsis verbis v. 147, *ἄλλοι δ' αὖ Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο*, manifestum fieri ait, illos quoque superiores iisdem duobus parentibus ortos esse. Non concedit hoc Goettlingius in edit. sec.; et sane fatendum est, potuisse poetam sic loqui, etiamsi Cyclopes sola Terra, non item Coelo, nati essent. Minime tamen hinc conficitur, voluisse eum hoc ipsum indicare. Immo longe probabilius est poetam, quum initio de Coelo, Montibus, Ponto e sola Terra prognatis dixerit, deinde autem eius e Coelo filios memoret, Titanes et Centimanos, non medios horum Cyclopes collocaturum fuisse, nisi iisdem hos quoque parentibus natos haberi vellet. Et traditur ita ab Apollodoro (1, 1, 2), ab Orphicis (Lobeck. Agl. p. 504) et in cyclico carmine apud Proclum, Phot. p. 982 Hoesch.

tur hi postea Iovi fulmen fabricasse. *Κύκλωπες*, si originem vocabuli solam per se spectes, dicti videbuntur ab oculis rotundis. Rotundantur autem oculi eorum, qui vehementi furore agitantur, torvi, truces, tumentes et extantes: neque improbabile est, hanc ipsam ob causam illis tribus hoc nomen initio datum esse, quippe quum furibundi talibusque cum oculis cogitarentur[2]). Invaluit tamen post alia interpretatio, quam ipsa theogonia proponit his verbis v. 144: *οὕνεκ' ἄρα σφέων κυκλοτερὴς ὀφθαλμὸς ἕεις ἐνέκειτο μετώπῳ.* — Centimanorum unus *Βριάρεως* est[2b]), etiam *Αἰγαίων* dictus: quod nomen ad marinorum fluctuum vehementiam pertinet: unde hunc etiam Neptuno postea generum datum videmus v. 817, ab aliis autem aut Ponti aut Thalassae filium dictum esse constat[3]). Probabile est fratrum non absimilem naturam esse, quamquam de nominum interpretatione ambigas. Mihi *Γύης*, quem etiam Hermannus[4]) quondam Membronem interpretatus est, a membris validis et robustis appellatus videtur: *Κόττον* a *κόσσω* v. *κόττω*, quod Aeolenses pro *κόπτω* dixerunt[5]), vocatum statuo, ut Ferius latine dici possit, significeturque hoc nomine vis feriendi et concutiendi, sive ea in aquis sit, unde veteribus etiam terrae motus fieri videbantur, sive in turbinum et pro-

---

2) Cf. A. Kanne, Mythol. p. 23 et J. J. Wagner., Kl. Schr. III p. 71. — D. J. v. Lennep, cuius editio theogoniae, anno superiore Amstelodami publicata, nunc ipsum, dum haec scribo, ad me perlata est, hos Cyclopes permiscet cum alteris, qui urbes olim in Graecia condidisse advenaeque aut e Thracia aut e Lycia fuisse credebantur, Celtasque fuisse suspicatur, cui genti oculi magni et rotundi proprii fuerint.

2b) De altera nominis forma, *Ὀβριαρεύς*, vid. L. Dindorf. ad Hes. theog. 617 et in H. Steph. Thes. II p. 417. Ineptas etymologias proferunt Cornutus de nat. deor. c. 17 et schol. theog. v. 148; saniora sunt apud Etym. M. p. 213. Mirificum commentum Petiti Radel vid. ap. O. Mueller. Kl. Schr. I p. 53.

3) Velut ab Eumelo et ab Ione ap. schol. ad Apoll. Rh. I, 1165. Eudoc. p. 29 et 91. — Nonnus Dion. XXXIX, 285—7 Aegaeonem Neptuni filium dicit, ipsique Neptuno hoc cognomen dari notum est, significatione eadem, qua alterum *Αἰγεύς*, de quo cf. schol. ad Lycophr. 135 et Bachmann. p. 38. Add. Osann. ad Cornut. p. 80, Lennep. ad theog. p. 345.

4) Dissert. de mythol. Graec. antiqu., Opusc. II p. 176. Idem tamen postea Sulcium interpretari maluit.

5) Vid. Etym. M. p. 635, 54. — Idem Kannio visum, Mythol. p. 23, et Ferium etiam Hermannus interpretatur l. l. priorem sententiam, quum Saevium dixisset, retractans.

cellarum vehementia[6]). — Horum igitur nominibus formaque et robore commemoratis subiunguntur in theogonia hi versus, 154 sqq.:

ὅσσοι γὰρ Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο
δεινότατοι παίδων, σφετέρῳ δ' ἤχθοντο τοκῆϊ
ἐξ ἀρχῆς· καὶ τῶν μὲν ὅπως τις πρῶτα γένοιτο
πάντας ἀποκρύπτασκε καὶ ἐς φάος οὐκ ἀνίεσκε.

quorum nec structura facilis nec sententia satis certa est. Wolfius quidem verbum substantivum *ἦσαν* ad *δεινότατοι παίδων* suppleri vult[7]), ut haec sint pro apodosi protaseos relativae *ὅσσοι — ἐξεγένοντο*, sententia autem haec existat: omnes, quos Coelus ac Terra genuerint, immanissimos[8]) fuisse et genitori suo invisos: omnes igitur, ut quisque natus esset, rursus absconditos neque in lucem emissos. Sed vix credibile est poetam omnes Coeli filios a patre absconditos voluisse, etiam Saturnum eiusque fratres, qui mox contra patrem, Terrae impulsu, conspirant, viriliaque eius amputant. Hoc enim qui poterant, absconditi terraeque visceribus inclusi? Nisi quis forte clam et invito patre a Terra emissos dicat. Sed nihil eiusmodi apud poetam legimus. Huc accedit, quod posteriores scriptores disertis verbis non omnes, sed Centimanos tantum et, ut videtur, etiam Cyclopes a Coelo absconditos esse perhibent[9]), eosdem, quos theogonia quoque v. 504 et v. 617 usque ad Iovis regni primordia inclusos fuisse memorat. — Heynius[10]) eumque sequutus Goettlingius haec verba, *σφετέρῳ δ' ἤχθοντο τοκῆϊ*, pro apodosi habent illorum, *ὅσσοι — ἐξεγένοντο*, *δέ* in apodosi apud epicos poetas saepius inveniri monentes. Invenitur sane saepius, non tamen ad hunc modum. Nam, ut de iis locis taceam, ubi post coniunctiones *συναπτικάς* aut *παρασυναπτικάς*, velut post *εἰ*, *ἐπεὶ*,

6) Eadem fere de Centimanis Leunepii sententia est, quamquam nomina aliter interpretatur, p. 201 sq. — Varias veterum de terrae motibus sententias cognoscas imprimis ex Aristot. Meteor. II, 7. Lucret. VI. 535. Gell. N. A. II, 28. Eustath. ad Il. XII, 25. Senec. quaestt. nat. VI, 5 sqq. Plutarch. plac. phil. III, 15. Ideler. ad Arist. l. l. p. 582 sq.

7) Idem Bernhardyo placuit, Syntax. p. 330 et Moshemio ad Cudworth. I p. 281.

8) De genitivo *παίδων* post *δεινότατοι*, quem Heynius pro nominativo *παῖδες* positum ait, recte Leunepius monuit, vim eius, in hac quidem verborum constructione, hanc esse, ut significetur, nullis parentibus magis terribiles enatos liberos, quam quotquot e Coelo Terraque nati sint.

9) Apollodor. I, 1, 2. Orph. ap. Athenagoram p. 147. ed. Rechenberg.

10) Apud Wolfium p. 147.

ἐπειδή, itemque post ὅτε, ὄφρα, ὡς, ἕως in apodosi δέ ponitur, —
qui sunt longe frequentissimi, — post protasin relativam, ubi, quae
res vel persona relativo pronomine significata est, eadem in apodosi
quoque aut subiecta verbo aut obiecta est, non memini unquam aliter
δέ usurpatum, nisi ut adiungeretur etiam pronomen demonstrativum,
eiusdem quam relativum significaverat rei vel personae notionem refe- 7
rens, velut Il. IX, 509: ὃς μὲν τ' αἰδέσεται κούρας Διὸς ἄσσον
ἰούσας, τὸν δὲ μέγ' ὤνησαν[11]), ad quod exemplum etiam in nostro
loco οὗτοι δὲ aut οἱ δὲ in initio membri alterius ponendum fuit:
nunc autem, quum scriptum sit ὅσσοι γὰρ — ἐξεγένοντο, σφετέρῳ
δ' ἤχθοντο, neque adsit demonstrativum pronomen, posterius mem-
brum prioris apodosin haberi posse non credo. Ceterum debebant,
qui istam rationem amplectuntur, etiam γάρ coniunctionis rationem
reddere, quandoquidem satis apparere arbitror, iis, quae in superiori-
bus versibus dicta sunt, Centimanos capita quinquagena, manus cente-
nas, vimque immensam habuisse, hoc quod deinceps dicitur, omnes,
quotquot fuerint immanissimi, patri invisos fuisse, non potuisse ita per
illam coniunctionem annecti, quasi causa deformitatis et roboris in odio
paterno posita fuerit, ac non potius odii causa in deformitate et robore.
Nam quod Heynius ait, γάρ hoc loco significare principio, et solere
ita poni, non opus est refutare, et debebat utique γάρ ut alienum re-
moveri, et cum δ' ἄρ permutari[12]). — Mützellius de emend. theog.
duas de hoc loco coniecturas proposuit, alteram p. 95, ut scribatur
τόσσοι γὰρ — —, alteram p. 415, ut eiectis duobus versibus 155
et 156, coniungatur v. 154 cum 157: ὅσσοι γὰρ — — ἐξεγένοντο,
πάντας ἀποκρύπτασκε. Ego neutrum fieri posse iudico. Primum
enim τόσσοι vix poterit nisi de omnibus, qui enumerati sunt, Coeli
liberis, non solum de Centimanis et Cyclopibus accipi: habebimus igi-
tur omnes a patre absconditos, quod significare poetam voluisse non

11) Plerumque sic, ut hoc loco, pronomen demonstrativum statim initio apodoseos adversativae particulae anteponitur: rarius fit, ut longius ab initio removeatur, cuius generis exemplum est in versibus his quos adscripsi excipientibus: ὃς δέ κ' ἀνήνηται καί τε στερεῶς ἀποείπῃ, λίσσονται δ' ἄρα ταίγε Δία Κρονίωνα κιοῦσαι, τῷ Ἄτην ἅμ' ἕπεσθαι. Sed apparet ratio, cur hanc membrorum collocationem poeta praeoptaverit prae altera τῷ δ' Ἄτην ἅμ' ἕπεσθαι — λίσσονται μάλα ταίγε.

12) Monuit hoc iam Hartungius, de particulis I p. 185, ceteroquin de structura verborum Heynio et Goettlingio assentiens.

credo. Eadem autem ratio etiam alteri coniecturae obstat, quandoquidem eiectis versibus 155 et 156 item omnes inclusi dicentur. Praeterea *γάρ*, utracunque correctio admittitur, tolerari non poterit. — Restat igitur, ut aut cum Lennepio faciamus, qui verba paullo liberius transposita, suppletis quae supplenda sint, in hunc modum construi vult: (*ἦσαν*) *γὰρ* (*οὗτοι* h. e. hi qui modo memorati sunt) *δεινότατοι παίδων, ὅσσοι Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο*: erant enim hi maxime terribiles liberorum omnium, quotquot Coelo Terraque prognati erant, aut, si cui hoc durius videbitur — et mihi sane videtur durissimum —, ut corrigamus locum mutatione lenissima: *ὅσσοι δ' ἆρ* (pro *γάρ*) *Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο δεινότατοι παίδων, σφετέρῳ δ' ἤχθοντο τοκῆϊ ἐξ ἀρχῆς, τούτων* (pro *καὶ τῶν*) *μὲν ὅπως τις πρῶτα γένοιτο, πάντας ἀποκρύπτασκε.* Ita apodosis incipiet a verbis *τούτων μὲν*, idque pronomen ad *ὅσσοι* referetur, quemadmodum v. 422, *ὅσσοι γὰρ Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο καὶ τιμὴν ἔλαχον, τούτων ἔχει αἶσαν ἁπάντων*: sententia autem haec erit, ut Coelus ex liberis suis quotquot essent maxime terribiles sibique invisi, abscondidisse dicatur: non omnes igitur promiscue, sed eos, a quibus sibi cavendum iudicaret h. e. Centimanos et Cyclopes. Quamquam fatendum est, rem a scriptore — ita enim quam poetam dicere malo — non satis perspicue declaratum esse. Nam sive construis verba cum Lennepio, sive nobiscum emendas, quinam sint illi, quos Coelus incluserit, soline Centimani, an Cyclopes quoque, an praeter utrosque etiam unus et alter de duodecim ante memoratis, ex his quidem verbis haudquaquam certo intelligi potest, et de Centimanis tantum et Cyclopibus cogitandum esse non his versibus docemur, sed iis, quae postea de utrisque a Iove solutis leguntur v. 501 sqq. et 617 sqq.

Iam si reliquam de Coeli liberis narrationem perlustramus, mancam hanc et imperfectam esse non poterimus non agnoscere. Concitati contra patrem a Terra dicuntur, ut ulciscerentur facinus in Centimanis et Cyclopibus commissum, quippe quum his inclusis et in sinu suo reconditis Terra, pressa tanto onere et gravata, vehementer condoluerit. Quid igitur prius exspectaveris, quam perfecta ultione Coeloque exsecto et debilitato matrem auctorem filiis futuram, ut illos statim liberent, ipsamque onere suo et doloribus exsolvant? Et ita rem narrat Apollodorus I, 1, 4: solutos illos a Saturno, sed mox rursus in tartarum deiectos esse. Nostra autem theogonia post peractam Coeli

castrationem quid Centimanis et Cyclopibus factum sit, nullo verbo significat, et postea demum permansisse eos ut erant inclusos videmus, 9
donec tandem a Iove liberati sint [13]). Apparet igitur haec non optime cohaerere, et pugnare quodammodo inter se. Nam qui insurrexisse Saturnum eiusque fratres contra Coelum propterea credidit, quia Centimani et Cyclopes ab eo inclusi essent, is non potuit non credere, hos postea a vindicibus suis etiam restitutos in libertatem esse, et si tamen eos postea a Iove solutos narraturus erat, debebat fingere iterum a Saturno in vincula coniectos fuisse, quemadmodum fecerunt quos Apollodorus auctores habuit. Contra qui permansisse illos in vinculis perpetuis credidit a Coelo usque ad Iovem, hunc non verisimile est ob iram Terrae, inclusos liberos suos emitti cupientis, Saturnum eiusque fratres in Coelum concitatos credidisse. Fuisse igitur videmus duas eiusdem rei narrationes inter se diversas, quarum ex utraque aliquid theogoniae compositor ascivit, neutram integram, neque animadvertit, parum convenientia a se componi. Ceterum mihi haec narratio, quae Coelum propter vinctos Cyclopes et Centimanos a Saturno punitum fingit, recentioris originis esse videtur, et excogitata ad fabulam non amplius intellectam aliqua probabili et quasi pragmatica ratione explicandam, scilicet ne sine causa tantum facinus a filiis contra patrem commissum diceretur. Ipsum autem genus facinoris, castratio, eiusmodi est, ut non difficile sit veram rationem physicam impiae fabulae inclusam deprehendere. Nempe posteaquam e Chao Terra, ex Terra Coelum prodierat, fuit quoddam tempus, quo praeter Terram Coelumque nihil esset earum rerum, quibus hanc mundi universitatem compleri videmus, non Sol nec Luna aliaque sidera, non aquae terram ambientes et percurrentes, non ignium ardor et splendor, non dii, non homines neque animalium stirpiumque varia genera, neque leges certae vicesque rerum, sed, ut ait poeta,

unus erat toto naturae vultus in orbe.

Harum autem rerum omnium initia orta sunt Coeli vi genitrice Terram fecundante: sed semel his ortis generatisque necesse fuit rursus etiam finem fieri generandi, nec nova semper alia super alia procreari. Cer- 10
tum enim et definitum videmus rerum numerum: non nova genera

13) Theog. 501 sqq. et 615 sqq. Utroque loco dubitari non potest, quin πατήρ non, ut quibusdam visum est, de Iovis, vinctos solventis, sed de horum, qui vincti erant, patre accipiendum sit.

prodeunt, nec novae leges novusque rerum ordo existit, sed quae initio procreata sunt, horum alia permanent ab interitu immunia, et ut sunt, ita conservantur sempiterna, alia intereunt quidem, verum ita, ut subolem ex se ipsa relinquant, quae in ipsorum locum succedat eiusdemque cum parentibus generis et naturae sit. Quodsi Coelus, quemadmodum initio rerum generator fuit, ita postea quoque generare continuo pergeret, necesse esset novas semper naturas, nova genera formasque procreari: quod quum non fiat, inde colligitur eius vim genitricem, quae olim fuit, postea defecisse. Quumque inde ab eo tempore generare Coelus desierit, quum rerum, quae sunt in mundo, genera formaeque procreatae essent, hae ipsae obstitisse videntur, ne novae insuper procrearentur: itaque generandi facultate privatus eviratusque Coelus ab iis ipsis est, quos procreaverat, non propter aliquas iras et ulciscendarum iniuriarum causa, sed quo possent hi naturam suam explere, neve novis semper et diversis generibus ac formis succrescentibus certa et legitima mundi conformatio impediretur et perturbaretur [13b]). Haec, opinor, simplicissima et verissima est fabulae interpretatio. Posteriores autem, qui veram rationem non amplius intelligerent, castrandi Coeli aliam causam circumspexerunt, et sic illud commenti sunt, quod in theogonia legimus, neque in Hesiodea solum, sed etiam in Orphica [14]), quod quidem, quum satis ipsum per se absurdum sit, tum etiam hoc habuit incommodi, ut, quod facinus in Coelo ulti essent Saturnus eiusque fratres, hoc idem et ipsis statim committendum esset, Centimanique et Cyclopes vix liberati rursus iterum vinciendi, id quod et Apollodorus et Orphica theogonia factum esse referunt, haec nostra autem, quum silentio praetermittat, mancae et imperfectae narrationis culpam contraxit. In vetere autem et incorrupta fabula, quae causa patrem permovit, ut illos absconderet, eadem etiam matrem fratresque eorum impedire debuit, quominus eos liberatos
11 vellent. Quippe haec fuit Cyclopum et Centimanorum natura, ut ad-

---

13b) Ad vers. 138, ubi de Saturno dicitur θαλερὸν δ' ἤχθηρε τοκῆα, scite Goettlingius animadvertit, designari hoc epitheto insignem vim generandi; sed addi poterat, significari etiam hanc ipsam in causa fuisse, cur Saturnus patri infestus fuerit.

14) Hoc tamen discrimine, quod, quum apud Hesiodum Titanes ante Cyclopes et Centimanos nati dicuntur, Orphica theogonia eos post hos natos fecit. Vid. Athenag. p. 148 Rechenb.

versarentur legi atque ordini, et quocunque vis eorum penetraret, disturbarent omnia, everterent et pessumdarent. Itaque removendi erant a nascentis mundi primordiis, ne futurum rerum ordinem impedirent, neque prius revocari in lucem poterant, quam maior quaedam vis ac sapientia orta esset, quae his quoque moderari, viresque eorum consilio regere posset: qua vi ac sapientia nullus fuit ante Iovem.

De reliquis Coeli ac Terrae liberis, qui uno nomine Titanes appellantur, quo rectius narratio theogoniae nostrae aestimari possit, ante omnia natura eorum et significatio cognoscenda erit. Sed habet haec res magnam difficultatem, quandoquidem nihil de iis theogonia exponit, nomina tantummodo et connubia subolemque paucissimis plerumque verbis commemorans. Et nominum quidem longe plurimorum interpretatio dubia et incerta est: paullo plus lucis afferre poterunt connubia liberique: nam si quid de horum natura aut certo constiterit aut probabiliter statui potuerit, hinc de parentum quoque natura coniecturam facere licebit. Quamobrem miror hanc viam ab Hermanno spretam esse, qui quum ad explicandam hanc theogoniae partem nihil admodum nisi rationem quandam physicam, ipsi probatam, et nominum explicationem huic rationi accommodatam, magna cum confidentia et contrariorum etiam antiquitatis testimoniorum contemptu afferret, interpretationem proposuit novam plane ac suam, quae quantopere ipsi placuerit, binc satis apparet, quod hac ratione, vel, ut ipsius verbo utar, hac theoria, quam theogonia referat, illa scilicet adbibita interpretatione, nihil propter sapientiam cogitationum, aptam partium connexionem rectumque ordinem admirabilius antiquitatem protulisse praedicat[15]). Tanta apud me est Hermanni auctoritas, quanta esse apud omnes debet non plane in boc nostro litterarum genere hospites, ut nefas esse putem, diversam ab eo sententiam proponere, nisi prius, cur iis quae ipsi placuerunt acquiesci non posse iudicem, explicaverim.

Est igitur eius theoriae summa, quantum quidem ad Coeli Terrae- 12
que liberos attinet, haec fere[16]): Primo fuit magna vis aquarum, quae ingenti impetu effusa universum orbem terrarum inundavit atque

15) Briefe über Homer und Hesiod von G. Hermann und Fr. Creuzer, p. 16: — „mit so viel weiser Ueberlegung, in einem so consequenten Zusammenhange, in so richtiger Ordnung, dass ich die Theorie, die der Theogonie des Hesiodus zum Grunde liegt, für das bewnnderswürdigste Meisterstück des Alterthums halte.“

16) De theol. Gr. ant. p. 174 sqq.

obruit: haec vis aquarum Ὠκεανός, Celerivena, dicitur, ab obsoleto verbo ἔειν, ire. Aquarum effusionem comitata est maxima elementorum omnium perturbatio, ut disiecta, soluta, permixta sursum deorsum ruerent atque ferrentur, usque dum mutuo se ipsa coercendo turbas illas composuerunt. Hunc universae naturae tumultum fratres Oceani denotant, per paria, ut singuli singulis oppositi sunt, deinceps prodeuntes. Primum enim effusione illa aquarum quum miscerentur omnia et turbida fierent, paullatim rursus discerni permixta et seiungi quaeque ab alienis coeperunt. Haec significantur Κοῖον, Turbuli, et Κρῖον, Seiugi, nominibus. Iam attollebantur alia, alia mergebantur: hinc appellati sunt Ὑπερίων, Tollo, et Ἰαπετός, Mersius. Movebantur porro et meabant alia sic, ut manerent tamen inter meandum, alia ut diffluerent et dissiparentur. Haec indicantur Θείας, Ambulonae, et Ῥείας, Fluoniae, nominibus. Firmabantur fluxa et statuebantur, excitabantur autem et commovebantur quiescentia: hisque officiis fungebantur Θέμις, Statina, et Μνημοσύνη, Moneta. Opus erat etiam purgatione quadam et nutritione, inutilibus et noxiis remotis, admotis autem utilibus et salutaribus: alterum Φοίβη, Februa, praestabat, alterum Τηθύς, Alumnia. Postremo composuit omnes hos motus Κρόνος, Perficus, diuturno et difficili opere, unde ἀγκυλομήτης dicitur. — Nascuntur deinde tonitru, fulmen, fulguratio, Βρόντης, Tonuus, Στερόπης, Praestinxius, Ἄργης, Fulgetrus, qui Κύκλωπες, Volvuli, omnes dicti sunt propterea, quia per coelum volvuntur: grando porro, imber et nix, Κόττος, Ferius, Γύης, Sulcius, Βριάρεως, Gravinus. Omnis autem haec Coeli Terraeque progenies Τιτήνων, Tendonum, nomen accepit, non ab alia re, quam quod ultro citroque tendendo omnem rerum naturam pertentaverunt, quumque tentamenta haec essent condendae rerum naturae, sed irrita, nondum iusto invento temperamento, exosus natos suos Coelus, ut quisque in lucem editus esset, rursus occuluisse dicitur. Ei rei finem imposuit Perfi-
13 cus: et ut conquievisse significetur ceterarum rerum rudes impetus solamque superstitem mansisse vim perfectricem, a Perfico parens generandi potestate privatus dicitur, neque tamen ita, ut, qui iam extiturus erat novus rerum ordo alium parentem haberet, sed ut generandi officium a parente ad ipsam rerum creatarum naturam transferretur. Nam alium parentem novus ordo rerum propterea habere non potuit, quod ex iisdem viribus, ex quibus antea, sed apte temperatis, enasci debebat. Sed ut certis et firmis legibus natura in generandi

officio iam ad ipsam translato adstringeretur, fetus edi necesse erat non imperfectos, sed maturos, neque steriles, sed fecundos, neque aversantes se invicem, sed sociabiles. Hae naturae vires legesque significantur iis, qui e Coeli genitalium sanguine in terram effuso extitisse dicuntur, Ἐρινύες, Maturinae, Γίγαντες, Genitales, et Μελίαι, Cicurinae. Generatio autem omnis quia per humores fit, vis ea, quae coitus appetentes facit, Ἀφροδίτη, Spumicita, hoc est nihil aliud quam coitus appetentia, extitisse dicitur e Coeli semine in mare delapso [16b]).

Multis modis haec omnia cum Hesiodo pugnare quilibet facile animadvertit. Nolo nunc de Titanum nomine dicere ad omnem Coeli Terraeque progeniem, Cyclopes etiam et Centimanos, ab Hermanno translatum, aut de occultis a Coelo non solum Cyclopibus et Centimanis, sed omnibus promiscue, neque illud quaero, quomodo haec, quam Hermannus proposuit, Titanum natura, cum ea, quae post memoratur, eorum subole conciliari possit, omninoque non offendar vel maxima huius interpretationis dissensione aut cum ipso Hesiodo aut cum omnis antiquitatis opinionibus: hoc unum tamen postulari posse arbitror, ut, quae ita proponuntur tantisque laudibus efferuntur, ipsa per se probabilia sint, ut conspirent omnia inter se apteque cohaereant, ut intelligi denique possint. Atque hoc mihi Hermannus non videtur praestitisse: quod cur ita iudicem, quum singula persequi longum sit, uno certe atque altero specimine ostendam.

Audimus omnem terrarum orbem aquis inundatum, et in turbida, quae hinc effecta esset, rerum mixtura coniuncta alia, alia separata, alia in altum sublata, alia mersa, alia fluxisse, alia defluxisse, alia firmata, alia excitata, alia expurgata, alia nutrita esse, et haec prima fuisse tentamina condendae rerum naturae. Quomodo igitur Coelus haec omnia, ut edita erant, rursus occuluisse dicitur? Non id volo, qua 14
causa permotus sit: hanc enim Hermannus aperuit; exosum esse natos suos propterea, quod irrita essent eorum tentamina, nondum invento iusto temperamento. Sed ipsum illud occulere quid esse dicemus? Πάντας, inquit Hesiodus, ἀποκρύπτασκε γαίης ἐν κευθμῶνι. Intusne igitur in terrae sinu eos continuit? Ita Oceanum, hoc est vim aquarum nanciscimur subterraneam, pro ea, quae, Hermanno auctore,

16b) Praeiverunt hanc rationem veteres allegoristae, velut Cornut. p. 133: Ἀφροδίτη — διὰ τὸ ἀφρώδη τὰ σπέρματα τῶν ζωῶν εἶναι.

universum terrarum orbem inundavit atque obruit. An forte cogitabimus inundasse quidem initio terras Oceanum, sed statim a Coelo repressum et terrae visceribus inclusum? Idem igitur etiam de reliquis accipiendum erit, omnesque illi motus attollendi, mergendi, fluendi, diffluendi, et quidquid praeterea Titanes moliuntur, sub terra fient. — An verba illa Hesiodi paullo liberius interpretanda sunt, mensque poetae haec tantum fuit, ut Coelum cohibuisse natos suos significaret, quominus vim suam exercerent? Nempe praevidebat fore, ut Celerivena inundando, Turbulus turbando, Seiugus seiungendo, Tollo attollendo, Mersius mergendo, Ambulona meando, Fluonia diffluendo, Statina statuendo, Moneta commovendo, Februa purgando, Alumnia alendo, Perficus denique perficiendo modum excederent, neque tamen ipse iustum temperamentum his motibus adhibere sciebat, ideoque omnino moveri eos noluit. Sed Perficum tamen ex hoc numero eximere debebimus, quamquam ab Hermanno, quum omnes liberos a Coelo occultatos dicat, non exemptum. Nam si hunc quoque Coelus pariter cum ceteris occuluit nec vim suam exercere passus est, qui fieri potuit, ut efficeret Perficus quae Hermannus eum effecisse docuit? Sunt autem haec duo: primum ut motus fratrum suorum componeret [17]), deinde, quum Coelus liberos suos statim natos occuleret, ut finem huic rei imponeret [18]). Quamquam hoc alterum quale sit, non satis intelligo. Nam quum Perficus omnium minimus natu esset, qui autem ante hunc nati fuerant, iam essent, quum ipse nasceretur, occultati, qui potuit ipse huic rei finem
15 imponere? Nihil aliud, opinor, potuit, nisi impedire, ne, si qui post se nascerentur, hos quoque pater itidem ut superiores illos occuleret. Quinam igitur hi fuerunt? Cyclopes fortasse et Centimani? nam hos Hesiodus itemque Hermannus post Perficum memorant. Dicemusne igitur hos a Coelo non esse occultatos? — Alterum autem Perfici munus, ut fratrum motus componeret, quum diuturnum ac difficile opus fuisse dicatur, necesse est, illos ante quam domarentur a Perfico, aliquamdiu libere ac licenter motos esse. Quod quum coerciti iam a Coelo fuissent,

17) L. l. p. 176: „Κρόνος, **Perficus, ultimus natu, quia denique motus illos composuit, et** ἀγκυλομήτης, **quia diuturnum hoc fuit et difficile opus.**“

18) Ib. p. 177: „**Exosus notos suos Uranus, ut quisque in lucem editus esset, rursum occuluisse dicitur. Ei rei finem imponere eius erat, qui** Κρόνος, **Perficus, vocatur.**“

statuendum erit, eos post huius castrationem solutos, ac tum demum paullatim a fratre frenatos motusque eorum compositos esse. Hoc si volebat Hermannus, debebat etiam dicere. Sed non videtur voluisse. Nam quum castratum a Perfico Coelum hoc significare dicat, conquievisse iam ceterarum rerum rudes impetus solamque superstitem mansisse vim perfectricem, quumque rudes illi impetus sine dubio Titanes sint, non conquievisse hos apparet ante patris castrationem, unde consequitur, quod occultabantur a patre, hoc non hanc vim habuisse, quam modo suspicati sumus, ut quiescere cogerentur nec possent se commovere, sed ita potius accipiendum esse, quemadmodum paullo ante posueramus, ut terrae visceribus inclusi sint, ibique vim suam exercuerint. — Utut est, hoc certe apparet, Hermanni theoriam haudquaquam facilem esse ad intelligendum.

Sed etiam in nominibus Titanum, si Hermanni interpretationem sequimur, videntur mihi non satis omnia ad eam, quam ipse proposuit, rationem convenire. Veluti *Κοίον* nomen ex verbo *κείω* factum ait, ut *κλοιός* ex *κλείω*: significare autem Turbulum h. e. turbatorem, quia turbida desidant: unde ex eadem stirpe derivata esse *κοινόν* et coenum. — Coenum unde derivatum sit, fateor equidem me nescire: *κοινόν* pro certo habeo indidem ductum esse, unde *ξυνόν* et commune, h. e. ex praepositione, quae con v. cum Latinis, *κύν* et *ξύν* Graecis fuit, ut *κοινός* nihil aliud sit quam *κυνός*, *υ* in *οι* mutata, quod in aliis quoque vocibus factum videmus: quumque *κοινόν* dicitur *τὸ βδελυρὸν καὶ ἀκάθαρτον*[19]), non tamen propterea cum coeno cognatum videri debet, sed simili quadam translatione dictum, quam qua nostri quoque homines res viles ac sordidas communes (gemein) vocant[20]). *Κοίον* autem nomen si vere a *κείω* ductum est, signifi- 16
catque *κείω* id quod est desidere, qui tandem fieri potuit, ut *Κοῖος* Turbulum sive turbatorem significaret[21])? Desidunt, inquit, turbida.

---

19) Hesych. h. v. cf. Ernest. gloss. sacr. Hes. p. 181. Otto ad Iustin. Mart. tom. II p. 478.

20) Cf. prudens Döderleinii iudicium, Etym. et Syn. Lat. II p. 38.

21) Mutavit postea Hermannus sententiam hactenus, ut *κέειν*, *κείειν*, unde *κεῖσθαι*, proprie conglobationem notare statueret, propter substantivum *κοία*, quod grammatici *σφαῖραν* interpretantur. De Apoll. et Dian. Opusc. VII p. 297. Ita *Κοῖος* ex Turbulo Conglobator fiet, et *Κρῖος* fortasse Dissipator. *Κοία* unde ductum sit, nescio: nisi hoc mihi videor intelligere, *κέειν* nunquam conglobandi significationem habuisse aut habere potuisse. Quod autem eodem loco p. 296 Her-

Non opinor: sed ex turbidis, ubi motus eorum conquiescunt, desidunt ea, quae graviora sunt, leviora autem sursum ascendunt, atque sic, quae turbida fuerunt, eliquantur turbidaque esse desinunt. Itaque si *Κοῖος* hoc efficit, ut illa desidant, non Turbulus erit, sed Liquator potius, neque opponi debebit Seiugo, sed idem cum eo munus habere dicetur, quandoquidem hoc ipso, quod desidunt graviora, seiunguntur etiam ab iis, quibus permixta fuerant, rebus levioribus.

Haec igitur atque talia quum assentiri nos Hermanno vetent, licebit, credo, aliam viam tentare, non ut nostras opiniones qualescunque inferamus in veterem fabulam, sed ut, quid illi ipsi, qui hanc excogitarunt, sensisse videantur, indiciis quibusdam ac vestigiis in hoc ipso carmine theogonico servatis indagare conemur. — Primum igitur Oceanum fabulae auctoribus ingentem vim aquarum visam esse orbem terrarum inundantem atque obruentem, nihil est quod probet. Fuerunt sane, qui Oceanum omnium rerum principium facerent, cuius opinionis antiquissimum testem Homerum habemus [22]). His igitur aquosa na-
17 tura omnium prima fuisse ceterasque omnes, terram, aerem, ignem, ex se procreasse visa est, quod quantopere distet ab aquis orbem terrarum inundantibus quilibet intelligit. Sed theogoniae auctori Oceanus, sicut non procreavit terram, ita ne inundavit quidem, sed ipse Terra et Coelo prognatus amplectitur matrem cingitque, ut *τελήεις ποταμός*, v. 242, fontesque et fluvios procreat passim e terra scaturientes eamque percurrentes. Neque igitur omnem aquarum naturam, ut apud illos alteros, Oceano significari videmus, sed eam tantummodo, quae est in fontium fluviorumque aquis dulcibus: quae quum eadem sit in pluviis, coelique humore fontes ali videantur, apparet ratio, cur Coelus Oceano pater datus sit. Contra marinas aquas Terra non e Coelo, sed ipsa ex gremio suo peperit, natusque Pontus, h. e. mare, iam ante Coe-

mannus *Κοῖον* a *καίω* deduci posse negat propter fabulae rationem, quae singulis Titanum paribus oppositas inter se vires significet, ut necesse sit, si *Κοῖος* igneam naturam habeat, *Κρῖον*, utpote huic oppositum, frigidam aut refrigeratricem habere, quod fieri non posse patere: nititur haec disputatio argumento perquam infirmo, quandoquidem ista oppositarum per singula paria virium significatio in ipsa vetere fabula haudquaquam inest, sed nuperrime demum excogitata Hermanni ingenio, ac dein originationum incertissimarum et parum probabilium ope veteri fabulae obtrusa. — Sed etiam formam nominis isti originationi a *καίω* obstare ait. Atqui ipse *Κρόνον* a *κραίνω* derivat: eodem igitur modo e *καίω Κόος*, hinc autem *Κοῖος* factum dicemus, ut *ὀλοιός* ex *ὀλοός*.

22) Il. XIV, 201. Conf. Lobeck. Agl. p. 487. 509. Bode de Orph. p. 148.

lum dicitur. Hermannus quidem, quum suae de Oceano opinioni hoc adversari videat, theogoniae poetam erroris insimulare non dubitat. Quippe *Πόντον* non mare esse, quemadmodum illi visum est, sed fundum tantummodo et receptaculum aquarum, postea demum ab Oceano impletum. Testem Homerum advocat, ita de Oceano loquentem, Il. XXI, 196:

ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα
καὶ πᾶσαι κρῆναι καὶ φρείατα μακρὰ νάουσιν.

Atqui non quaerimus nunc, quid Homero, sed quid huius fabulae theogonicae auctori visum sit. Nam diversas veterum sententias fuisse scimus [23]), neque intercedimus, quominus, quum pugnant duae inter se, altera verior esse dicatur. Sed in interpretanda theogoniae narratione ea sola, quae narrantur, spectanda et inter se comparanda sunt: quae si concordare inter se apteque convenire videmus, licet per se minus vera nobis videantur, et cum veriore aliorum sententia pugnent, accusare scriptorem poterimus, quod minus veram sententiam probaverit; stoliditatis insimulare, quasi ipse id quod referre volebat non recte acceperit ideoque corruperit, non sane debemus. — De nomine Oceani res obscura est. Veteribus ab *ὠκὺ* et *νάειν* descendere visum, Hermanno a verbo obsoleto *ἔειν*: ego, si inter has duas sententias optandum sit, veteres sequi malim, quandoquidem obsoleti illius *ἔειν*, quod ire significaverit, nullum in graeca lingua vestigium inveniri arbitror. Nam in *εἶμι, ἱέναι* omnibusque huic cognatis, *ι* non *ε* radicis vocalem esse constat. — *Τηθύν*, uxorem Oceani, quin recte Hermannus Alumniam interpretatus sit, non potest dubitari. Haec multis non diversa a Tellure visa est [24]): nostrae fabulae auctorem aliter statuere apparet. Nimirum aquosae naturae vim in duas quasi personas dispertitam cogitabat, alteram masculam, quatenus procreatrix quaedam vis, alteram femineam, quatenus pariendi et nutriendi facultas in aquis inesse videbatur.

Coei nomine cur Turbulum significari non credam, paullo ante exposui: quumque nominis origo et significatio incerta sit, uxor et liberi considerandi erunt. Coniungitur autem Coeo Phoebe h. e. Clara, ut *ἡλίου φοίβη φλόξ* apud Aeschylum Prom. v. 22, quo nomine etiam Lunam a Romanis certe poetis, sed ad Graecorum sine dubio

---

23) Conf. diss. de Oceanidum et Nereid. catalog. Hesiod. p. 18.
24) Cf. compar. theog. Hes. c. Hom. p. 7.

exemplum [24b]), appellari notum est: liberi ab his procreantur *Ἀστερίη* et *Λητώ*. Alterius nomine stellarum naturam significari satis apparet. Hinc ipsam Asterien *ἀστέρι ἴσην* Callimachus dicit, hymn. in Del. v. 37, fabulam narrans de eius in Delum insulam transformatione, cuius memor etiam Pindarus Prosod. fr. 1, 5 Delum *χθονὸς ἄστρον* vocat. Sed de hac fabula alibi quaerendum erit: nunc tantum dico, stellarum naturam, lucidam illam et splendentem, rectissime a matre Clara derivari, quumque in stellis etiam igneum aliquid inesse videatur, sintque omnino ignis et lucis naturae coniunctissimae, non certe mirabimur, si patris Asteriae nomen eiusmodi invenerimus, in quo ignis quaedam significatio sit. Et profecto non minore iure, quam a *κείω* Hermanni, *Κοῖον* a *καίω* dictum censebimus, unde dicitur etiam *θυοσκόος, ἀπὸ τοῦ καίειν τὰ θύη*, ut ait schol. Ven. ad Il. I, 462: indidemque fortasse quae Hesychius habet *κόης* sive *κοίης*, quod nomen sacrificuli lustratoris in Cabirorum sacris fuisse docet, et *κοιᾶσθαι, ἱερᾶσθαι, κοιόλην* autem interpretatur *ἱερέα, πυρκόους* porro *ἱερέας δι' ἐμπύρων μαντευομένους*, quos Plutarchus *πυρικάους* dicit [24c]), *κοιώσασθαι* denique *ἀφιερώσασθαι, καθιερώσασθαι*, proprie,
19 opinor, de sacrificiis dictum quae diis adolentur [25]): nec diversae stirpis videtur *κωτάρχης*, quod nomen sacerdotii ex inscriptionibus Asianis cognitum, C. I. no. 2880 et 2881, iam Keilius, vir doctissimus, cum illis composuit, in specimine Onomatol. gr. p. 108. Nam litteram *α*, quae est in verbo *καίω, κάω*, in nominibus *ο* factam nemo peritus mirabitur, non magis quam additam huic *ι* [26]): et *Κόον*, alteram et fortasse vetustiorem nominis formam, videor mihi deprehendisse in hymno Homerico in Apoll. Del. v. 62, ubi quum codices habeant *θύγατερ μεγάλοιο Κοίοιο*, probabilius *μεγάλοιο Κόοιο* quam *μεγάλου Κοίοιο* rescribi posse censeo. Iam vero Ardoris et Clarae filiam Asterien s. Stellinam dici omnibus perquam credibile videbitur, dubitabunt autem de altera filia, Latona. Nempe huius nomen

24b) Cf. oraculum a Porphyrio allatum ap. Euseb. Pr. eu. VI, 1, 2.

24c) De Pyth. or. c. 24. Cf. Mueller. kl. Schr. II p. 192. Lobeck. Agl. p. 847. 1270. 1290.

25) Etiam *κεῖα, καθάρματα* et *κειώσασθαι, καθήρασθαι*, item ab Hesychio memorata, einsdem sine dubio stirpis sunt, pertinentque ad id genus lustrationis, quod per ignem fiebat.

26) Conf. not. 21.

ego cum plerisque Latentem significare arbitror, quumque *κυανόπεπλος* dicatur, tenebricosa quaedam natura etiam hoc epitheto indicari videtur, ab illis parentibus sane aliena. Tamen si Asterien Stellinam esse concedimus, quum stellae non appareant nisi noctu, postquam tenebrae coelo obductae sunt, non inepte stellarum naturae eam, quae tenebrarum est, tanquam sororem adiunctam fatebimur. Et postquam semel hae sorores factae erant, fieri non potuit, quin, qui Asteriae, iidem etiam Latonae parentes haberentur.

Κρεῖος et significationem obscuram, et formam quoque nominis incertam habet. Nam quum in codicibus theogoniae, quotquot collati sunt, omnibus v. 134 *Κρεῖος* scriptum sit, eamque formam etiam alii scriptores plurimi offerant, quos indicat Mützellius, de emend. theog. p. 190, tamen in altero theogoniae loco, v. 375, aliquot codices *Κρίῳ* habent, neque alii desunt huius formae testes, in quibus unus maxime disertus, Etymol. Gud. p. 346, 44, a quo docemur, etiam Aristarchum *ι* vocalem, non *ει* probasse, nomenque non, ut plerosque, *Κρῖος, προπερισπωμένως*, sed *Κριός, ὀξυτόνως* pronuntiari voluisse. Ortum nomen et veteres nonnulli et nuper Hermannus voluerunt ab eadem unde *κρίνω* radice, ut Seiugum vel Discriminatorem significaret, aptum scilicet Turbulo fratrem, qui, ut ille turbaret res omnes misceretque, ita hic rursus seiungeret et separaret. Nos quum Turbulum istum removerimus, ne hunc quidem Seiugum locum suum tenere posse iudicamus, etiamsi *Κρῖος* v. *Κριός*, non *Κρεῖος* dictus esse statuatur. Nam originatio illa quam incerta sit, neminem fugit: nisi quis forte etiam arietis nomen graecum a *κρίσει* ductum velit: et maiorem auctoritatem *Κρεῖος* habere videtur[27]). Id quo minus dubitemus accipere, Eurybia facit, h. e. Latipolla, uxor Crio adiuncta. Uxori late pollenti maritus convenit valens potensque: et haec ipsa significatio inest in *Κρείον* nomine, utpote a *κρέω*, *κρείω* ducto, quam originem agnoverunt e veteribus ii, qui *Κρεῖον τὸν βασιλικὸν καὶ ἡγεμονικὸν* interpretati sunt[28]). Iam vero Eurybia Ponti h. e.

---

27) Aliter iudicat doctissimus Lehrsius, de Aristarch. stud. Hom. p. 296.

28) Schol. ad theog. v. 134. — Ceterum *κρεῖος* adi. est etiam apud Marc. Sidet. de piscibus v. 29: *καὶ κρεῖοι συνόδοντες ἰδὲ ξιφίαι, θρανίαι τε.* Nam Synodontes appellativum vocabulum esse constat: et *κρεῖοι* hi pisces eodem sensu dicuntur, quo *ἀλκηστὰς συνόδοντας* Oppianus dicit, Hal. I, 170. — Alterum Crii nomen aut cognomentum *Μεγαμήδης* fuisse videtur, unde filius eius Pallas *Μεγαμηδείδης* vocatur, hymn. Hom. in Merc. v. 99.

maris filia dicitur: consentaneum est igitur etiam *Κρείου* potestatem in mari versantem cogitari: qualis autem maxime haec potestas fuerit, ex prole eorum coniici poterit, Astraeo, Pallante, Perse. Nam Astraeum, (Sidereum,) siderum significationem habere nemo facile dubitabit[29]), quumque sidera ab oriente ad occasum per coeli templa quasi vibrentur, ad significandam hanc vibrandi vim frater illi additus est *Πάλλας*, Vibrans s. Vibruus: postquam autem occiderunt, rursus occulta quadam via ad eundem unde orta erant locum revertuntur, inferiorem mundi regionem penetrantia: hinc Astraeo alterum fratrem addiderunt *Πέρσην*, Penetrium, *ὃς πάσῃσι μετέπρεπεν ἰδμοσύνῃσιν*, quippe quum hanc siderum ab occasu ad ortum occultam reversionem et immensos per inania cursus, ut est apud Manilium I, 176, maxime mirabiles esse et eximia quadam arte et sapientia effici censerent[30]). Marinis autem parentibus, Crio et Eurybiae, hi tres filii dati sunt propterea, quod sidera et oriri ex mari, et ali etiam maris exhalatione videbantur[31]).

21 Hyperionem Solis olim cognomen fuisse constat: neque aliter apud Homerum dicitur, praeterquam uno loco, Od. XII, 176, quem tamen interpolatum esse omnes hodie consentiunt. Qui patrem Solis et Lunae Hyperionem fecerunt, id sine dubio significari hoc nomine viderunt, quod utrique illorum commune est, ut sublime ferantur; tertiam autem filiam, Auroram, addiderunt necessario, quippe quum haec adeo cum sole coniuncta sit, ut diversae ab eo stirpis credi non potuerit. Coniugem autem Hyperioni, matrem Soli, Lunae, Aurorae, *Θείαν* dederunt, quod nomen aliis nihil nisi adiectivum femininum eius quod est *θεῖος*[32]), aliis a verbo *θέειν* ductum esse et Ambulonam significare videtur[33]): alii denique cum verbo *θεᾶσθαι* cognatum censent[33b]), permoti inprimis Pindari versibus, Isthm. IV (V) init., in quibus quum et divitiarum honor a Thia repetatur et victoriarum claritas, videri potest eius numinis haec vis esse, ut largiatur quidquid splendidum est et conspicuum, *θεατόν* v. *θαητόν*. Neque dubitan-

---

29) Nonnus, Dion. VI, 15 sqq. hunc astrologum facit.

30) De nominis originatione vid. quae dicentur in diss. de Hecate p. 16.

31) Similiter etiam posteriores physicos statuisse notum est. Vid. quos laud. Creuzer. ad Cic. d. N. D. II, 15 p. 265 et Ideler ad Arist. Meteor. II, 2, 6 p. 509.

32) Goettling. de accent. p. 131. Lennep. ad theog. v. 135.

33) Schol. ad theog. v. 135. Etym. M. p. 449, 15.

33b) Cf. Cornut. p. 94. Schol. Pind. Nem. I, 53. Isthm. V, 1.

dum est, quum poeta Homericus hymn. in Sol. (XXXI) v. 4 Solis, Lunae et Aurorae matrem Euryphaessam dicat, hanc non diversam esse a Thia[34]), cognomine, ut saepe alias, pro nomine posito. Et initio quidem a Thia s. Euryphaessa is tantum splendor derivabatur, quem oculis percipimus, ut Solis, Lunae, Aurorae, auri quoque aliarumque rerum nitentium: mox vis eius latius accepta et ad illud quoque genus splendoris traducta, quod figurate dicitur, in hominumque iudicio et existimatione constat. Itaque a θέειν, quod est currere, nomen deduci non potest. Quamvis enim Solis et Lunae matrem a cursu dictam libenter accipias, tamen quid huic cum honore et gloria? Nisi quis forte eo confugiat, ut fluxa haec esse et celeri quasi cursu aufugere dicat. Neque vero Divam, nomine plane generali et nullius propriae significationis, talem deam appellatam credibile est, maximeque probabilis eorum ratio videri debet, qui Θείαν indidem, unde est θεᾶσθαι, dictam statuunt.

De Iapeti nominis origine et significatione satius esse puto igno- 22
rantiam profiteri, quam coniecturis operam ludere, quibus quidem campus patet latissimus[34b]). Hoc tamen pro certo poni posse credo, quum filii Iapeti Prometheus, Epimetheus, Atlas, Menoetius dicantur, et in Prometheo manifesta sit humanae prudentiae et calliditatis significatio, in Epimetheo stoliditatis et temeritatis, in Atlante contumaciae, labores, pericula fasque ipsum contemnentis, in Menoetio denique ferocitatis et audaciae ne morte quidem deterritae, patrem quoque horum Iapetum ad homines pertinere, eumque esse, unde humani generis, si non origo, ingenium certe atque indoles animi repetenda sit. Quumque de origine hominum admodum variae fuerint fabulae, theogonia autem Hesiodea hanc silentio praetermittat, novimus tamen in aliis carminibus item Hesiodo adscriptis Deucalionem, huius certe quod nunc est generis humani principem, eiusque uxorem Pyrrham ab Iapeti filiis Prometheo et Epimetheo oriundos fuisse[35]): sive haec fabula posterius demum excogitata est, sive ab initio qui primus Prometheum induxit, etiam Deucalionem ei filium dedit, theogoniae autem compositor hoc omisit, ut a consilio suo alienum.

34) Id etiam Boeckhio visum esse testatur Dissen. Expl. Pind. ad l. l. — Ceterum Thiam „primam lucem" interpretatur Welcker. ap. eundem p. 512. Mihi Heynius deae notionem rectius indicasse videtur.

34b) Vid. diss. de Pandora p. 6. 7.

35) Schol. Apoll. Rh. III, 1085. cf. Weisk. Prometh. p. 406.

Cronus et uxor eius Rhea parentes sunt summorum deorum Olympiorum, Vestae, Cereris, Iunonis, Plutonis, Neptuni, Iovis, ut appareat, quemadmodum ab Iapeto hoc genus hominum, cuius Deucalion princeps fuit, ita ab illis hos deos, qui universo mundo praesunt, repetitos esse. Cronum porro evirare Coelum patrem vidimus, h. e. finem statuere generationibus ab hoc ortis, atque efficere, ut intra haec quae procreata erant genera et species omnis rerum universitas consisteret, neque novis in immensum succrescentibus perturbaretur: denique Cronus ipse liberos a se procreatos devorasse dicitur, donec a Iove imperio deiectus est. Has fabulas qui primus contexuit, Cronum videtur eum cogitasse, qui finem quidem immoderatae rerum creationi imponeret et novi atque constantis rerum ordinis initia pararet, ipse tamen huius moderamen regnumque non haberet. Quum autem hi ipsi dii, quos tanquam summos rerum omnium moderatores colebant, non
23 ab initio fuisse, sed postea demum nati esse crederentur, quum iam confusae illi et immoderatae Coeli generationi finis factus esset, originem horum consentaneum erat ab eo repeti, qui novi huius ordinis initia parasset. Hinc igitur Croni filii filiaeque dicuntur. Est autem novi ordinis haec lex, ut quidquid posthac procreatum fuerit, rursus intereat, neque ullae res singulae, vel, ut philosophi nostri loquuntur, individua ulla immortalia permaneant, sed genera tantummodo perdurent et propagentur; eamque legem fieri non potuit quin Cronus etiam in his, quos ipse procreaverat, servatam vellet. Itaque hos rursus interimere conatus est. Sed hoc conamen necesse est frustra fuisse, quandoquidem vivunt illi, quos Cronus procreavit, semperque victuri sunt. Consequitur ergo illos aliquo modo ab interitu vindicatos et vitae restitutos esse: eaque est significatio fabulae de liberis a Crono devoratis quidem, sed rursum in lucem emissis: qui ut postea in perpetuum regnarent, potentiam Croni eatenus frangi oportebat, ut in ipsos nihil amplius posset. Deiectus igitur coelo est, ut ibi iam omnia immortalia esse possint, et sub terram ablegatus, ubi mortalitatis lex dominatur. — Nomen *Κρόνου* quominus a *κραίνω* deducamus et Perficum interpretemur, nihil videtur obstare[35b]). Perfecit enim ille quod perficiendum erat, ut novus rerum ordo fundaretur; perficit etiam

35b) Probat hanc etymologiam etiam Cornutus c. 3 extr.: *τὸ κραίνειν καὶ ἐπιτελεῖν τὰ ὄντα*, et c. 27: *ἡ τῆς τῶν ὅλων γενέσεως τάξις, ἣν ἔφαμεν ἀπὸ τοῦ κραίνειν Κρόνον εἰρῆσθαι.*

nunc rerum illum cursum, quo, quae orta sunt, ad maturitatem perducuntur rursusque peracto vitae spatio absumuntur. Et hunc ipsum cursum et quasi flumen perpetuum oriendi, maturescendi, intereundi Rheae uxoris nomine significari visum esse probabile est.[35c])

Restant duo numina feminea, Themis et Mnemosyne. Themidem apparet legem illam significare, qua, posteaquam huius mundi principia generata erant, constanti et perpetuo ordine omnia contineri coeperunt; quae lex quum ad hominum vitam resque humanas traducitur, iustitiae, aequitatis, concordiae fons est, quamobrem has Themis filias peperisse dicitur, et quidem ex Iove, deo optimo maximo, qui quum universi mundi legem, Themidem, coniugem sociamque imperii habeat eiusque consilio mundum administret, tum etiam hominibus iuris atque officii cognitionem et amorem impertit. — Mnemosyne autem ea est, quae rerum praeteritarum memoriam retinet atque conservat: quumque omnis prudentia maxime ex diligenti rerum observatione et reminiscentia comparetur, nihilque magis vel acuat animum vel delectet, 24
quam contemplatio rerum et recordatio, hinc omnes artes ingenuae, quibus hominum vita ornatur et exhilaratur, Musarum nomine Mnemosynae filiae dicuntur, Iove patre prognatae, quoniam Iupiter et sibi Mnemosynen habet coniunctam, ut ipse quidquid unquam fuit factumque est memoria complectatur, et hominibus, sicut cetera omnia vitae praesidia et ornamenta, ita etiam Musarum beneficia largitur. Quemadmodum autem de Musis Pythagorei statuebant, *τὴν δύναμιν αὐτῶν οὐ περὶ τὰ κάλλιστα θεωρήματα μόνον ἀνήκειν, ἀλλὰ καὶ περὶ τὴν συμφωνίαν καὶ ἁρμονίαν τῶν ὄντων*[36]), similiter etiam de Mnemosyne statuere licebit, numen eius non solum ad mentis actionem, sed ad omnem rerum naturam pertinere, quandoquidem haec, dum nova semper profert, nunquam tamen veterum obliviscitur, sed omnem novarum rerum procreationem veterum quasi recordatione moderatur, generumque et formarum earundem tenax et memor, quae olim fuerunt, identidem, sed alio modo, refert, ut etiam quae prae-

---

35c) Visum esse dixi, iis scilicet, quorum rationem theogoniae nostrae compositor sequutus est. Nam re vera nomen a verbo *ῥέω* factum esse equidem praestare nolim. Et similiter de ceteris nominibus non quae mihi ipsi vera viderentur posui, sed quae veteribus illis visa esse crederem.

36) Iamblich. vit. Pythag. s. 45. Cf. quae de Orphicis referuntur apud Ioann. Diac. Alleg. p. 495 Gaisf. Lobeck. Agl. p. 731 sq.

terierunt tamen maneant quodammodo et perdurent.[36b]) Et ipsum nomen Mnemosynae hanc vim habere non immerito dixeris, ut servari aliquid et manere significet: nam *μνᾶσθαι* verbum, unde illud descendit, cum *μένειν* cognatum esse constat.

Haec si de singulis Titanibus haud improbabiliter disputata videntur, illud quoque apparet, non temere omne hoc genus deorum tanquam primam primorum parentum, Coeli Terraeque, subolem proponi, diisque ceteris itidem ut humano genere antiquius dici. Oceani aquis omnem terrarum orbem veteres ambiri et cingi credebant: consentaneum igitur erat, Oceanum statim procreatum esse, posteaquam terra, Ponto et Coelo ex semet emissis, hanc telluris formam ac proprietatem induerat. Quumque, quidquid posthac ex terrae gremio proventurum erat, aquae potissimum ope ali ac foveri deberet, conveniebat etiam Tethyn ante nasci, quam ea, quae sine huius ope sustentari non possent. Item ante quam coelestia corpora, sol, luna stellaeque nascerentur, necesse erat potestates quasdam esse, e quibus illa et existerent et motum suum acciperent, et luce atque ardore instruerentur: quae potestates Hyperione, Coeo, Crio, Thia, Phoebe significantur. Legem porro atque ordinem, quo futurarum rerum universitas contineretur, his ipsis priorem esse oportebat: quamobrem Themis quoque et Mnemosyne in his diis vetustissimis locum suum acceperunt. Tum finis faciendus erat Coeli generationibus, insequuturoque ex natis iam principiis legibusque rerum proventui locus dandus per Cronum eiusque uxorem Rheam. Denique eum quoque, unde humani generis origo repetebatur, Iapetum, huic numero accenseri par erat ab iis, quibus homines non a diis creati, sed ex iisdem, unde hi, principiis orti videbantur.

Non infitior equidem, si quis hanc fabulam ad subtilioris alicuius rationis normam examinare velit, reprehendi posse non pauca. Nam poterant sane et abesse nonnulli ex his, qui enumerati sunt, et alii etiam addi. Neque tamen absurde eum fecisse arbitror, qui hos ipsos ita composuit: et ut hos, non alios, poneret, propterea factum credo, quod non nova atque inaudita Titanum nomina ipse sibi comminiscenda, sed iis, quae tradita invenit, utendum iudicaverit. Sunt enim sine dubio nomina illa omnia e religionibus fabulisque populari-

36b) Cf. Cornut. c. 17 p. 94: *Μνημοσύνη ἡ τοῦ συναναφέρειν τὰ γεγονότα αἰτία.* Angustius schol. theog. v. 135: *ἡ ἐπίμονος διάπλασις τῶν ζώων.*

bus petita: nonnulla fortasse nihil nisi cognomina illorum ipsorum deorum, quos theogoniae auctor ab his oriundos fecit; alia non in vulgus nota et pervagata, sed a paucis passim usurpata, ipsaque quae ita appellabantur numina minus cognita neque in eius quae Olympiorum deorum coetui a poetis maxime tributa est naturae similitudinem transformata, sed antiquae rationis et significationis symbolicae tenaciora, eamque ob causam illis vetustiora, etsi non essent, esse tamen credita[37]). De Oceano quidem et Tethye non opus est nunc a me dici. Cronum constat, si non magna, at aliqua tamen religione passim a Graecis cultum esse[38]), neque est quod hanc religionem recentioris demum originis, ac non inde ab antiquissimis temporibus servatam statuamus; quale autem ab initio numen eius habitum fuerit, et qua 26
ratione hae quas theogonia narrat fabulae ortae sint, hoc loco nihil opus est quaerere. — Etiam Rheae religiones pervetustae fuerunt, maximumque incrementum ceperunt multis locis, postquam Rhea cum magna matre Asianorum permisceri coepit. — Hyperionem apparet de vetusto Solis cognomine deum factum esse, qui communem Solis et Lunae naturam, qua in superis locis versantur, quasi praemonstraret. Neque inepte Thiam et Phoeben, unde splendorem et claritatem Solis, Lunae et siderum ortam vidimus, antiqua cognomina Lunae fuisse conieceris. Nam cultas alicubi in Graecia deas his proprie nominibus appellatas vix credo, siquidem nec quae Pindarus de Thia canit, in omnium aliorum scriptorum silentio, eiusmodi sunt, ut numen eius popularibus religionibus cultum esse probent, et quod Phoeben Aeschylus in prologo Eumenidum a Pythia invocari facit, ut quae ante Apollinem Delphici oraculi possessionem habuerit, non credo propterea cum Müllero cultam apud Delphos Phoeben esse[39]), sed rem ab Aeschylo fictam arbitror ob certam quandam rationem, quam nunc ex-

37) Breviter rem tetigi in comm. de Aeschyl. Prom. p. 104; nec Lennepius aliter iudicat ad theog. v. 134. cf. O. Müller. Kl. Schr. II p. 178 et H. D. Müller. Ares p. 41. Titanum vestigia in ora Peloponnesi Achaica maxime deprehenduntur, de quibus vid. Klausen. Aen. et Penat. p. 1229 sqq.

38) Vid., qui diligenter pleraque persequuti sunt, Heffter. in Zimmerm. diar. schol. ann. 1838. II p. 228 et Weisk. Prom. p. 229 not. 4.

39) Cf. quae contra Müllerum recte Hermannus monuit in censura, Opusc. VI, 2 p. 19. — Contra Aeschylum, Phoebi nomen ab avia Phoebe repetentem, disputasse videtur Apollodorus in libr. περὶ θεῶν, ad quem provocat Heraclit. allegor. Hom. c. 7.

ponere nihil attinet. — Crius fortasse aut Pontus olim aut Neptunus cognominatus fuit; et χρείων hic quidem ab Homero omnium frequentissime vocatur. A Lennepio, ad theog. pag. 193, Κριοῦ, fluvii Achaici, admonemur, quem Pausanias VII, 28, 11 a Titane appellatum vult. Sed nihil inde lucis in hunc redundat, non magis quam ex monte Κρείῳ in Argolide, cuius Callimachus mentionem facit in lavacr. Pall. v. 40. — Coeum, Latonae parentem, vetustissimum insulae suae cultorem Coos perhibuisse Tacitus refert, Ann. XII, 61; unde coniicias aliquem hoc nomine deum olim a Cois cultum fuisse: qualis autem is fuerit, non apparet. Fuit etiam Messeniae fluvius, quem Pausanias IV, 33, 6 ab hoc Latonae patre appellatum suspicatur. — Mnemosynen ab Eleutherensibus cultam esse ex ipsius theogoniae prooemio v. 54 manifestum est, nec fefellit Lennepium p. 158. Etiam ab Atheniensibus sacra Mnemosynae facta memorat Polemo apud schol. ad Soph. Oed. Col.
27 v. 100; ne de Orphicis dicam, quorum hymnum in hanc deam legimus no. LXXVII. — Themidem passim in Graecia cultam esse constat[40], eamque religionem antiquam, theogonica saltem hac fabula antiquiorem fuisse, nihil est cur negemus. Aeschylus Themidem Promethei matrem facit, quod qua ratione interpretandum videatur, dixi in commentatione de fabula Aeschylea p. 46: nec dubitari debet, quin patrem Promethei eundem, quem ceteri, Iapetum acceperit. Huic quum in theogonia Clymene copuletur, una ex Oceanidibus, itemque Crio Eurybia, Ponti filia, apparet his duabus nuptiis concinnitatem fabulae perturbari: siquidem reliqui fratres omnes cum sororibus copulantur. Poterat quidem hoc facillime ab eo, qui hanc de Titanibus fabulam composuit, vitari, si Iapeto Themidem coniungeret, Eurybiam autem in Titanidibus numeraret [40b]), omissa, si duodenarium numerum excedi nolebat, Mnemosyne, quae nec desideraretur facile a quoquam in hac fabula, poteratque percommode iuxta Metin aut Thetin in Oceanidibus aut Nereidibus locum obtinere. Sed haec ipsa inconcinnitas mihi quidem satis manifestum indicium esse videtur, huius fabulae compositorem, etiamsi numerum fortasse duodenarium suo ipse iudicio finivit, eos tamen, quos hoc numero comprehendit, omnes ab

40) Cf. Pausan. I, 22, 1. II, 31, 8. IX, 20, 3. 22, 1. 25, 4. Müller. Dor. I p. 338.

40b) Hoc factum est in Tzetzae theogonia a Bekkero edita, Act. Acad. Berol. ann. 1840 p. 149, v. 56 et 186.

aliis traditos accepisse, neque in nuptiis eorum ac subole enarrandis quidquam novare ausum esse.

De communi Titanum nomine difficillima est quaestio varieque a multis agitata, nec defuerunt, qui, ut alia plurima obscura, ita hoc quoque Titanum nomen facilius et certius ex barbarorum quam e Graecorum sermone explicari posse opinarentur. Theogonia ipsa a verbo *τιταίνω* Titanes appellatos autumat v. 209:

τοὺς δὲ πατὴρ Τιτῆνας ἐπίκλησιν καλέεσκεν
παῖδας νεικείων μέγας Οὐρανός, οὓς τέκεν αὐτός.
φάσκε δὲ τιταίνοντας ἀτασθαλίῃ μέγα ῥέξαι
ἔργον, τοῖο δ' ἔπειτα τίσιν μετόπισθεν ἔσεσθαι.

Horum verborum verissima interpretatio haec esse videtur, ut *τιταί-*
νοντες ἀτασθαλίῃσι dicantur scelerate contendentes, animis
scilicet ad facinus erectis. E veteribus interpretibus alii nihil nisi ma-
nuum erectionem indicari voluerunt, alii contra *τιταίνοντας* interpre- 28
tati sunt *τίσιν καὶ τιμωρίαν λαμβάνοντας ὑπὲρ ὧν ἠδίκει ὁ Οὐ-*
ρανός: idque etiam Orphicis placuisse docent hi versus, a Proclo in
Plat. Timae. I p. 57 memorati:

κούρους δ' Οὐρανίωνας ἐγείνατο πότνια μήτηρ,
οὓς δὴ καὶ Τιτᾶνας ἐπίκλησιν καλέουσιν,
οὕνεκα τισάσθην μέγαν Οὐρανὸν ἀστερόεντα.

Nimirum *τιταίνειν* illis non a *τείνειν*, sed a *τίνειν*, vel potius a nomine verbali *τίτης* declinatum videbatur, quum praesertim in eo, quod a *τείνω* descendit, primam syllabam corripi, non, ut in theogoniae versu factum videmus, produci oporteret[41]. Non tamen crediderim Hesiodei poetae hanc mentem fuisse: nam neque convenire Coeli personae videtur, ut ultores sceleris sui filios appellet, in quo laus potius quam exprobatio inesset, neque illa verbi significatio ullo alio exemplo, quod quidem ego sciam, comprobatur; productio autem syllabae primae in hoc versus loco facilem excusationem habet, estque eo fortasse libentius a poeta admissa, quod etiam in Titanum nomine prima syllaba producitur[41b]. Sed sive is contentionem sive ultionem significare voluit, habemus explicandi nominis conatum parum probabilem,

---

41) Apud Nonnum, Dion. XXIV, 53, *καὶ σὺ τόσοις ποταμοῖσι μίαν χάριν ἄρτι τιταίνων*, possit hoc, quamvis correpta prima syllaba, pro *τίνων*, *ἀποτίνων* dictum videri. Sed fortasse nihil nisi porrigere significat. .

41b) Sic etiam Lobeckio visum est, Pathol. I p. 158.

non certum verae significationis testimonium, recteque fecerunt recentiores, quod in hoc non acquieverunt, etiamsi meliora ipsi et certiora afferre non potuerunt. Hermanni certo Tendones, inde scilicet appellati, quod ultro citroque tendendo omnem rerum naturam pertentaverint, placere nobis nequeunt. Alii, Diodoro auctore[42]), Titanes a Titaea dictos credunt, Titaeam autem terram, almam rerum matrem, a verbo *θάω*, unde *τίτθη* quoque et *τήθη* et *τηθύς* derivantur[43]): quibus ego assentirer, si de isto terrae nomine satis constaret, quod mihi quidem fictum a nonnullis videtur hanc ipsam ob causam, ut Titanum nomen inde explicarent. Alii denique, quum Hesychius *τιτήνην* interpretetur *βασιλίδα*, *τίτακα* autem *ἔντιμον, δυναστήν, βασιλέα*,
29 huc etiam Titanum nomen pertinere censent[44]), ut significet proprie honoratos, ideoque principes, reges, sintque ita aliquando dii appellati, pariter ut *ἄνακτες* saepe appellantur. Non improbabilem mihi hanc sententiam videri fateor: veram praestare nondum ausim. Interim hoc tenendum arbitror, fuisse hanc antiquam deorum appellationem, usitatamque fortasse apud certos quosdam populos, qui unum atque alterum illorum numinum, quae percensuimus, praeter ceteros colerent, hinc autem a poetis in omne hoc genus deorum quodammodo obsoletorum et Olympiorum splendore obscuratorum transferri coeptum. Quum autem invalesceret haec paullatim opinio, ut Iupiter eiusque familia iuniores, illi autem maiores natu crederentur, non mirum est, illud etiam accessisse, ut a Iove spoliati imperio et deiecti viderentur. Hinc igitur de Titanum cum diis certamine fabulae ortae sunt, quas qui subtilius et ratione quadam, quam philosophicam dicere licebit, adhibita tractabant, hi hoc novorum deorum cum veteribus certamen ita interpretati sunt, ut duas aetates mundi per gradus perfecti et ad hunc, qui nunc est, statum perducti statuerent, mundique nondum perfecti et ad certum ordinem bene compositi etiam dominos

42) III, 57. V, 66.

43) Heyn. ad. theog. v. 208 p. 148 ed. Wolf. — Weisk. Prom. p. 317 sq.

44) Kanne Myth. p. 17. cf. Böttiger. Kunstmythologie II p. 47 sq. Praeiverunt iam veteres, velut schol. Il. XIV, 274: *Τιτάν παρὰ τὸ τιτός*. Apud Aeschylum, Choeph. v. 379 (393 Well.) recepit Klausenius elegantem Hermanni coniecturam: *κλῦτε δὲ τὰ χθονίων τιτηνά*, probatam etiam Bambergero: obstat tamen metrum, quum huius vocabuli primam syllabam longam esse oportuerit, versus autem strophicus 366 (379) brevem poscat, et repudiavit coniecturam postea ipse Hermannus.

minus perfectos cogitarent, qui divinam quidem naturam haberent, sed quasi inchoatam tantummodo, iisque, qui post orti essent, virtute et sapientia inferiorem. Iam vero capessi ab Iove ceterisque diis iunioribus imperium non potuit nisi prioribus dominis deiectis, iis quidem certe, quorum ea natura esset, ut una cum novis diis participare mundi regimen non possent, sed alteris rerum potitis alteros privari potestate sua necesse esset. Fuerunt autem non omnes Titanes ex hoc genere. Nam Themidi quidem et Mnemosynae etiam sub Iovis imperio locum fuisse facile apparet: et dicuntur hae etiam uxores eius factae esse, filiasque ex eo peperisse, altera Parcas et Horas, altera Musas. Neque magis Oceanum Tethynque adversatos Iovi consentaneum est, testaturque etiam theogonia filiam eorum Stygem Iovi contra Titanes se adiunxisse *φίλον διὰ μήδεα πατρός*, v. 398, Homerus autem eos dudum Titanibus devictis et in Tartarum deiectis habitantes in terris proponit. Rheam denique, quae irascebatur Crono propter filios suos devoratos, Iovemque ei subtractum servabat ultorem, *ὅπως τίσαιτο ἐρινῦς πατρὸς ἑοῖο παίδων θ' οὓς κατέπινε μέγας Κρόνος ἀγκυλομήτης*[45]), nemo credere potuit perfecta ultione a filii partibus descivisse et marito se adiunxisse: apparetque etiam eius naturam hanc esse, quae oppressa et remota a Iove cogitari nullo modo potuerit. Contra Cronum deiici mundi imperio cur necesse fuerit, ex iis, quae supra diximus, apertum est. Etiam Iapetum, siquidem significatur hoc ingenium humanum divini imperii impatiens eique aut ferociter et audacter, aut stulte ac temere, aut callide ac fraudulenter repugnans, utique opprimendum fuisse intelligitur. Neque Coeus[45b]) et Phoebe aut Hyperion et Thia videbuntur amplius locum suum tenere potuisse, posteaquam Sol, Luna stellaeque orti erant, qui eandem cum illis naturam, sed ad hunc, qui deinceps futurus erat, mundi statum attemperatam haberent, ut illis non amplius opus esset. Eademque Crii fuit conditio, orto Neptuno. Hos igitur omnes a Iove debellari et in Tartarum demitti consentaneum fuit.

His expositis si quis theogoniae de Titanibus eorumque cum Iove

45) Theogon. v. 473. Post *παίδων* cur *τε* (*θ'*) addendum sit, exposui in dissert. de fals. indic. lacun. theog. Hes. p. 14. 15. Idem etiam sibi aliquando in mentem venisse Lennepius profitetur p. 287. 8, neque tamen satis persuasum fuit de emendationis veritate.

45b) Hunc a Iove vinctum testatur Valer. Flacc. Arg. III, 224.

certamine locos paullo attentius contemplabitur, significatam quidem passim veram rationem videbit, sed mancam tamen narrationem et imperfectam esse confitebitur, quippe quum et desint nonnulla ad rei intellectum maxime necessaria, et omnis tenor mirus sit nec satis rei conveniens. Primum enim de initio certaminis et quam ob causam bellum ortum sit, prorsus nihil neque in hac parte theogoniae, neque in iis quae praecesserunt edocemur, et postea demum, in alia carminis parte, dudum hac titanomachiae narratione absoluta et alio insuper certamine Iovis contra Typhoeum descripto, quum transit poeta ad coniugia Iovis subolemque enumerandam, obiter quasi et in transcursu
31 tribus verbis memorari videmus, *περὶ τιμάων* inter deos et Titanes certatum fuisse. Illud quoque tacetur, quo duce Titanes bellum gesserint, et Saturnus utrum nunc demum a filio deiectus, an iam antea regno spoliatus sit, qua de re quam diversae fuerint posteriorum certe sententiae, vel hoc documento est, quod quum Aeschylus in Prometheo v. 201 sqq. similiterque Apollodorus I, 2, 1 bellum hanc ob causam exarsisse dicant, quod alii imperium Saturno servatum, alii Iovi traditum voluerint, ii contra, quos Hyginus auctores sequutus est, fab. 150, Titanes posteriore demum tempore, quum dudum Iupiter imperio potitus esset, contra eum insurrexisse narrarunt[45c]. Neque magis edocemur, omnesne Titanes contra Iovem bellaverint, an pars tantummodo: nam Oceanum, Tethyn, Themidem, Mnemosynen, Rheam belli expertes fuisse nulla nos diserta poetae commemoratio hoc, ubi par erat, loco admonet, sed colligendum est ex aliquot indiciis alibi extantibus, et plerisque quidem post finitam demum belli narrationem. Haec autem ipsa nihil nisi Titanes in universum memorat, nullo nominatim nec posito neque excepto: in quo etiam illud mirum, quod, quum duodecim tantum Titanes e superiore narratione cognoverimus, nunc magnas utrimque copias, mares pariter et feminas, v. 667, adeoque cohortes Titanum, *φάλαγγας* v. 676, procedere videmus. Unde igitur haec multitudo? Nam cohortem ne tum quidem haberemus, si duodecim universi adessent, nedum detractis quinque, ut septem haud amplius supersint[46]. Aliosne igitur significari dicemus nescio quos cum Titanibus coniunctos, velut Atlantem, Menoetium et si quis prae-

45c) Sic et schol. Il. XV, 229.

46) Schol. Ven. ad Il. XIV, 274 quinque tantum numerat, Coeum, Crium, Hyperionem, Saturnum, Iapetum, omisso Oceano feminisque omnibus.

terea illis propter cognationem aut amicitiam adfuerit? At debebat de
his verbulo saltem significari. An forte ei, qui hanc narrationem com-
posuit, plures etiam praeter illos duodecim, quos superior theogoniae
pars solos memorat, Titanes noti fuerunt? Potest sane ita esse: nam
aliis non paucis hoc nomen ab aliis tributum invenimus[47]): sed si est
ita, vix videtur eiusdem poetae et haec titanomachiae narratio et ille 32
de duodecim Titanibus locus haberi posse. Et profecto conflatas di-
versorum carminum partes esse etiam omnis huius narrationis tenor
probare videtur, mirus iam supra a me dictus et rei parum conveniens.
Exordium narrandi ducitur v. 617 a mentione Centimanorum, Briareo
eiusque fratribus, a parente Coelo in vincula coniectis et sub terram

47) Goettlingius ad v. 136 citat Steph. Byz. s. v. Ἄδανα, ubi Coeli et Terrae filii, Saturni, Rheao, Iapeti fratres nominantur Ostasns, Sandes (s. Andes), Adanus, Olybrus: hos igitur in Titanibus numerandos osso dicemus. Sed Olybri nomen Salmssio, Holstenio, Berkelio suspectum fuit, rescribendumque Olympum censuerunt, quod Westermannus recepit. Et Olympum Titanem etiam alii memoraut. Ptolem. Hephaest. apud Phot. Bibl. p. 476. Hoesch. Diodor. III, 73. — Ostssi nomen ab ὤστης ductum videri potest, quo certus quidam terrae motus significatur. Vid Ps. Aristot. de mundo c. 4. Lelantum Titanem habet Nonn. Dion. XLVIII, 245 sqq., Sycean Dorio ap. Athen. III p. 78 A, Anytum Pausan. VIII, 27, 3. Xsnthum et Bslium Diodor. apud Eustath. ad Il. XIX p. 1190. Ogygen Castor apud Euseb. Arm. c. 13: ne de filiis duodecim Hesiodeorum dicam, in quos paternum nomen non raro transfertur, ut in Prometheum a Sophocle, in Atlantem ab Aeschylo, in Astraeum a Servio ad Verg. Aen. I, 132 et Mythogr. Rom. II, 51, in Dionen ab Orphicis fr. p. 467 Herm. et Apollod. I, 1, 3. Etiam Phorcyn, qui Hesiodo Ponti filius est, Orphici in Titanibus numerarunt, fr. p. 468, et Plato Timae. p. 40 E hunc, etsi non Titanem vocat, fratrem tamen facit Ssturni et Rheae, parentes autem horum Oceanum et Tethyn. Porro Briareum a nonnullis in Titanibus numeratum esse colligas ex Hesych. s. v. *Τιτανίδα*, et socium certe Titanibus contra Iovem addiderat titanomachiae poeta Aegaeonem. Schol. Apoll. Rh. I, 1165; Gygen quoque et Steropen illis accensere videtur Hygin. pr. 1, 2. Eudocia p. 396 Titanes nominat Dian, Atlantem, Prometheum, Coeum, Solem, Hyperionem, Ascum cum filio Damaseo, Crium, Titanum. Unus etiam proprio nomine Titan est apud Pausaniam II, 11, 5, Solis frater, qui in Sicyonia habitasse, et a cuius nomine Titane oppidum dictum credebatur: porro unus in orac. Sibyll. ap. Athenag. p. 272 Rechenb. et apud Lactant. D. I. I, 13, II, 10 cuius narratio ex Euemero fluxit ab Ennio latine converso. Cf. Tertull. adv. gent. II, 12. nec absimilia sunt apud Syncell. p. 44 C ex Beroso. Vid. C. Müller. fragm. hist. Gr. II p. 502 sq. Cf. et Mythogr. Rom. II, 198. III, 3, 4. Denique Titenius, *εἷς τῶν Τιτάνων ἀρχαιότερος*, qui Marathone habitaverit, ex Philochoro memoratur ab Etym. M. p. 760, 38. Suid. s. v. aliisque.

demissis, quemadmodum iam ante narratum erat v. 154 sqq., ad quem locum theogoniae compositorem nunc respexisse eumque lectoribus in memoriam revocare voluisse apparet. Pergit deinceps, magnas illos in vinculis aerumnas perpessos esse, donec tandem a Iove ceterisque Saturni et Rheae liberis Terrae consilio soluti sint, quippe quae victoriam iis hac tantum conditione portendi docuerit, v. 624—629. Namque fuisse diuturnum certamen inter Titanes Saturnique liberos, per totos decem annos tractum, dubio semper eventu et incerta victoria, v. 630—639. Sed postquam Iupiter Centimanos advocaverit nectareque et ambrosia recreatos ad fortitudinem cohortatus sit, v. 640—654, illique strenuam operam polliciti sint, v. 655—663, statim certamen vehementius et maioribus animis instauratum esse, v. 664—668. De-
33 scribitur deinceps certamen sat longa et vivida narratione, sed ita, ut Centimanis ubique primae partes tribuantur. Horum enim robur et forma depingitur v. 669—673, hi lapidibus grandibus armati contra Titanes processisse dicuntur v. 674. 5, hi imprimis acre proelium excitasse v. 713, postremoque victos Titanes vinculisque constrictos in Tartarum deiecisse, v. 717—720. Reliquorum factum nullum memoratur praeterquam unius Iovis, qui v. 687 non pepercisse viribus dicitur, sed multa fulmina in Titanes coniecisse, ut plane appareat, in hac omni narratione primum locum Centimanos occupare, Iovis quodammodo secundas partes esse, reliquorum vix ullas, victoriamque non tam a diis, quam a Centimanis reportari; posse igitur haec omnia in horum potius quam in Iovis deorumque laudem et honorem narrata videri. Neque suspicari licet, hunc habitum narrationis parum convenientem, cum rerum necessariarum praetermissione, non statim ab initio fuisse, sed postea demum ortum esse, quum lacunis aliisque depravationibus theogonia a prisca et genuina forma multis modis deflexa suique prorsus dissimilis facta sit. Nam quicunque totam hanc partem a v. 617 usque ad 720 perlegerit, omnia inter se quidem optime cohaerere, neque ullum lacunae indicium apparere confitebitur: et tamen talem hanc narrationem esse, qualem oportebat, nobiscum negabit. Manifestum est enim, titanomachiam in theogonia non aliam ob causam commemorari debuisse, nisi ut doceremur imperium quomodo a Saturno veteribusque diis ad Iovem eiusque fratres ac sorores translatum et contra adversarios et rebellantes stabilitum esset[48]). Credimusne igitur

48) Significat tale quid etiam is, cuius sunt in prooemio theogoniae versus

poetam quemquam, qui quidem saperet et fari posset quae sentiret, 31
rem ita instituturum fuisse, ut neque causam certaminis et initium attingeret, nec ducem partis alterius ne verbo quidem indicaret, et exordiretur narrationem ab iis, qui decimó demum anno in auxilium vocati sunt, totamque ita pertexeret, ac si horum tantum causa rem paullo copiosius persequeretur, fuissetque, nisi hi adessent, omnem titanomachiam aut silentio praetermissurus, aut obiter tribus verbis memoraturus? Hoc poeta profecto nemo committere potuit: potuit autem compilator aliquis, qui quum componere narrationem vellet de deorum originibus imperiique ad alios ab aliis translati vicibus, intellexit quidem, quas partes haec narratio habere deberet, et quo hae partes ordine disponendae essent, ipse autem non tantum valeret poetica facultate, ut rem suis verbis proponeret suisque versibus includeret, ideoque aliorum carminibus uteretur ex iisque sumeret, quae de quaque re exposita inveniret, non alia mutatione facta, quam quae maxime necessaria esset, ut aliquo modo omnia inter se connecterentur, ceteroquin autem relinqueret qualia essent, etiamsi minus nonnunquam ad sui

112. 113, quibus invocantur Musae ut doceant, quomodo dii *ἄφενος δάσσαντο καὶ ὡς τιμὰς διέλοντο ἠδὲ καὶ ὡς τὰ πρῶτα πολύπτυχον ἔσχον Ὄλυμπον.* Et munerum quidem distributionis aliquam saltem mentionem fartam videmus post titanomachiam, v. 885; Olympum autem in ipsa titanomachia iam occupatum a Iove cognoscimus v. 633, et iam antea, v. 391, ubi Iupiter deos ad auxilium contra Titanes sibi ferendum in Olympum convocat: sed quomodo hunc occupaverit, vacuumne an adversariis ereptum, nullo verbo docemur, quamquam postea, v. 820, Iupiter Titanes *ἀπ' οὐρανοῦ* depulisse dicitur, quod apparet nihil aliud esse quam *ἀπ' Ὀλύμπου.* Neque tamen licet de aliqua lacuna suspicari, quae huius rei mentionem hauserit: nam nullus est in theogonia locus, ubi id factum videri possit: sed est hoc quoque nihil nisi malae compositionis argumentum. — Ceterum ante Iovem Olympum etiam Saturni ac Titanum sedem fuisse is certe statuit, cuius sunt versus in O. et D. 110. 111: *ἀθάνατοι — Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες, οἳ μὲν ἐπὶ Κρόνου ἦσαν, ὅτ' οὐρανῷ ἐμβασίλευεν*, quorum versuum alterum Goettlingius spurium pronuntiavit, hoc usus argumento, quod nusquam Saturnus in diis Olympicis haberetur. Et Voelckerum quoque, Mythol. Iapet. p. 264, hoc offendit, quamquam versum propterea damnare non ausus est. De Homero quidem verissime schol. Il. XIV, 279, *ὅτι οὐ τοὺς περὶ Κρόνον λέγει Ὀλυμπίους*, neque causa obscura est. Sed assignatur Olympus Saturno sedes etiam ab aliis, velut ab Apollonio Arg. II, 1232: *Οὐρανίδης Κρόνος εὖτ' ἐν Ὀλύμπῳ Τιτήνων ἤνασσεν*, quem equidem hoc non dicturum fuisse credo, nisi vetustiores habuisset auctores. Aeschylus etiam, in Prometh. v. 958, ex eadem quam nunc Iupiter teneat arce (*περγάμων*), hoc est ex Olympo, cuius eum nuper dominum factum ait v. 149, priores dominos deiectos dicit. Cf. et Horat. Od. II, 12, 8.

operis consilium apta, quandoquidem neque in promptu alia habebat, neque haec, quae habebat, ipse refingere aliaque et aptiore forma induere valebat. — Et produnt compilatorem non haec solum quae demonstravi indicia, sed, ut arbitror, etiam totus color narrationis genusque dicendi in titanomachia nonnihil a reliquis theogoniae partibus discrepans, quod, etiamsi explicari fortasse aliquis posse dicat ex rerum genere diverso, mihi tamen etiam auctorum diversitatem probare videtur. Sed de his, quoniam difficile est obloquentes convincere, et sentiri talia facilius a peritis, quam demonstrari imperitis possunt, nolo nunc plura dicere. Tangam autem unum praeterea, de quo facile quemlibet mihi assensurum spero: transitum illum praecipitem et abruptum, quo post absolutam de Iapeti filiis narrationem v. 616 ad titanomachiam non deducimur, sed abripimur, iam a Wolfio aliisque notatum, et compilatore sine dubio quam poeta digniorem. Denique comparet mihi aliquis cum hoc loco, qui solutos a Iove Centimanos inducit, eum qui est v. 501—506:

Λῦσε δὲ πατροκασιγνήτους ὀλοῶν ἀπὸ δεσμῶν,
Οὐρανίδας, οὓς δῆσε πατὴρ ἀεσιφροσύνῃσιν.

et assentietur sine dubio Wolfio, ita haec dicta esse, ut de Centimanis pariter ac de Cyclopibus accipi possint. Sed quae statim sequuntur,

οἵ οἱ ἀπεμνήσαντο χάριν εὐεργεσιάων,
δῶκαν δὲ βροντὴν ἠδ᾽ αἰθαλόεντα κεραυνὸν
καὶ στεροπήν· τὸ πρὶν δὲ πελώρη Γαῖα κεκεύθει·
τοῖς πίσυνος θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισιν ἀνάσσει,

ad Cyclopes solos pertinere apparet. Scilicet hos prius solutos esse oportebat, ut armis Iovem instruerent, quibus fretus certare cum Titanibus de imperio auderet. Et significatur hoc quodammodo, quamvis obscurius, versu postremo. Sed si poetae, non compilatoris opus haberemus, expositum sine dubio legeremus, ut fretus armis Iupiter imperium affectasset, ut restitissent Titanes, ut bellum hinc exarsisset grave et diuturnum; et sic demum iusto narrationis ordine ad solutos etiam Centimanos exitumque belli deduceremur. Nunc autem hiulca omnia et manca et aliter quam res poscebat narrata videmus, ut ego quidem Heynii iudicium, esse hanc theogoniam non unius poetae opus continuum, sed e pluribus aliorum carminibus a compilatore consarcinatum, non mediocriter hoc earum quae ad Titanes et titanomachiam pertinent partium examine comprobari censeam.

Scrib. Gryphiswaldiae d. XXVIII. m. Aug. MDCCCXLIV.

DE NYMPHIS MELIIS GIGANTIBUS ET ERINYSIN.

Dudum hoc et a multis theogoniae Hesiodeae interpretibus obser- 3
vatum est, Hesiodum, vel quisquis est qui hoc carmen composuit, fa-
bularum quas memorat veram vim ac significationem ipsum haudqua-
quam perspexisse: quod quum verissime observatum sit, accidit tamen
non semel viris doctissimis, ut huius observationis immemores in in-
terpretando ita versarentur, ac si constaret subtiliorem quandam ra-
tionem atque intellectum fabularum compositoris animo obversatum
esse consiliumque rexisse, adeoque, quae ille narrandi ordine locoque
coniunxit, haec etiam re et natura sua coniuncta esse arbitrati, ex ipso
quo quidque positum est loco etiam de eius significatione coniecturas
ducerent. Id quum alibi, tum in eo loco factum est, quo Terrae sub-
oles e castrati Coeli sanguine subnata proponitur, Erinyes, Gigantes
nymphaeque Meliae, quam subolem, quoniam nascendi modo coniun-
ctam eodemque carminis loco memoratam videbant, etiam natura ac
significatione coniunctam esse debere crediderunt, eaque opinione in-
ducti interpretationem talem commenti sunt, quam qui probet, hunc
necesse sit statuere proprium quoddam et a ceteris Graecis, quantum
quidem nobis compertum est, plane diversum genus mythologiae ab
Hesiodo traditum esse. Nam quoniam castratione Coeli hoc sine dubio
significatur, generationibus eius aliquando finem impositum, generan-
dique officium deinceps a parente ad ipsam rerum creatarum naturam
translatum esse, hinc etiam subolem e Coeli sanguine natam eodem 4
pertinere voluerunt, Erinyesque Maturinas, Gigantes Genitales, Melias
autem Cicurinas interpretati, triplices naturae vires significari statue-
runt, quibus efficeretur, ut fetus ederentur non imperfecti, sed maturi,
neque steriles, sed fecundi, neque aversantes se invicem, sed sociabiles:

quae interpretatio quamvis acute excogitata sit, hoc tamen manifestum est, ceterorum Graecorum neminem unquam tales aut Erinyes aut Gigantes aut Melias nymphas cogitasse, fundamentumque huius interpretationis aliud nullum esse, quam quod rationem quandam physicam unam sibique congruam omni huic narrationi inclusam esse sumpserunt. Atqui temere hoc sumptum esse apparet, si ipsum Hesiodum non intellexisse fabularum significationes fatemur. Nam si non intellexit, quid obstare potuit, quominus etiam res aut personas plane diversi generis, quum similem iis originem in fabulis tribui videret, uno eodemque loco carminis memoraret? Repudiata igitur hac praesumptione etiam omnem istam interpretationem concidere necesse est, locumque fieri alteri, quam nos unam veram et rectam esse iudicamus, ut quid significent illae fabulae explicare ex iis conemur, quae certis antiquitatis testimoniis et indiciis cognita nobis et comperta sunt. Hanc itaque viam ingressi quid de illa Terrae subole statuendum sit, videbimus: ac primum quidem de nymphis Meliis.

Has cur Cicurinas, h. e. societatis rerum et concordiae conciliatrices interpretari uolimus, ex iis quae modo diximus apertum est, improbavitque hanc interpretationem etiam Creuzerus, locupletissimus graecae mythologiae auctor, in epistolis de Homero et Hesiodo ad Hermannum scriptis[1]). Sed quae ipse vir doctissimus de Meliis nymphis disputat, in his hoc unum quidem magnopere probamus, quod noluit, cum Hermanno, veterum interpretum testimonia fabulasque de Meliis traditas prorsus negligere: ceterum recte eum vel testimoniis illis usum esse vel fabularum rationem perspexisse non adducimur ut credamus. Nimirum offecit huic quoque eadem quae Hermanno persuasio, ut cosmogonicas quasdam potestates significari crederet, quarum vis in omni rerum natura late pateret et ad conservandum eum statum pertineret, qui in mundi primordiis, postquam immoderatis Coeli generationibus finis impositus fuit, fundandus in posterum atque stabiliendus erat. Itaque nec Maturinas illas nec Genitales spernere ausus est, Melias autem significare statuit vim illam fecunditatis, quae stirpium et animalium proventum efficiat, solis calore et humoris nutritu adiutam. Hanc

1) Briefe über Homer und Hesiodus, vorzüglich über die Theogonie. Von G. Hermann u. Fr. Creuzer (Heidelb. 1818) p. 165 sq. Cf. Symbol. u. Myth. II p. 430 ed. 2. Ceterum Hermannus ipse postea sententiam suam retractavit. Vid. Diurn. antiqu. (Zeitschr. f. d. Alterth. W.) 1837 no. 99 p. 809.

interpretationem ut comprobet, primum illud nos advertere iubet, quod a scholiastis Hesiodi ad explicandum nomen Meliarum non solum *μελίαι* arbores h. e. fraxini, sed etiam *μῆλα*, h. e. oves vel pecora adhibeantur. Id enim ex populari quadam traditione ductum videri, quandoquidem etiam *Ἐπιμηλιάδαι*, genus nympharum, apud Pausaniam memorentur in originibus Arcadicis VIII, 4, 2. — Atqui nobis quidem illa scholiastae adnotatio, *Μελίας δὲ ἀπὸ τοῦ μῆλα τὰ ἄλογα*, non aliam originem habere videtur nisi inscitiam hominis soni similitudine decepti: apud Pausaniam autem Epimeliades quidem memorantur (nam Epimeliadae nullae sunt); Meliarum autem neque nomen illo loco invenitur neque ullum est indicium, unde easdem has cum Epimeliadibus habitas esse coniicias. Qui autem disertius de utrisque loquuntur, illis, quae et *Ἐπιμηλίδες* et *Περιμηλίδες* et *Μηλιάδες* s. *Μηλίδες* vocantur, *τῶν μήλων* h. e. pecoris curam tutelamque adscribunt[2]), *Μελίας* contra arborum, quarum cognomines sunt, h. e. fraxinorum nymphas esse docent[3]), ut appareat has in dryadibus s. hamadryadibus censendas esse. Quamquam sunt etiam qui *Μηλίδας* ab arbore *μηλέᾳ* s. *μηλίδι* nomen habere credant[4]); quod si verum esset, — est autem minus veri simile, — dryades quidem et ipsae forent, distarent tamen a *Μελίαις* tantundem, quantum malus a fraxino. Nam Drya-

2) Phrynichus in Bekk. Anecd. I p. 17, 5: *Ἀντριάδες: νύμφαι ὡς αἱ ἐν τοῖς νάμασι διατρίβουσαι Ναΐδες, καὶ ἐν τοῖς ὄρεσιν Ὀρεστιάδες καὶ Ἀμαδρυάδες, καὶ αἱ περὶ τὰς νομὰς τῶν τετραπόδων Ἐπιμηλίδες, ὅτι μῆλα ἅπαντα τὰ τετράποδα καλοῦσιν οἱ ἀρχαῖοι.* Eustath. ad Il. XIX, 8: *αἱ δὲ τῶν βοσκημάτων Ἐπιμηλίδες.* Cf. all. ap. Bergler. ad Alciphr. III, 11 et Koch. ad Ant. Liber. p. 265. **Perimelides** sunt ap. Servium ad Verg. Ecl. X, 62, **ab ovibus**, ut ipse interpretatur. A Nonno XIV, 210 etiam *Ἐπιμηλάδες* vocantur, et distinguuntur ib. 212 ab his *Μελίαι*. Apud Sophoclem Philoct. v. 725 *Μηλιάδες νύμφαι* sunt Malienses, ad sinum Maliacum.

3) Eustath. ad Il. XIX, 321: *δῆλον δ᾽ ὅτι καὶ νυμφῶν ὄνομα αἱ Μελίαι, ὡς καὶ παρ᾽ Ἡσιόδῳ. αὐτὸ δὲ καθ᾽ ὁμωνυμίαν τῶν δένδρων, οἷς μυθικῶς ἔχαιρον ἐκεῖναι.* Schol. Apoll. Rh. II, 4. *διὰ τὸ περὶ μελίας δένδρα διατρίβειν, καθάπερ Ἀμαδρυάδες ἀπὸ τῶν δρυῶν.* Schol. ad H. theog. 187. *Μελίας διὰ τὸ ἅμα τοῖς δένδρεσι γενέσθαι, ἢ διὰ τὸ ἐν ὄρεσι δενδροφόροις ἀναστρέφεσθαι.*

4) Eustath. ad Od. XXIV, 340: *ἐκ τῆς μηλέας καὶ Μηλίδες αἳ κατὰ Δωριεῖς Μαλίδες νύμφαι, αἳ καὶ τετρασυλλάβως Μαλιάδες.* Cf. id. ad Il. VI, 420: *εἰ δὲ καὶ δρύες δι᾽ αὐτῶν (τῶν νυμφῶν) γίνονται καὶ μηλέαι καὶ τὰ ἐν λειμῶσιν, οὐδὲ τοῦτο ἀφῆκεν ἡ ποίησις ἀπερίληπτον, Ἀμαδρυάδας νύμφας τινὰς πλασαμένη καὶ Μηλίδας καὶ Λειμωνιάδας.*

dum nomen commune est, omneque hoc genus nympharum complectitur, quae arboribus praesunt: harum autem species totidem sunt, quot sunt arborum, quarum quaeque tutelam gerunt nomenque ab iis impositum habent, ut alia sit *Φιλύρα*, alia *Δάφνη*, alia *Ῥοιά*, alia *Ἑλίκη*, alia *Πτελέα*, alia *Βάλανος*, alia *Καρύα*, alia *Ἄμπελος*, alia *Κράνεια*, alia
6 *Αἴγειρος*, alia *Συκῆ*[5]), alia *Μελία*, alia denique, si quis hoc velit, *Μηλίς* vel *Μηλιάς*. Itaque de *Μηλίσιν*, *Μηλιάσιν*, *Ἐπιμηλίσιν* possit fortasse aliquis ambigere, pecorisne an arborum nymphae sint: de *Μελίαις* dubitari nullo modo potest, quin nihil ad pecus, sed tantummodo ad arbores pertineant. Sic arboris nympham Meliam Callimachus nobis proponit, Hymn. in Del. v. 79:

Ἡ δ' ὑποδινηθεῖσα χοροῦ ἀπεπαύσατο νύμφη

---

5) **Philyra** e Saturno mater Chironis et Dolopis (Hygin. pr. p. 8) Oceani filia dicitur (Apollon. II, 1239. Schol ad I, 554. II, 392. 1231. Schol. Pind. Pyth. III, 1), ut Melia ceteraeque nymphae a plerisque. Haec quod in **tiliam** mutata dicitur (Hygin. f. 138 p. 205 Munck. Philarg. ad Vergil. Georg. III, 93) ostendit, quomodo veteres nomen acceperint, et esse Philyram dryadem. Neque audiendi sunt qui hoc nomen aut e *φυλλύρα* (a *φύλλοις*) cum Welckero in Diar. schol. 1831 no. 99 p. 786, aut e *φιλολύρα*, cum eodem in Epimetr. ad libr. de Aesch. trilog. p. 53 et Kieselio, de hymn. in Apoll. Hom. p. 110 corruptum esse volunt. Vid. Lobeck. Pathol. proleg. p. 204. Tenuit tamen alteram opinionem de *Φυλλύρα* et studiose defendit Welcker. kl. Schr. III p. 5. Ceterum Philyra, h. e. tiliae nympha, etiam Nauplio uxor datur ap. Apollod. II, 5, 14. — **Rhoeas** nymphas memorat Eustath. ad Od. VII, 115: *ὅτι δὲ Ῥοιαὶ ὁμωνύμως τῷ δένδρῳ καὶ αἱ περὶ αὐτὰς μυθικαὶ νύμφαι, δηλοῦται καὶ ἀλλαχοῦ.* Id. ad Od. XXIV, 340: *φίττα Μαλιάδες, φίττα Ῥοιαί, φίττα Μελίαι· ἐν οἷς νυμφῶν μὲν εἰσὶν ὀνόματα τὰ θηλυκά, τὸ δὲ φίττα ἐπίῤῥημα τάχους δηλωτικόν.* Nempe utebantur his inclamationibus puellae ludentes cursuque certantes, ut Pollux docet IX, 127: *τὰς γὰρ νύμφας εὐφημοῦσαι θέουσι παροξύνουσαι ἀλλήλας εἰς τάχος.* cf. Nauck. ad Aristoph. Byz. p. 161. — **Daphnen** Penei Thessalici aut Ladonis Arcadici fluvii filiam in laurum mutatam nemo ignorat. Aliam Daphnen, *μίαν τῶν περὶ τὸ ὄρος νυμφῶν*, quae in Parnaso oraculo praefuerit, Pausanias memorat X, 5, 3: *Δαφναίας* in dryadibus Nonn. XXIV, 99. — *Ἑλίκην* Arcades eam arborem dixerunt, quae alias *ἰτέα* est, h. e. salicem. Theophr. hist. plant. III, 13 extr. Nympham Helicen in Iovis nutricibus numerabant, ut docent Arat. v. 37. Hygin. poet. astr. II, 2 p. 359 Munck. et Serv. ad Vergil. Georg. I, 246. Alia Helice, Selinuntis fluvii filia, Ioni nupsit, ab eaque Achaiae urbs nomen accepit. Paus. VII, 1, 2. Steph. Byz. p. 118 West. Neque ex nympharum genere eximenda Helice Danai filia ab Hygino f. 170 memorata, sicut uxores quoque Danaus nymphas quasdam Hamadryadas habuit, Apollod. II, 1, 5, 4. — Reliqua nomina refert Athenaeus III, 14 p. 78 ex Pherenico, de cuius narratione infra dicemus.

Αὐτόχθων Μελίη, καὶ ὑπόχλοον ἔσχε παρείην,
Ἥλικος ἀσθμαίνουσα περὶ δρυός, ὡς ἴδε χαίτην
Σειομένην Ἑλικῶνος.

Videmus nympham de arbore sua anxiam: et quo minus dubitari possit, addit statim poeta:

Ἐμαὶ θεαί, εἴπατε, Μοῦσαι,
Ἦ ῥ' ἐτεὸν ἐγένοντο τότε δρύες ἡνίκα νύμφαι.
Νύμφαι μὲν χαίρουσιν ὅτε δρύας ὄμβρος ἀέξει,
Νύμφαι δ' αὖ κλαίουσιν ὅτε δρυσὶν οὐκέτι φύλλα.

Neque aliter Nonnus Meliam inducit Dionyso querelas quas sub ipsius arbore fuderat parum viriles exprobrantem, Dion. XVI, 230:

δι' εὐπετάλου δὲ κορύμβου
Φθόγγους εἰσαΐουσα γυναιμανέος Διονύσου
Ἀρχαίη Μελίη φιλοκέρτομον ἴαχε φωνήν.

et paullo post, v. 244:

Ὣς φάτο κερτομέουσα νόον δειδήμονα Βάκχου,
Καὶ δρυὸς ἐντὸς ἵκανεν ὁμήλικος.

Itemque ab eodem XIV, 212 *συμφυέες Μελίαι δρυὸς ἥλικος* dicuntur.

Ceterum de hoc omni Dryadum nympharum genere varias fuisse veterum sententias nemo mirabitur. *Ἥλικας* vel *ὁμήλικας* nymphis arbores Callimachus et Nonnus eodem sensu dicunt, quo ipsae a Pindaro dictae sunt *ἰσοδένδρου τέκμαρ αἰῶνος λαχοῦσαι*[6]): quod quid sit, disertius eloquitur poeta Homericus, hymn. in Ven. v. 264:

Τῇσι δ' ἅμ' ἢ ἐλάται ἠὲ δρύες ὑψικάρηνοι
Γεινομένῃσιν ἔφυσαν ἐπὶ χθονὶ βωτιανείρῃ. — —
Ἀλλ' ὅτε κεν δὴ μοῖρα παρεστήκῃ θανάτοιο, 7
Ἀζάνεται μὲν πρῶτον ἐπὶ χθονὶ δένδρεα καλά,
Φλοιὸς δ' ἀμφιπεριφθινύθει, πίπτουσι δ' ἄπ' ὄζοι·
Τῶν δέ θ' ὁμοῦ ψυχὴ λείπει φάος ἠελίοιο.

Aliis autem Dryades non diversi generis ab aquarum nymphis, Naidibus v. Naiadibus, fuisse videntur, id quod Propertii, doctissimi poetae, versus demonstrant de Hyla ab aquarum nymphis rapto. I Eleg. 20, 32:

Ah dolor, ibat Hylas, ibat Hamadryasin.

et v. 45:

---

6) Apud Plutarch. Erot. c. 15. De defect. orac. c. 11. Cf. Etym. M. p. 75, 44. Schol. Apollon. II, 479. Ovid. Fast. IV, 230 sqq. Serv. ad Vergil. Aen. X, 18.

Cuius ut accensae Dryades candore puellae
Miratae solitos destituere choros,
Prolapsum leviter facili traxere liquore.
Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.

Neque minus illi versus, quibus Gallum cavere iubet, si quando aut lavetur aut ad fluminum ripas ambulet, ne rapiatur et ipse a Dryadibus, v. 5 sqq.:

Est tibi non infra speciem, non nomine dispar
Thiodamanteo proximus ardor Hylae.
Huic tu, sive leges umbrosae flumina silvae,
Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes,
Sive Gigantea spatiabere littoris ora,
Sive ubicumque vago fluminis hospitio,
Nympharum semper cupidas defende rapinas:
Non minor Ausoniis est amor ah Dryasin[7]).

Et apud Apollodorum quoque III, 10, 4, 5 *Ναϊάς* est *Βάτεια*, nomine sine dubio a *βάτοις* h. e. a rubis indito, quemadmodum in Oceanidibus, quae sane *Ναϊάδες* sunt, una a violis *Ἰάνθη*, altera a rosetis *Ῥόδεια* appellatur theog. v. 349 et 351. Item quae *Ναΐς* dicitur apud Pindarum fr. 57 p. 585, Sileni uxor, ex quo Pholum Centaurum peperit, hanc Meliam fuisse discimus ex Apollodoro II, 5, 4, 2, et Philyra *Ναΐς νύμφη* dicitur a Xenophonte de venat. c. 1, 4. Nimirum haud absurde aquarum nymphae, quum amare ac tueri frutices atque arbores viderentur, ab his etiam appellatae sunt, quae ut crescerent ac vigerent, illarum munus fuit. Eodemque iure etiam his, quae pascua irrigarent pecudibusque alimenta procurarent, ab hoc munere nomen imponi potuit, ut in Oceanidibus apud Hesiodum theog. v. 354 est *Μηλόβοσις*, Pecupasca, apud alios *Μελίβοια*[8]), *ᾗ μέλει τῶν βοῶν*, quemadmodum bubulcos a bucolicis poetis Meliboeos nominari videmus: omninoque quum, ut *κουροτρόφος*[9]), ita non minus et *μηλο-*
8 *τρόφος* et *δενδροτρόφος* vel *δρυοτρόφος* vis aquarum sit, nihil ob-

7) Aut Adryasin, cum Lennepio ad Boschii Anthol. Gr. Vol. V p. 97 et Hertzbergio. Cf. Boeckh. fr. Pind. 126 p. 632. Ceterum Ungerus, Analect. Propert. p. 27 locos Propertii omnes corrigendos ait, ut pro Dryadibus Hydriades appellentur, nulla, ut arbitror, satis valida ratione permotus.

8) Meliboea Oceani filia, Pelasgi uxor, ex quo Lycaonem parit. Apollod. III, 8, 1, 2. Schol. Il. p. 82 b. Alii pro hac Cyllenen dixerunt, nympham Oreadem.

9) Hes. theog. v. 347, et quae diximus ad Aesch. Prometh. p. 150.

stabat, quominus et Epimelides et Dryades h. e. arborum pecorumque nymphae pro Naiadibus omnes haberentur, illaque nomina, sicut cetera quae nymphis passim imponuntur, *Ἀντριάδες*, *Λειμωνιάδες*, *Ὀρεάδες*, s. *Ὀρεστιάδες*, *Ναπαῖαι*, *Κρηνίδες*, *Ἐπιποταμίδες* aliaque, non generis sed muneris tantummodo et habitationis diversitatem indicarent[10]). Et possit, qui subtilius philosophari velit, nymphas cum veteribus nonnullis interpretari *τὰς περὶ γῆν φυτικὰς δυνάμεις, ἃς ἡ τοῦ ὕδατος ὑγρότης ἀποτελεῖ*[11]), quod sane nihil aliud est, quam significari dicere vim fecunditatis quae humore continetur. Atque sic convenire nobis cum Creuzero videri possit: sed interest tamen hoc,

---

10) Qui ita statuebant, hos apparet non potuisse dryadibus *ἰσοδένδρου τέκμαρ αἰῶνος* cum Pindaro tribuere, sed pariter ut ceteris nymphis aut immortalitatem aut certe longaevitatem longe supra arborum vitae terminos productam, qualem indicant versus Hesiodei apud Plutarchum de defect. orac. c. 11. vid. Marckscheffel, Hes. fr. p. 376 sq. Immortales nymphae quum alibi dicuntur, tum in Sibyllae versibus apud Pausan. X, 12, 2. Atque etiam qui *ὁμήλικας* arbores nymphis dixerunt, non consequitur necessario etiam terminos vitae eosdem utrisque statuisse, sed potuerunt natas quidem cum nymphis arbores credere, quasi vitae causam in his habentes, ita tamen ut excisis arboribus aut alio modo absumptis nymphae nihilo minus superessent. Ita Apollonius statuisse videtur, II, 477 sqq., ubi petit ab homine nympha, *μὴ ταμέειν πρέμνον δρυὸς ἥλικος, ᾗ ἔπι πουλὺν αἰῶνα τρίβεσκε διηνεκές*: quumque is tamen arborem excidat, *τῷ δ' ἄρα νηκερδῆ Νύμφη πόρεν οἶτον ὀπίσσω, αὐτῷ καὶ τεκέεσσιν*: (quumquam scholiastes hoc aliter interpretatus est.) Et apud Nonnum XXXVII, 20 Hamadryades excisis arboribus sais ad sorores Naides confugisse narrantur, non igitur et ipsae interemptae. In universum autem plerique sine dubio rem ita sibi informarunt, ut procreatas a nymphis aut una cum nymphis arbores sui cuiusque generis statuerent (cf. hymn. Hom. in Ven. v. 264 sqq.): auctis autem arboribus et longius propagatis non in omnibus sed in paucis tantummodo vetustissimis habitare nymphas crederent. Alioqain nulla arbor sine impietate excidi potuisset.

11) Eustath. ad Il. XX, 8. cf. ad Od. VI, 125. Neque absurde idem ad Iliad. VI, 420: *Διὸς θυγατέρες, ὅ ἐστιν ἀέρος καὶ αἰθέρος, διὰ τὴν ἄνωθεν ἐπομένην αὐταῖς ὑγρότητα καὶ θερμότητα.* Iovis filiae nymphae sunt apud Hom. Od. VI, 105. IX, 154. Il. VI, 420, ubi Orestiades, Od. XIII, 356. XVII, 240, ubi Naiades et Crenaeae nominantur, rationemque genealogiae eandem quam Eustathius agnoscit Nitzsch. ad Od. II p. 102. Itaque eodem sensu Iovis filiae Nymphae dictae sunt, quo Coeli filias Oceanus in theogonia Hesiodea; cui quod aquarum nymphae filiae dantur, habet et ipsum rationem satis evidentem. Et quae de nymphis, eadem etiam de fluviis inter Homerum et Hesiodum discrepantia est, qui, quum huic Oceani filii sint, apud Homerum Iovis filii dicuntur, ut Xanthus, Iliad. XIV, 434, Hermus in versibus Homero adscriptis ap. Ps. Herod. vit. Hom. §. 9. Etiam Asopum Iovis f. dictum memorat Apollod. III, 12, 6, 5.

quod quam nos significationem nymphis in universum tribuimus, hanc ille Meliis tanquam propriam praeter ceteras vindicat. Nam hoc quidem apertum est: si fecunditatis vim theogoniae compositor significare voluit, non poterat unas Melias nominare, nisi si in his vim illam maiorem esse latiusque patere crederet, quam in ceteris: quod cur de fraxinorum nymphis quisquam crediderit, neque ratio facile perspici potest, neque iis, quae Creuzerus attulit, comprobatur. Ac de scholiasta quidem Hesiodi et de Pausaniae loco diximus: reliqua autem viri
9 clarissimi disputatio est huiusmodi. „Nonnunquam“, ait, „Meliae vocantur nymphae certorum quorundam locorum, eaeque a cosmogonicis illis distingui coeperunt“ (scilicet ab Hesiodeis, quae quales sint nondum liquet); „semper tamen certa quaedam et constans significatio agnosci potest. Sic Meliam videmus Thebanam, ab Apolline amatam, Ismeni aut sororem (schol. Pind. Pyth. XI, 5) aut matrem, cuius fabulae rationem bene Spanhemius indicat ad Callim. h. in Del. v. 80.“ Nempe Spanhemius Meliam fontis nympham interpretatur a μελιῶν seu fraxinorum proventu dictam, ex quo fonte Ismenus fluvius ortum habeat: quae ratio sane et simplicissima est et maxime probabilis[12]). Hinc autem consequens est, si forte non fraxinorum sed tiliarum illo loco proventus fuisset, pro Melia Philyram, si salicum, Helicen, si lau-

12) Magnu cum diligentia de hac Thebana Melia aliisque eognominibos disseruit R. Ungec, Theban. pacad. p. 227 sqq. Ex his dnae oobilissimae sunt, altera Argiva, Inachi uxor, ex quo Phocuneum et Aegialeum peperit (Apollod. II, 1, 1, 3. schol. ad Hom. Il. I, 22. ad Eur. Orest. 1239. Tzetz. ad Lycophr. 177), altera Bithyna, Amyci mater ex Neptuno (Apolloo. Arg. II, 4. Valec. Flacc. IV, 119), quam Ovidius non divecsam ab Argiva esse voluit, quaudoquidem ab eo, Amoc. III, 6, 25, „Inaehns in Melie Bithynide pallidus isse“ dicituc. Non enim pecsuasit mihi Ungerus p. 234 sq. hunc versum eocrigere conatus, sed agnosco studium poetue doetrinam male ostentantis. Simili quodam studio fabulucum, quae aliae alibi octae sunt, ad quandam unitatem revocaodi, Wellauerus ud Apollon. l. l. com his duabos etiam Thebanam illam miscuit omnesque tces pro uoa habeci voluit ter nupta, quoniam scilicet idem omnibus patec Oceanus dicecetur. Atque hane ob causam etiam e nympharum Meliacum numero eas segregandas credidit, quippe quae uon Oceani filiae sed e Coeli saoguine ortae esse ab Hesiodo dicecentuc. Quasi veco rarum esset io mythologia, iisdem pecsonis aliam ab aliis origioem tribui, aut mirum, si omnes nymphae, Meliae pacitec ac celiquae, Oceani filiae esse credecentuc, inventoces fabularum, quum aliquam Meliam induceret, hanc Oceani filiam dixisse, nihil quaerentes, essetne haec una, an eognomines aliae innumerabiles. — De Melia, Dolionis matre a quo Doliones in Mysia appellati, vid. Marquacdt. Cyzic. p. 39 et Meiaek. Analect. Alex. p. 233.

rorum, Daphnen, et sic porro alias pro variis arborum generibus dicendas fuisse: cosmogonicae autem illius significationis, ut fecunditatis vis vegetabilis in Meliis potissimum inesse credita sit, nullum in huiusmodi fabula indicium deprehendi posse. — Iam pergit Creuzerus: „Eodem pertinet Melia Inachi uxor, mater Ius, quae Io a luna nomen habet. Malelas p. 31 ed. Ox.“ Eodemne? Quonam igitur? Utrum ad fraxinorum proventum, quo illam Ismeni matrem pertinere Spanhemius dixit, an ad universalem vim fecunditatis, quae quo iure Meliis tributa sit, nondum edocti sumus? Et si Ioni, quemadmodum Malelas ait, lunae nomen propter pulchritudinem inditum est, quid, quaeso, hinc de matris natura coniici poterit? Alii Ionem ipsam proprie nihil aliud quam lunam esse voluerunt[13]; quae si tamen Meliam matrem habet, eaque fecunditatem significat, consequens erit, ut eadem fecunditate non solum stirpes in terra et animalia, sed etiam luna procreata esse dicatur. Qui autem cavendum esse in huiusmodi fabulis didicerunt, ne plus quam satis est intelligendo nihil denique intelligant, hi quid Io proprie significet et quam ob causam Inacho filia data sit, nihil magnopere ad hanc quaestionem pertinere iudicabunt: quod autem Inachus Meliam uxorem accepit, non alia ratione interpretandum censebunt, quam cetera deorum aut heroum cum Meliis aliisve nymphis connubia, quorum, si res posceret, exempla facile sexcenta proferri possent: sed nunc perficiendum est quod coepimus. Iubet enim Creuzerus postremo loco eam nos Hamadryadum genealogiam considerare, quae e Pherenico, epico poeta haud antiquo, ab Athenaeo affertur III, 14 p. 78: *Ὄξυλον γὰρ τὸν Ὀρίου Ἁμαδρυάδι τῇ ἀδελφῇ μιγέντα μετ᾽ ἄλλων γεννῆσαι Καρύαν, Βάλανον, Κράνειαν, Ὀρέαν, Αἴγειρον, Πτελέαν, Ἄμπελον, Συκῆν· καὶ ταύτας Ἁμαδρυάδας καλεῖσθαι, καὶ ἀπ᾽ αὐτῶν πολλὰ τῶν δένδρων προσαγορεύεσθαι.* Quid autem hinc discimus? Hoc, opinor, quod etiam aliunde satis compertum est, maxima cum libertate poetas, sicut in omni historia fabulosa, ita in hoc de nymphis loco versatos esse. Nam L i g n o s u m illum (hoc enim significat *Ὄξυλος*)[14], M o n t a n i (*Ὀρίου*)

---

13) Vid. Heyn. ad Apollod. p. 100. Creuzer. Symb. u. Myth. II p. 717 ed. 2. Welcker in Aeschyl. trilog. p. 128 sqq. Böttiger. Kunstmyth. II p. 277 sq. et all. non pauci.

14) Nomen a *ξύλον* factum, praemissa vocali, ut ex *Βριάρεως Ὀβριάρεως* fit: neque diversum hoc *ŏ* ab *ᾰ* intensivo, quod dicitur, quod in *ἄξυλος* recte veteres agnoverunt. Vid schol. ad Iliad. XI, 155. cf. Lobeck. Pathol. I p. 35 et 362.

filium eiusque sororem et coniugem **Arborinam** (*Ἀμαδρυάδα*), quae contineret sine dubio universam arborum naturam, in singulas posthac formas diffusam, non aliunde Pherenicum quam ex suo ingenio deprompsisse pro certo habendum est, quum veteres Dryadum ceterarumque Nympharum originem aut ab Oceano, dulcium aquarum principio, aut etiam a Iove repeterent. Verum Creuzeri de Meliis sententiam non modo nihil praesidii ex ista genealogia nancisci, sed prorsus non posse cum ea conciliari apparet. Quippe non dubium est, quin Meliam quoque, quod nomen apud Athenaeum non legitur, eiusdem cum Carya, Balano, Crania ceterisque quas *μετ᾽ ἄλλων* Oxylus ex Hamadryade genuerit, originis et dignitatis Pherenicus esse statuerit; quod si ita est, longissime sane abfuit ab illa, quae Creuzero placuit, cosmogonicae fecunditatis significatione. — Itaque in his quidem, quae adhuc percensuimus, nihil eiusmodi esse videmus, quo illa interpretatio confirmetur: nec praeter haec quidquam e graecis quidem litteris a viro doctissimo allatum est, sed ablegamur ad Scandinaviae veterisque Germaniae fabulas, in quibus est **Yggdrasil**, fraxinus ingentis magnitudinis, qua et coelum et terra et tartarus una continentur, et praeter hanc **Askr**, item fraxinus, ad maris littus enata cum **Embla** s. alno, unde a tribus diis, Othino, Hōniro et Loduro, primi homines, e fraxino vir, ex alno mulier, facti sunt[15]). At cum illa quidem, quae Yggdrasil dicitur, nulla in Graecorum fabulis neque nympha neque arbor ullo modo comparari potest, nisi forte Pherecydis illa quercus alata
11 cum pallio variegato, in quo terra erat et Ogenus et Ogeni domicilia[16]): quod autem primus vir e fraxino factus esse dicitur, erat sane huic fabulae non absimilis Graecorum quorundam opinio, de qua statim dicturi sumus; sed illam tamen, quam Creuzerus statuit, cosmogonicae fecunditatis significationem nihilo magis propterea Meliis nymphis asseri posse arbitramur.

Iam ut nostram de Meliis theogoniae sententiam explicemus, proficiscendum videtur ab alterius carminis Hesiodei loco, Opp. et D. v. 143, ubi Iupiter aeneum genus hominum post aurei et argentei interitum e fraxinis (*ἐκ μελιᾶν*) procreasse dicitur, plane ut in Voluspa dii homi-

15) Vid. J. Grimm, D. Mythol. p. 756. 527. 537 ed. 2. et I. Mone, Gesch. des Heidenthums im nördl. Eur. I p. 343. 347. Comparavit hanc etiam Wackernagel. in Hauptii Sylloge, Zeitschrift f. D. Alterth. VI p. 16.

16) Pherecyd. fr. Sturz. p. 51 ed. 1.

nes e fraxino et alno faciunt. Quamquam illud *ἐκ μελιᾶν* dubitarunt veteres interpretes utrum de ipsis arboribus an de nymphis potius accipiendum esset. De nymphis is cogitavit, cuius annotatio apud Gaisfordium p. 109 sic scripta est: *ἐκ μελιᾶν] Νυμφῶν ἢ Δωρικῶς Μελιᾶν εἶπεν. ὅτι (οὐκ) ἐκ τῶν ἓξ γόνων τοῦ οὐρανοῦ.* quae corrupta esse apparet, in hunc fortasse modum corrigenda: *ὃ Δωρικῶς Μελιᾶν εἶπεν· αὗται δ'* (aut *αἵτινες*) *ἐκ τῶν σταγόνων τοῦ Οὐρανοῦ.* Proclus autem arbores ipsas intelligi mavult: *ἐκ τῶν μελιῶν,* inquit, *τῶν δένδρων, οὐχὶ ἐκ τῶν Μελιῶν νυμφῶν.* (*καὶ γὰρ Μελίας νύμφας εἶναί φασιν.*) *ἄτοπον γὰρ τοὺς ἐκ τοῦ θείου γένους θηριώδεις φῦναι· ἀλλ' ὡς ἐκ δένδρων στερεῶν καὶ δυσσήπτων γεγονότας, τά τε σώματα γενέσθαι ἰσχύοντας καὶ τὰ ἤθη ἀτεράμονας καὶ βιαίους· τοῦτο γὰρ αἰνίττεται ἡ ἐκ τῶν μελιῶν αὐτοῖς γένεσις.* Repetit haec Tzetzes, sed additis, ut eius mos est, quibusdam ineptis: nam ut doctrinam suam ostendat, Meliarum nomina haec novem esse docet, Helicen, Cynosuram, Arethusam, Idam, Cromnen, Brito, Celaeno, Adrasteam, Glaucen[16b]): quae unde sumpserit, nescio, nisi Iovis nutrices esse suspicor, quae quum aliae ab aliis perhiberentur, extiterunt postea mythographi, varias et diversas fabulas nullo iudicio componentes, qui, quoniam alicubi etiam a Meliis nymphis Iovem nutritum esse inveniebant, hoc nomine tanquam communi illas omnes comprehenderunt, quamvis a Meliis diversas[17]).

16b) Eadem nomina sunt etiam in theogonia hominis ineptissimi, ex biblioth. Casanatensi nuper ab I. Bekkero publicata (Abh. d. Berl. Ak. d. W. 1840), sed adduntur ibi haec tria, v. 102, *Φιλόη*, *Φιλίστη*, *Δωρίς*, quorum primum corruptum esse apparet, mutandum fortasse in *Οἰνόη*, quo nomine unam r Iovis nutribus apud Arcades fuisse Pausanias docet VIII, 47, 2.

17) Quinque saltem ex his, quas supra posuimus, etiam alibi in Iovis nutricibus nominari videmus. Primum Idam et Glaucen ab Arcadibus apud Pausaniam VIII, 47, 2, et Idam etiam a Cretensibus. Porro Helicen et Cynosuram ap. Hygin. p. astr. II p. 359 Munck. et Serv. ad Verg. Georg. I, 246. Denique Adrasteam ap. Apollodorum I, 1, 5, 6, Callimachum h. in Iov. v. 47 et alios. Et Idae quidem nomen Oreadi nymphae aptissimum, quandoquidem, ut docet Pausanias X, 12, 4, *τῶν χωρίων τὰ δασέα Ἴδαι ὠνομάζοντο.* Cf. Hesych. s. v. Glauces nomen Naiadi conveniens; novimusque hoc nomine fontem fuisse in agro Corinthio. Paus. II, 3, 5. De Helice iam supra diximus, esse Dryadis nomen. Posteriores, quum Helicen in coelo collocatam viderent, adiunxerunt ei Cynosuram, et utrique propter idem meritum a Iove eundem honorem habitum statuerunt. Nymphae nomen etiam Arethusa, de quo audiendus est Herodianus *π. μον. λέξ.* p. 13, 4: *πᾶσαι κρῆναι κατ'*

Quod autem ad aenei generis creationem attinet, assentior equidem
12 Proclo, ut auctor huius narrationis arbores, non nymphas dicere voluerit. Arripuit autem illam creationem ex vetustioribus quibusdam fabulis,—nam haec de hominum generibus non admodum vetusta est —, quae non quidem aeneum genus, quale nullum tunc norant, sed omne genus hominum ex arboribus enatum esse tradebant. Huius opinionis antiquissimum indicium in Hom. Odyss. XIX, 163 recte veteres interpretes agnoverunt:

Ἀλλὰ καὶ ὥς μοι εἰπὲ τεὸν γένος, ὁππόθεν ἐσσί·
Οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου, οὐδ' ἀπὸ πέτρης.

Οἱ γὰρ παλαιοί, inquit scholiasta Ambr., *ὑπελάμβανον τοὺς πρὸ*

ἐπιθετικὴν ἔννοιαν οὕτω καλοῦνται, ἀπὸ τοῦ ἄρδην (ἄρδειν) ἴσως σχηματισθεῖσαι. Ὁ γοῦν Χοιρίλος ἐν α' Περσικῶν·

παρὰ δὲ κρήνας ἀρεθούσας
μυρία φῦλ' ἐδονεῖτο πολυσμήνοισι μελίσσαις.

Cf. Steph. Byz. p. 52, 36 West. Neque minus Celaenus nomen Nymphae Naidi convenit, a colore inditum: Cromnen autem Oreadem habebimus a loci natura appellatam. Nam est sine dubio nomen eiusdem stirpis, cuius *κρῶμαξ*, h. e. secundum Hesych. *σωρὸς λίθων*, unde etiam *κρωμακωτοὶ τόποι*, ut Eustathius ait ad Iliad. II, 729, *ὑψηλοί* s. *τραχεῖαι καὶ πετρώδεις ἀναβάσεις*. Obscurius nomen *Βριτηνῶς*, quod *Βριθώ* scribitur apud Tzetzen. Ego ut *Βριτώ* verius credam, moveor grammaticorum testimoniis, qui *βριτύ* Cretenses *γλυκύ* dixisse docent, velut Hesych. s. v. et Solin. c. 11 p. 21 G., apud quem item scribebatur Brithomartis pro Britomartis, quod reposuit Salmasius. Memorantur etiam *Βρίσαι νύμφαι*, quae mellificio praesunt (Etym. M. p. 213 extr.) quas Cretenses *βρίτας* dixisse probabile est. Et melle Iovem parvulum nutritum esse fabulae ferebant, unde etiam Melissa nympha ficta est, regis Melissei filia. (Alias de his nymphis coniecturas vid. ap. Schwenck. Andeut. p. 154. Welcker. ad Schw. p. 340. Bodium hist. poes. Hellen. I p. 150. Rückert. Troi. p. 153. Bröndsted. Reisen I p. 78.) — Restat Adrastea, eadem quae Nemesis; quam qui primus Iovem nutrivisse dixit, meo quidem iudicio simile quid significare voluit, atque Homerici hymni in Apoll. auctor, quum v. 123 Themidem proponit Apollini nectar et ambrosiam praebentem. Nempe a Themide Apollo nutritur, ut *θεμίστων* nuntius et interpres futurus, a Nemesi Iupiter, ut iuris ac legum stator et vindex. Habita autem a nonnullis Nemesis in Oceani filiabus (vid. quae dixi ad Aesch. Eum. p. 193), sicut Adrastea Iovis nutrix filia Oceani dicitur ab Hygino fab. 182. Tanto facilius nymphis accenseri potuit, quemadmodum in Dione, Eurynome, Metide factum est in theogonia Hesiodea (cf. diss. de Ocean. et Ner. catal. p. 9 sqq.): et Meliis Dictaeis, Iovis nutricibus, Adrasteam adnumerari videmus iam a Callimacho h. in Iov. v. 47. His igitur etiam ceteras ab eo, quem Tzetzes auctorem habuit, adnumeratas esse non magnopere mirabimur.

αὐτῶν ἐκ δρυῶν καὶ πετρῶν γεγενῆσθαι: additque explicationis causam: *διὰ τὸ τὰς τικτούσας εἰς τὰ στελέχη καὶ σπήλαια ἐκτιθέναι τὰ παιδία*. Similia sunt apud Eustathium. Quam vetusta autem haec interpretatio fuerit, apparet e Platonis verbis, Apolog. p. 34 D: *καὶ γάρ, τοῦτο τὸ τοῦ Ὁμήρου, οὐδ' ἐγὼ ἀπὸ δρυὸς οὐδ' ἀπὸ πέτρας πέφυκα ἀλλ' ἐξ ἀνθρώπων*. Recentiorum poetarum[17b]) locos nunc duos tantum adscribam, alterum Nonni, Dion. XII, 56:

Πῶς βροτέην ὤδινε γονὴν πίτυς, ἢ πόθεν ἄφνω
Δενδρείην γονόεσσαν ἀναπτύξασα λοχείην
Ἄσπορον, αὐτοτέλεστον ἀνήρυγεν υἱέα πεύκη.

alterum Statii Theb. IV, 279:

Nemorum vos stirpe rigenti
Fama satos, quum prima pedum vestigia tellus
Admirata tulit. — Quercus laurique ferebant
Cruda puerperia, ac populos umbrosa creavit
Fraxinus, et feta viridis puer excidit orno.

Videmus ab hoc fraxinos una cum ornis, lauris et quercubus nominari, 13
a Nonno pinus atque piceas: apud Homerum autem *δρῦν* quamlibet arborem significare posse novimus. Sed fraxini tamen praeter ceteras fuisse videntur, unde genus hominum extitisse crederetur. Huc pertinet quod apud Hesychium legimus, ex vetere poeta sine dubio petitum, *μελίας κάρπος*, addita explicatione, *τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος*[17c]). Cur autem fraxinis potissimum hic honor tributus sit, parum liquet. Possit aliquis aut propter insignem pulchritudinem factum suspicari, siquidem, ut ait Vergilius, f r a x i n u s i n s i l v i s p u l c h e r r i m a, aut propter frequentiam, quum in montibus copiosae sint et in plana quoque et campestria loca descendant[18]), aut etiam propter sanctimoniam quandam et vim eximiam mala noxiaque procul arcendi, quam inesse in fraxinis credebant[19]). Hoc autem manifestum est, quod de fraxinis, idem, et magis quidem poetice, de nymphis fraxinorum dici potuisse, ut hae genitrices hominum perhiberentur; quemadmodum,

---

17b) Ex antiquis huc pertinet fragm. Pindaricum ap. Schneidewin. Philol. I p. 437, ubi homines *δενδροφυεῖς ἀναβλαστάνοντες* inducuntur.

17c) Cf. Schol. Il. XXII, 127 p. 592 b: *μεληγενέες οἱ πρώην ἄνθρωποι*. Palaeph. c. 36: *τὸ πρῶτον γένος τῶν ἀνθρώπον ἐκ μελιῶν γενέσθαι φασίν*.

18) Plin. H. N. XVI, 18 p. 249 Gron. cf. c. 13 p. 244.

19) Plin. l. l. p. 245.

quos Lycophro v. 478 *δρυὸς ἐκγόνους* dicit, Arcadis posteros, hos magis poetice antiquiores ex Hamadryade genitos dixerunt[20]). Et hoc sensu recte iam veteres interpretes Melias nymphas in theogonia acceperunt: *ἐκ τούτων*, inquit scholiasta ad v. 187, *ἦν τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων*: et alio loco, ad v. 563, etiam *μελέους*, epitheton hominibus frequenter inditum, sed falso *μελίους* scriptum, hinc deducitur, *ὅτι ἐκ Μελιῶν ἐγένοντο Νυμφῶν*. — Neque illud adeo mirum, quod hae hominum genitrices ex evirati Coeli sanguine natae dicuntur. Nempe *ὁμόθεν γεγάασι θεοὶ θνητοί τ' ἄνθρωποι*, utrique e Coelo et Tellure. Iam quum dii a Coelo genus ducant per Titanes, iusto concubitu generatos, hominibus similem quidem, neque tamen eandem originem tribui conveniens erat, ne scilicet quaereretur, cur, si genus idem, conditio tamen hominum tanto diis inferior esset. Itaque fingebant illas hominum matres iisdem quidem parentibus, sed diversa tamen ratione prognatas, debilitato et evirato Coelo, quum abscissis genitalibus guttae sanguineae in tellurem delapsae hanc minore et iam emoriente vi genitrice fecundassent[20b]).

Haec si non improbabiliter de Meliis disputata videntur, commenticia ista fecunditatis significatione facile supersedebimus. Non absimilis autem ratio Gigantum est, quos eodem cum illis loco theogonia commemorat. Horum originem eandem quam Hesiodus tradunt Orphici versus ab Etymologo citati ex octavo, ut ait, *τοῦ ἱεροῦ λόγου*, quo nomine Lobeckius etiam theogoniam significari docet[21]):

11 *οὓς καλέουσι Γίγαντας ἐπώνυμον ἐν μακάρεσσιν,*
οὕνεκα γῆς ἐγένοντο καὶ αἵματος οὐρανίοιο.

Item Argonauticorum poeta, v. 17, quo loco Orpheus cecinisse dicitur

Βριμοῦς τ' εὐδυνάτοιο γονὰς ἠδ' ἔργ' ἀΐδηλα

20) Tzetz. ad Lycophr. v. 480. — Etiam in Argiva fabula Melia primi hominis mater est. Parit enim ex Inacho fluvio Phoroneum, quem Acusilaus dicebat *πρῶτον ἀνθρώπων γενέσθαι*, Phoronidis autem poeta *πατέρα θνητῶν ἀνθρώπων* appellabat. Clem. Alex. Strom. I p. 320 et ex eo Euseb. Pr. euang. X, 12, 4. — De Libyae primis hominibus e nymphis prognatis testatur Agroetas ap. Herodian. *π. μονήρ. λέξ.* p. 11, 20.

20b) Non inepte igitur theogoniae compositor post v. 187, *νύμφας θ' ἃς Μελίας καλέουσ' ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν*, huius modi versum adiicere potuisset: *ἐκ τῶν δὴ γένος ἐστὶ καταθνήτων ἀνθρώπων.*

21) Aglaoph. p. 508.

Γηγενέων, οἳ λυγρὸν ἀπ' Οὐρανοῦ ἐστάξαντο
Σπέρμα γονῆς.

Quamquam de horum versuum lectione et interpretatione non satis constat. *Γηγενέων* quidem e codicibus pro eo quod olim legebatur *Γιγάντων*, manifesto interpretamento, recte repositum esse non potest dubitari: nam quod Piersonus suadebat *Τιτάνων*, non convenit in Titanes verbum *ἐστάξατο*, et Gigantes designari ostendit etiam alter eiusdem carminis locus v. 431, ubi Orpheus item canit

καὶ Βριμοῦς, Βάκχοιο, Γιγάντων τ' ἔργ' ἀΐδηλα.

Gigantes etiam Hermannus intelligit: negat tamen *ἐστάξαντο* ferendum esse, reponique vult *ἐκμάξαντο*, quo verbo Nicander utitur Ther. v. 750, de crabrone,

ὅς δὴ θαρσαλέην γενεὴν ἐκμάσσεται ἵππου.

σπέρμα γονῆς autem non de sanguine vel semine Coeli, sed de origine Gigantum intelligendum esse. Itaque quum *ἐκμάσσεσθαί τι* significet aliquid exprimere imitando, et theriacorum versus sententia haec sit, crabronem audax genus equinum (unde scilicet ortum ducit ex veterum physicorum opinione,) imitari vel referre, h. e. pariter audacem atque equos esse, etiam Argonauticorum poeta, Hermanni emendatione et interpretatione admissa, nihil aliud diceret, nisi Gigantes tetram suam a Coelo origiuem expressisse vel imitatos esse, quod qua ratione dici potuerit, non satis me intelligere fateor. Recte, opinor, Lobeckius Agl. p. 589 sq. spreta illa emendatione locum sic interpretatur, ut Gigantes, tetrum ab inguine virus v. semen, destillasse a Coelo dicantur: nam *γονὴν* etiam de partibus genitalibus dici notum est: quamquam nihil impedit quominus nunc etiam de semine accipiatur, ut *σπέρμα γονῆς* ad eum modum dictum sit, quo *λέχος εὐνῆς*, *ἔριδος νεῖκος*, *ζωῆς βιοτά* multaque similia. Forma autem verbi media, *ἐστάξαντο*, etiamsi alia eius exempla non suppetunt, non video tamen, cur ferri nequeat, quum *στάζω* etiam vim transitivam habeat, et passivae certe formae non inusitatae sint[21b]).

De natura Gigantum constat, mortales veteribus, non divinos visos esse, *θνητὸν καί οὐ θεῖον γένος*, ut ait Pausanias VIII, 29, 2. Forma fuerunt humana: nam anguinos pedes posteriores demum ad-

21b) Tuetur *ἐστάξαντο* etiam J. Huschkius, Comm. de Orph. Argon. (Rostoch. 1806) p. 9. 10.

diderunt: neque alia re ab his qui nunc sunt hominibus diversi, praeterquam enormi corporum magnitudine ac robore, animorumque ferocia et feritate, quae ipsis exitii causa fuit, a diis sine dubio immissi[22]). Belli contra deos moti nos quidem antiquiorem Pindaro auctorem non novimus[23]): quam vetusta fabula fuerit, parum liquet, nihilque ad nostram rem interest. Hoc autem advertendum est, fuisse, qui humani generis ortum a Gigantibus repeterent, sive ex occisorum in gigantomachia sanguine homines extitisse crediderunt, quemadmodum Ovidius memorat[24]), sive alia quapiam ratione. Et homines a Gigantibus ortos etiam Orpheus canit apud Argonauticorum poetam, versibus illos quos supra posuimus statim excipientibus, 19. 20:

22) Homer. Od. VII, 58 sq. ad quem locum scholiastes: *ὡς ἔθνους τινὸς τῶν γιγάντων μέμνηται γενναίου καὶ ὑπερηφάνου. τὰ δὲ παρὰ τοῖς νεωτέροις οὐκ οἶδεν, οὔθ' ὡς ἦσαν ἐκτράπελοί τινες καὶ ὀφιόποδες, οἵους αὐτοὺς ἀναζωγραφοῦσιν, οὔτε ὡς Φλέγραν ᾤκησαν, οὔτε ὅτι θεοῖς ἐμαχέσαντο.* De magnitudine cf. Od. X, 120 coll. 113.

23) Pyth. VIII, 17 (24). Nem. I, 67 (100). Tamen etiam in Hesiodeo aliquo carmine de Gigantum bello narratum esse ait Schol. Leid. ad Il. XIX. 122 (Valcken. Opusc. II p. 127), ubi, postquam de illo bello dictum est, additur: *ἡ ἱστορία παρὰ Ἡσιόδῳ καὶ Θεογόνῳ.* Sub Theogoni nomine Welckerus Theopompum, C. Müllerus, fragm. hist. Gr. II p. 12. Theagenem latere putat.

24) Metam. I, 157. — Ceterum Ovidius tamen homines etiam ante hoc tempus in terris fuisse statuit, et ceteri quoque, qui gigantomachiam memorant, quum Herculi in ea partes attribuant, eodem tempore et gigantes et homines vixisse ostendunt. Atque etiam Homeri Eurymedon, rex gigantum, si quis temporum rationem subducat, non multo ante bellum Troianum tempore fuisse invenietur, quum avus maternus sit Alcinoi, qui Ulixis aequalis est. Itaque neque Homerus neque illi gigantomachiae scriptores humani generis originem a gigantibus repetere potuerunt, nisi forte sumamus, propaginem gigantum duplicem fuisse, alteram humanam, parentibus dissimilem, alteram autem pari cum patribus natura: atque hanc superstitem fuisse usque ad Eurymedontem aut ad gigantomachiam. — Recentiores autem, quum gigantes Terrae progeniem dicant, inclusos in tartarum Titanes vindicare cupientis, manifestum est, si tamen ortos a gigantibus homines crediderunt, paucos quosdam credidisse, quemadmodum de Ovidio patet, non genus universum, quippe quod iam fuerit in terris ante procreatos gigantes. Itaque illa altera sententia, quam ex Orphicis proposuimus, haudquaquam omnibus communis fuit: neque tamen hoc obstare debet, quominus eius vestigia in Hesiodea theogonia agnoscantur. Et agnovit etiam Hermannus, de myth. gr. ant. op. II p. 178, in theogoniae versu 50; quo magis miror, quod tamen in versu 185, non contentus hominum progenitoribus, genitales illos commentus est, qui in universa rerum natura vim suam exercerent efficerentque ut fetus ederentur non steriles sed fecundi.

τὸ πρόσθεν ὅθεν γένος ἐξεγένοντο
θνητῶν, οἳ κατὰ γαῖαν ἀπείριτον αἰὲν ἔασιν.

Ita enim recte in codicibus legitur, falliturque magnopere Hermannus, quum τε particulam inter τὸ πρόσθεν inserendam censet, ratione permotus levissima, quod haec hominum e Gigantibus origo pugnare videretur cum illa, quam Olympiodorus ex Orpheo memorat, e fuligine combustorum a Iove Titanum. Nam in tanta Orphicorum multitudine et discrepantia non sane mirum est, etiam hac de re alia ab aliis tradita esse: et si Byzantiis chronographis, Malelae IV, 31, et Cedreno p. 58, fides habenda est, fuerunt in Orphicis etiam qui fictos a diis homines e luto dicerent, ut Iudaei ab Iehova, Graeci aliquot a Prometheo. Quamobrem in Argonauticis nihil obstat quominus illam, quam diximus, sententiam Orpheo tributam agnoscamus, ideoque omni lectionis mutatione abstinendum est. Accedit autem etiam hoc, quod in altero carminis loco post eum, quem supra adscripsimus, versum 431, memoratis Gigantibus statim adiungi videmus

ἀνθρώπων ὀλιγοδρανέων πολυεθνέα φύτλην,

quemadmodum in theogoniae Hesiodeae uno prooemii versiculo quin- 16
quagesimo Musae canentes inducuntur

— ἀνθρώπων τε γένος κρατερῶν τε γιγάντων,

h. e., ut arbitror, homines eosque unde homines ortum duxerunt. Nam quae ita componuntur, ea licebit, nisi gravior ratio obstet, etiam re et natura sua coniuncta esse suspicari. — Iam igitur hoc quoque intelligitur, quod Gigantes e terra orti dicuntur Coeli sanguine irrigata, non aliter interpretandum esse, atque eandem Meliarum originem, de qua supra diximus. Poterimus autem etiam longius coniectando progredi, nymphisque illis Gigantes tanquam viros copulatos cogitare. Non certe absurdum hoc fuerit: vere autem a veteribus ita creditum esse, quum testes nulli sint, neque affirmare nec negare licebit.

Reliquum est, ut Erinyes consideremus. Hae quin non aliae in theogonia sint atque in communi omnium Graecorum mythologia, h. e. deae scelerum ultrices, nunquam debuerat dubitari: neque obscura est ratio, cur e Coeli sanguine natae dicantur. Nimirum significatur hac fabula, scelere primo a filio contra patrem commisso statim etiam poenas sceleris orta esse: sanguine effuso ultrices sanguinis extitisse. Sed fatendum est tamen hanc earum hoc loco commemorationem aliquid offensionis habere, et apparere etiam hac re, id quod aliis quoque indiciis intelligi potest, omnem hanc de Coeli castratione fabulam

a theogoniae compositore non satis intellectam ideoque alienis additamentis corruptam esse. Nam eum quidem, qui primus castratum a Saturno Coelum finxit, pro certo sumi potest non impietate commissum sed necessarium facinus proponere voluisse: eviratum esse Coelum, ne nova semper alia super alia progigneret infinitisque generationibus futuram fatique lege praescriptam rerum constitutionem, cuius primordia Titanibus significantur, praepediret et irritam faceret: eamque causam etiam in hac nostra theogonia, licet non diserte, ut vellemus, indicatam, tectius tamen et obiter significatam videmus tribus verbis, ex antiquiore fortasse narratione servatis, v. 137. 138:

τοὺς δὲ μέθ' ὁπλότατος γένετο Κρόνος ἀγκυλομήτης,
δεινότατος παίδων, θαλερὸν δ' ἤχθηρε τοκῆα.

Namque hoc *θαλερόν*, quod reprehendisse Aristarchum legimus, *ὡς οὐ καλῶς τοῦ πρεσβυτέρου Οὐρανοῦ θαλεροῦ εἰρημένου*, pertinere videtur ad immoderatam illam vim genitalem, ut propter hanc Saturnus patri adversatus esse (*ἤχθηρε*) dicatur, id quod Goettlingius quoque animadvertit. Non recte igitur aliam atque diversam facinoris causam theogoniae compositor indicavit, iram Telluris inclusos Cyclopes et Centimanos aegre ferentis filiosque ad vindictam excitantis, quae causa quam male etiam reliquae narrationi conveniat, quum evirato Coelo nequaquam tamen inclusi illi solvantur, iam alio loco a nobis expositum est[25]). Neque minus, opinor, hoc contra veram veteris fabulae mentem factum est, ut Erinyes e Saturni facinore ortae fingerentur, quasi is scelus impium commisisset gravi poena vindicandum.
17 Non sunt sane dii Graecorum sancti omnes et scelerum immunes, sed multa saepe faciunt, *ὅσσα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστίν*, unde non absurdum erat, ipsos quoque ultrici iustitiae et Furiarum numini obnoxios cogitari: at Saturni facinus, si quis vere interpretetur, specie magis quam re scelestum fuit, neque credi potest virum sapientem, qui primus hoc proposuit, illud alterum adiunxisse, quod falsae speciei, non verae rationi conveniens erat. Additum hoc postea est ab aliis, qui vero fabulae intellectu obscurato solam speciem intuerentur. Et novimus etiam longe alias de Erinyum origine opiniones apud veteres fuisse, quas percensere hoc loco nihil attinet[26]): ex

---

25) In dissert. de Titanibus Hesiodeis p. 8 sqq.

26) Nonnulla delibavi in proll. ad Aesch. Eumen. nuper a me conversam, p. 56 sqq. ubi tamen Tzetzae plus quam debebam credidi.

iisque scriptoribus, quos antiquos merito dixeris, h. e. qui ante Alexandrina tempora vixerunt, nemo est, quod quidem ego sciam, qui hanc Hesiodeam narrationem adoptaverit. Nam quod Tzetzes ait ad Lycophr. v. 406: *κατὰ Ἡσίοδον καὶ τοὺς λοιποὺς ἐκ τῶν σταγόνων τοῦ αἵματος τῶν αἰδοίων τοῦ Οὐρανοῦ ἐγένοντο αἱ Ἐριννές*, apud neminem, qui hominis vanitatem reputaverit, hanc vim habebit, ut vulgo et a plerisque receptam hanc fabulam fuisse credat. Aeschylus, quo nemo sapientius res mythicas tractavit, Noctis filias Erinyas dicere maluit; atque etiam in nostra theogonia Noctis quasdam filias *νηλεοποίνους* commemorari videmus, v. 220,

αἵτ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε παραιβασίας ἐφέπουσαι
οὐδέποτε λήγουσι θεαὶ δεινοῖο χόλοιο,
πρίν γ' ἀπὸ τῷ δώωσι κακὴν ὄπιν, ὅστις ἁμάρτῃ,

quos versus qui solos legerit, non poterit non deas illas pro Furiis habere: in hoc autem, quo nunc sunt, contextu aut *Μοίρας* aut *Κῆρας* intelligi necesse est. Hermanno utrumque pariter displicuit[27]), locumque duorum versuum defectu corruptum esse statuit, quorum alter nomina trium Furiarum habuerit, in hunc modum:

Τισιφόνην τε καὶ Ἀληκτὼ δῖαν τε Μέγαιραν.

(quae nomina apud veteres ante Euripidem non inveniuntur,) alter autem, ut arbitror, Erinyas universe memoraverit. Alii *Μοίραις* s. Parcis, praeter proprium ipsarum officium, quod v. 218. 19 indicatur:

αἵτε βροτοῖσι
γεινομένοισι διδοῦσιν ἔχειν ἀγαθόν τε κακόν τε,

etiam hoc poenarum exigendarum munus tributum censent, in quibus est Klausenius ad Aesch. Choeph. v. 853. Sed quod in hac fabula Aeschylus Clytaemnestram dicentem facit:

ἡ Μοῖρα τούτων, ὦ τέκνον, παραιτία,

nihil aliud significat, nisi quod fecerit fatali quadam necessitate coactam fecisse; scilicet ut culpam sceleris a semet amoliatur. Necessitatis autem *οἰακοστρόφοι Μοῖραι* etiam in Prometheo dicuntur, v. 514, sociasque habent *μνήμονας Ἐρινύας*: sed multum tamen interest, opi- 18
nor, inter eas, quae fata gubernant, hasque, quarum proprium munus est, ut ultionem scelerum exsequantur, quae ultio, licet praescripta ab illis alteris, non tamen propterea iis tanquam proprium munus attribui potuit, quemadmodum ab Hesiodo factum esse Klausenius arbitra-

27) Diss. de Hes. theog. forma antiquiss. (Lips. 1844) p. 8.

tur: estque profecto talis diversorum numinum confusio a veteribus aliena, nec nisi a recentissimis commissa, velut ab hymnorum Orphicorum auctoribus, qui sane etiam *Μοιρῶν* nomen Furiis imponunt[28]). Nobis quid de Hesiodi loco videatur, iam alio loco exposuimus[29]): non *Μοίρας* sed *Κῆρας* intelligendas esse, scelera malis ulciscentes, ipsasque Erinyes nihil aliud esse, quam *Κῆρας* ultrices, a reliquis hoc cognomine discretas, quod deinde in propriam appellationem abierit. Possit igitur aliquis illustrium exemplorum aemulator, qui primitivam theogoniae formam coniectando restituere conetur, pristinum totius loci habitum talem fere fuisse suspicari:

211 *Νὺξ δ' ἔτεκε στυγερόν τε Μόρον καὶ Κῆρα μέλαιναν*
212 *Καὶ Θάνατον, τέκε δ' Ὕπνον, ἔτικτε δὲ φῦλον Ὀνείρων.*
214 *Δεύτερον αὖ Μῶμον καὶ Ὀϊζὺν ἀλγινόεσσαν,*
215 *Ἑσπερίδας θ' αἷς μῆλα πέρην κλυτοῦ Ὠκεανοῖο*
216 *Χρύσεα, καλὰ μέλουσι, φέροντά τε δένδρεα καρπόν.*
217 *Καὶ Μοίρας [δ' ἔτεκεν κρατερόφρονας, αἰολοδώρους,]*
218 *Κλωθὼ καὶ Λάχεσίν τε καὶ Ἄτροπον, αἵτε βροτοῖσι*
219 *Γεινομένοισι διδοῦσιν ἔχειν ἀγαθόν τε κακόν τε.*
217 *[Ἡ δ' ἤτοι] καὶ Κῆρας ἐγείνατο νηλεοποίνους,*
213 *Οὔτινι κοιμηθεῖσα θεά, [δάσπλητας Ἐρινῦς,]*
220 *Αἵτ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε παραιβασίας ἐφέπουσαι*
221 *Οὐδέποτε λήγουσι θεαὶ δεινοῖο χόλοιο,*
222 *Πρίν γ' ἀπὸ τῷ δώωσι κακὴν ὄπιν, ὅστις ἁμάρτῃ.*

In hac autem quae nunc est theogoniae conformatione permirum sane accidit, ut, quo loco nominantur Erinyes, v. 186, nihil de munere earum dicatur, ubi autem de munere exponitur, v. 220 sq., nomina reticeantur. Sed consulto id a compositore carminis factum esse videtur, qui quum v. 185 priorem aliquem auctorem sequutus Erinyes e Coeli sanguine ortas memorasset[30]), paucis post versibus, quum ex alio auctore Noctis filias percenseret, Erinyum nomen suppressit, ne scili-

28) Hymn. in Eumenid. LIX v. 12. — Fuit qui etiam apud Aeschylum, Eumen. v. 105 et 165, *Μοιρῶν* nomine Furias significari crederet: sed hunc refutare nihil opus est.

29) In prolegg. ad Aesch. Eum. p. 62.

30) Possit tamen hic quoque versus eiusdem, qua supra usi sumus, divae criticae ope ad pristinam, si diis placet, formam revocari, si scribatur *γείνατο Φῆράς τε κρατεροὺς μεγάλους τε γίγαντας*: nec difficile fuerit, *Φηρσὶν* hic locum suum asserere.

cet duplici generatione relata ipse secum pugnaret Hesiodus. Quamquam
in illis, quae altero loco cum ultricibus illis memorantur, Parcis hoc
ipsum commissum est: nam quae hic Noctis filiae, caedem postea Iovis 19
dicuntur, sive ipsius compositoris aut negligentia aut consilio[31]), sive
ex aliqua interpolatione. Nostro autem loco, h. e. v. 185, etiamsi Erinyes ab ipso compositore theogoniae memoratas esse non dubito, sine controversia tamen melius fecisset, si hanc hoc loco fabulam sprevisset, et paullo post, ubi munera earum indicat, etiam nomen posuisset, neque conatus esset duas diversas fabulas male contaminare. Nunc non hoc solum peccavit, sed etiam alterum, ut sic uno tenore Erinyes cum Gigantibus Meliisque nymphis componeret, personis genere et natura prorsus diversis: quae res etiamsi veteres lectores vel auditores non in eundem atque recentiores quosdam interpretes errorem inducere potuit, ut Erinyes, Melias, Gigantes ab his, quos vulgaris mythologia nosset, plane seiunctos cogitarent, habet tamen per se ipsa aliquid sine dubio offensionis. Sed huiusmodi in hac theogonia complura sunt, quae nihil nisi male carmen compositum esse ostendunt.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. X. Cal. Aug. MDCCCXLV.

31) Consilio factum Lennepius statuit p. 223 extr., qui tamen v. 218 et 219 insiticios, diversasque has Noctis filias ab iis tribus *Μοίραις*, quas e Iove Themis peperisse dicitur, iudicat.

DE OCEANIDUM ET NEREIDUM CATALOGIS.

4 Theogoniam Hesiodeam, qualis quidem nunc est, — et fuisse unquam aliam, nihil est, quod probet — facile agnoscimus eo maxime consilio compositam esse, ut, posteaquam certa quaedam mythologiae forma nobiliorum poetarum carminibus et auctoritate invaluisset vulgoque recepta esset, divinae personae, quarum celebrata carminibus memoria erat, in brevi conspectu omnes proponerentur, his autem etiam aliae quaedam adiungerentur minus quidem vulgo celebratae, neque tamen silentio praetermittendae. Atque illud quidem theogoniae compositor ita effecit, ut seriem deorum genealogicam a Chao eiusque progenie per Titanes usque ad Iovis familiam contexeret, alterum autem ita, ut ex divinis personis, quarum obscuratam in poetica mythologia memoriam videret, nonnullas saltem, easque, quarum in popularibus religionibus maior quaedam sanctitas esset, adscisceret locisque quibus posset commemoraret, ne scilicet prorsus exclusae et reiectae viderentur: qua in re fieri non potuit, quin complures, quae apud eos, quibus cultus earum proprius erat, pro magnis numinibus essent maximasque in rerum vel effectione vel administratione partes sustinere crederentur, nunc in hac cum ceteris numinibus coniunctione locum longe alium et dignitate sua inferiorem sortirentur. Pertinet huius rei observatio nonnihil sine dubio ad rectum de theogonia eiusque compositione iudicium faciendum: quam ob causam uno atque altero exemplo eam illustrare statui, ex Oceanidum et Nereidum catalogis desumpto, quandoquidem in his maxime mihi manifesta vestigia deprehendisse videor numinum magnorum, sed in hac theogonica compositione ad inferiorem quodammodo locum detrusorum et

inter minutos deos quasi delitescentium. Nempe universum hoc genus dearum aquaticarum in hac theogonica descriptione, ubi summum locum Iovis familia coetusque deorum Olympius obtinet, exiguae dignationis esse apparet, ac ne parentes quidem earum quidquam praecipui muneris aut honoris habent: nam Oceanus nihil nisi terram ambit, tanquam *τελήεις ποταμός* (Th. v. 242. 959), ceterosque fluvios rivosque ex Tethye genuit, Nereus autem Neptuno Olympio, Iovis fratre, inferior est: sed sunt tamen in Oceanidibus et Nereidibus nonnullae, quas longe sororibus suis angustiores et ab humili nympharum grege separandas quum popularium religionum vestigia, tum etiam fabulae a poetis traditae demonstrent. Hoc ut pateﬁat, dicam de utrisque ordine, recensitisque nymphis ignobilioribus deinde magnis illis deabus locum suum maiestatemque vindicabo. Initium autem fiet ab Oceanidibus.

Harum unam et quadraginta Hesiodus nominat, hoc de universis elogio praemisso, ut eas dicat *ἱερὸν γένος* esse, et hanc a Iove sortem (*μοῖραν*) assignatam habere, ut *κουροτρόφοι* sint,

αἳ κατὰ γαῖαν 5
Ἄνδρας κουρίζουσι σὺν Ἀπόλλωνι ἄνακτι
Καὶ Ποταμοῖς.

Nomina singularum si examinamus, pleraque, quorum aut certa aut probabilis explicatio est, nihil nisi vel ab affectionibus et cursu aquarum, vel a virtutibus earum et a commoditatibus, quas hominibus largiuntur, vel denique a locis ducta videbimus. Primum *Ἀδμήτην*, **Indomitam**, quid aliud esse dicemus, nisi eam, quae cursum suum frenari fossa aut aggere et crepidine non patiatur? — *Ἰάνθη* porro, **Violiflora**, ea est sine dubio, cuius ripas violae exornant: nomine ab *ἴον* et *ἄνθος* ducto, quemadmodum etiam *ἴανθον* de flore dictum Hesychius testatur, et *ἰάνθινον χρῶμα* est color violaceus [1]. *Ἠλέκτρην* recte, opinor, **Pellucidam** interpretabimur, ut est *ἀλέκτρινον ὕδωρ* apud Callimachum h. in Cer. v. 29, **electro purior amnis** apud Vergilium Georg. III, 522, et qui hinc profecit, Marcian. Capell. I, 14 [2]. —

1) Non erat igitur, quod I. H. Vossius in Hymn. in Cer. v. 419, ubi item aliquot nympharum Oceanidum nomina percensentur, *Ἰάνθην* interpretaretur **die Blumenerfreuerinn**, quasi ex *Ἰαινάνθη* (ab *ἰαίνω*) decurtato nomine. **Ianthis** est apud Martial. VI, 47.

2) Cf. Spanhem. ad Callim. p. 771 Ern. et Voss. ad Verg. l. l.

Δωρίς, quam cum Hermanno[3]) Dononam dicere licebit, a commoditatibus nomen accepit, quas multas variasque hominibus fontes largiuntur. Simili ratione *Εὐδώρη* v. 360, *Πολυδώρη* v. 354 et *Πλουτώ* v. 355[3b]) appellatae sunt, Benefica, Multidua et Ditis, itemque *Δωτώ*, Donatrix, in Nereidibus v. 248, in quibus etiam Doridem alteram invenimus v. 250[4]). — *Πρυμνώ*, Imula, quae ex imis montium radicibus, *ἐκ πρυμνωρείας* (Hom. Il. XIV, 307) aut ex convallibus, *πρύμναις νάπαις* (Eurip. Orest. v. 445) profluit. — *Οὐρανίη*, Coeligena, quae de coelo nutritur, pluviis scilicet aucta. — *Ἱππώ*, Equiria, instar equi celeriter currens, aut naves aliaque onera vehens. Hanc enim aquarum cum equis similitudinem veteribus admodum placuisse satis constat[5]). *Κλυμένη*, Cluentia et *Κλυτίη*, Cluvia, a *κλύω*, clueo, nihil aliud, opinor, quam inclyta, nobilis: quamquam veteres interpretes de strepitu undarum cogitare maluerunt[6]), recentioresque nonnulli *κλύειν* olim etiam eodem quo *κλύζειν* sensu dictum esse crediderunt. — *Ῥόδεια*, Rosea, per roseta currens. Comparandum igitur nomen cum Ianthe, neque de Rhodo insula cogitandum, quo pertinere hanc nympham non magis credo, quam fratrem eius versu 341 memoratum, *Ῥοδίον*, quem Troadis rivulum esse con-
6 stat. Vid. Strabo XII p. 554. XIII p. 595. Schol. Ven. ad Il. XIII, 20[7]). — De *Καλλιρρόη*, Pulchriflua, non est quod dicam. *Ζευξώ*, Biiugam, cum Hermanno[8]) eam interpretor, quae coniugatis fontibus duobus profluat, et *Ἀμφιρώ* v. 360, Bifidam, quae in

3) Opusc. II, p. 179. Apud Athenaeum VII p. 286 B e Mnasea memoratur *Δωτίς*, quae ex Ialyso Symen peperit, in cuius locum ut *Δωρίς* substituatur, cum Vineto in Annal. dell' instit. Archeol. XV p. 154, nulla satis gravis causa est.

3b) Pluto ex Iove mater Tantali est apud Hygin. f. 82. 154. Anton. Liber. c. 36. Nonn. Dionys. I, 146. XLVIII, 730.

4) Nihil itaque hoc nomen ad Doriensium gentem pertinet, quae Goettlingii sententia est; quamquam idem etiam veteres nonnullos credidisse ostendit Iamblich. vit. Pyth. s. 242 p. 474 Kiessl.

5) Vid. Völcker, Myth. Iap. p. 143 sqq. Böttiger. Kunstmythol. II p. 325.

6) Schol. ad theog. 351. *Κλυμένη διὰ τὸν ἀποτελούμενον ἦχον ἐκ τῶν ὑδάτων.*

7) Hic *Ῥοδίον*, non *Ῥόδιον* scribendum monet, sicut Arcadius a Goettlingio ad th. v. 341 citatus: ductum autem nomen non a *ῥόδοις* vult, sed a *ῥέω*, *ὥστε αὐτὸν εἶναι ῥόϊον καὶ ῥόδιον κατὰ πλεονασμὸν τοῦ δ.* Eodem iure *Ῥόδειαν* aliquis *Ῥόειαν* esse dixerit.

8) Opusc. VI, p. 173.

duos rivos dividatur. *Πασιθόη*, Omnivaga, ea dici videtur, quae in omnes partes celeriter discurrit[8b]), *Πληξαύρη*, Auriverbera, quae auras verberat, sive quod vehementi scaturigine in altum tollitur, sive quod ex alto monte per auras desilit, *Γαλαξαύρη* autem, Lactaura, quae auras lactat h. e. nutrit. Nam respiratione aquarum aer nutriri credebatur[9]), ut de Ismeno fluvio auras bibere Statius dicit, Theb. IX, 405: de nympha poterat etiam lactari auras dicere, quandoquidem aquas poetae nonnunquam lactis instar e papillis nympharum promanare fingunt[10]). Porro *Μηλόβοσιν*, Pecupascam, eam vocari apparet, quae prata irrigat, in quibus pecora pascuntur. Atque omne hoc genus nympharum pecupascarum ab aliis *Ἐπιμηλίδων* s. *Ἐπιμηλάδων* nomine appellatur, quas fuerunt, qui satis imperite cum *Μελίαις*, Hamadryadibus, fraxinorum nymphis confunderent. — *Κερκηΐς*, si Car. Muellerum audimus, prolegg. ad Didotianam editionem fragmm. histor. I p. XXXVII, Radiosa erit vel Splendida, ducto nomine a *κερκίς*, quod radium significare lexica docent. Atqui hoc quidem genus radiorum, cui *κερκίδος* nomen tribuitur, longissime ab omni splendore remotum nihilque aliud est, quam instrumentum textorum, quo utuntur quum subtemen stamini inserunt telamque pulsando densant, quod quoniam non sine strepitu perficitur, hinc *κερκίς* dicitur, *παρὰ τὸ κρέκειν, ὅ ἐστιν ἠχεῖν, καθ' ὑπερβιβασμόν*, ut ait Etym. M. p. 506, 2[10b]). Indidem etiam arboris genus, populus tremula, ut arbitror, *κερκίς* vocatur, eadem metathesi, a strepitu foliorum. Neque igitur *Κερκηΐδα* nympham aliud quid quam Streperam esse putabimus, ab undarum ripas pulsantium strepitu dictam[10c]). — *Περσηΐς* Goettlingio et, quod magis mireris, etiam I. H. Vossio[11]) ad Persiam pertinere visa est, propter eius cum

---

8b) In scholiis est *Πασιθέη*. Pusitheam nympham Erichthonio nuptam ex Apollodoro III, 14, 6, 10 aliisque novimus.

9) Et fuerunt, qui oriri aerem ex respiratione aquarum autumarent. Cic. d. N. D. II, 10, 27.

10) Cf. Philostr. Imag. II, 4 p. 58. O. Iahn. Archaeolog. Beitr. p. 328. R. Unger, Theban. parad. p. 209.

10b) De hoc *ὑπερβιβασμῷ* cf. Schol. Il. XXII, 448. Lobeck. Patholog. I p. 498 sq., et de arguti pectinis strepitu Heyn. excurs. I ad Vergil. Aen. VII p. 131. Iacobs. ad Philostrat. Imag. II, 28 p. 97.

10c) Cf. Horat. Epod. XVI, 47: montibus altis levis *crepante* lympha desilit pede.

11) In dissert. de vett. cosmographia, Alte Weltkunde, Krit. Blätter II p. 314.

Sole connubium, ex quo Aeeten peperisse dicitur theog. v. 957 et Il. X, 130, ubi tamen *Πέρση* vocatur. Id quominus credamus, vel hoc unum obstat, quod tam antiquis temporibus, quam quibus haec de Aeete fabula orta est, parum probabile est ullam Persiae notitiam ad Graecos pervenisse, quum multo etiam posterius, usque ad Cyri tempora, Persae obscuri et alienae dominationi subiecti fuerint: ut taceam Aeeten eiusque regnum initio plane non ad orientales terras, sed ad occidentales potius pertinuisse videri[12]. Praestabit igitur veteres interpretes sequi, qui nomen a *ΠΕΡΩ*, *περάω* ductum autumant,
7 *διὰ τὸ ἀπὸ τόπου εἰς τόπον περᾶν*, interpretabimurque *Περσηΐδα* Trameam[13]. — Huic proxima *Ἰάνειρα* qua ratione lonum terram denotare credatur, ut Goettlingio visum est, plane non perspicio: veteres, quum *διὰ τὸ εὐφραντικὸν τοῦ πλοῦ* appellatam volunt, hoc certe intellexerunt, nomen ab *ἰαίνω* ductum esse[13b]: de navigatione non debebant cogitare, quae vix ulla est in his, quibus nymphae praesunt, rivulis minutis: est potius *Ἰάνειρα*, Fovela, propterea dicta, quod homines fovet, recreat et delectat. — *Ἀκάστη* Mundulam dicere licebit, ut *Πολυκάστην*, a verbo *κάζω* cum *α* intensivo: eam scilicet, quae bene compta est et ornata sive natura sive arte, velut ripis aut crepidine munitis, aut arborum, fruticum, florum decore insignibus[14]. *Ξάνθης*, Flavae et *Πετραίης*, Saxatilis nomina per se plana sunt, neque *Μενεστώ*[14b]) dubitari potest quin Tardifluam significet, *διὰ τὸ ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ μένειν*, ut ait Scholiastes, quod lente fluit multumque moratur. — *Τελεστώ* non credo Goettlingio eam esse, quae prope a mari prosiliat, in extrema scilicet terrae ora: qualem ego *Τερμονίην* potius dicendam fuisse arbitror. Malo Sacranam interpretari, h. e. eam, cuius aqua sacris, imprimis

12) Vid. Mueller. Orchom. p. 274 sqq.

13) Etiam Persei nomen indidem a veteribus ducitur, recte sine dubio et ad veram naturam quum Titanis hoc nomine appellati, tum herois accommodate. Cf. diss. de Hecate p. 16. Creuzerus Symb. I, pag. 734 et IV, 19 lucis significationem in his nominibus inesse credit: eius scilicet, qua nimis saepe mythologiam a viro doctissimo obscuratam potius quam illustratam dolemus.

13b) Cf. Hermann. Opusc. VI p. 172. Lobeck. proleg. pathol. p. 263.

14) Similiter Vossius nomen interpretatur ad hymn. in Cer. p. 120. — Schol. ad Aesch. Agam. v. 721 (746) pro *ἀκασκαῖον* videtur *ἀκασταῖον* legisse, idque interpretari *λίαν κεκοσμημένον*.

14b) Sic, an *Μενεσθώ* scribendum sit, non satis liquet. Eadem dubitatio est de *Τελεστώ*.

nuptialibus, adhibetur, ut erat Athenis quae Callirrhoe aut *Ἐννεάκρουνος* vocabatur[15]). Nam *τέλος* et *τελειοῦσθαι* de nuptiis saepissime dici et *θεοὺς τελείους* deos nuptiales esse nemo ignorat[16]). — *Χρυσηΐς*, **Aureola**, aut a colore vocatur, aut quod auri ramenta fert, aut etiam quod auri instar pretiosa est propter aquarum vim foecundantem: qua ratione Nilum quoque nonnulli *χρυσοῤῥόαν* dixerunt[17]). — *Καλυψώ*, **Occulina**, quae occulta sub herbis ac fruticetis serpit, quemadmodum altera Calypso, Atlantis filia[18]), nomen inde accepit, quod in occulta maris longinqui regione habitat. — *Εὐρώπην*, si grammaticam nominis significationem spectes, **Amplituam** dixeris, h. e. eam, quae amplum intuenti adspectum praebet, ut *εὐρωπόν* Hesychius interpretatur *πλατύ*, et latum maris aequor Oppianus Hal. IV, 526 *εὐρωποὺς ἁλὸς λαγόνας* dicit[18b]). Item quae v. 359 nominatur *Ἀσίη* proprie nihil aliud quam **Limosa** est[18c]), quo sensu *ἄσιον λειμῶνα* apud Homerum Iliad. II, 461 fere omnes hodie accipiunt. Tamen haec duo nomina, Europa et Asia, quorum alterum magno potius flumini, quam rivulo convenit, alterum autem non, ut cetera, quae a fontium attributionibus desumpta sunt, laudem aliquam et praestantiam, sed vitium aquarum denotat, vix credo locum in hoc Oceanidum catalogo inventura fuisse, nisi iam oblitterata propria significatione in magnarum terrarum nomina abiissent. Et Europam terram non ab Agenoris aut Phoenicis filia, sed ab Oceanide nympha nomen accepisse complures auctores erant, ac praeter hanc et Asiam etiam Libyam et Thracen in Oceani filiabus numerabant[19]).

---

15) Vid. Thucyd. II, 15 et intt. ap. Poppon. p. 75.

16) Cf. Ruhnken. ad. Timae. p. 224 sq.

17) Vid. Athenae. V p. 203 C. Schol. ad Aesch. Prom. v. 806. — Ceterum in theogonia *Χρυσηΐς* ex coniectura tantum Hermanni ad Hom. h. in Cer. v. 421 scriptum est, videtur tamen certum esse; Goettlingius in altera editione *Κρηνηΐς* praeoptavit, miro iudicio.

18) Aut Solis, ut nonnullos tradidisse Tzetzes ait ad Lycophr., 174. 798. — Völckero haec non diversa ab Oceanide videtur, Mythol. Iap. p. 71.

18b) Etiam *Εὔρωπος* fluvii nomen in Thessalia fuit, eius quem Homerus Titaresium dixit. Vid. Meinek. Vindic. Strab. p. 159.

18c) Aut potius **Arenosa**, si Doederlinum sequimur, Glossar. Hom. I p. 161.

19) Vid. Tzetz. ad Lycophr. v. 894 et 1283. Eudoc. p. 439. Schol. ad Aeschyl. Pers. v. 185. Schol. ad Iliad. XVI, 233 p. 450 a 3. Schol. Vat. ad Eurip. Rhes. v. 29. Eustath. ad Dionys. Perieg. p. 270.

Pro terrae nomine Europam primum usurpari videmus in Hymno Homerico in Apollinem Pythium, v. 72. 73 (251), ubi ad templum Delphicum concursuri dicuntur

ἠμὲν ὅσοι Πελοπόννησον πίειραν ἔχουσιν,
ἠδ' ὅσοι Εὐρώπην τε καὶ ἀμφιρύτους κατὰ νήσους.

ubi Hermannus Europam interpretatur eam regionem, quae a Thracia ad Peloponnesum porrecta Graecos tenebat, dictam hoc nomine, principio quidem apud insulanos, a specie, ut quae iis ex adverso late porrecta videretur [19b]). Hymni poetam non sine causa Fr. Frankius post bellum sacrum adversus Cirrhaeos ol. XLVI, 1 gestum cecinisse coniecit; neque ulla causa est, cur theogoniae Hesiodeae compositionem, aut hanc certe eius partem, multo antiquiorem esse statuamus, quum praesertim etiam in fluviis, Oceani filiis, v. 338 Eridanum commemoratum videamus, cuius nomen apud Graecos haud diu certe ante Pherecydem innotuisse videtur, siquidem Hyginus, aut is, unde Hyginus hausit, ab hoc primum eum memoratum esse scribit, quod etiamsi fortasse falsum est — nam commemorabatur aliquoties in carminibus Hesiodeis [20]) — tamen haec ipsa carmina multo vetustiora Pherecyde fuisse quis tandem demonstrari posse confidat? — Asiam Europae oppositam latissimeque patentem, ita ut Persarum certe imperium totum hoc nomine comprehendatur, apud Aeschylum videmus [21]): quibus autem gradibus et ex quo tempore ad hanc amplitudinem pervenerit, nescimus.

Reliquae septem Oceanides non iam, ut superiores illae, ab aquarum attributionibus appellatae, nec fontium ac rivulorum aut etiam terrarum praesides sunt, sed longe diversi generis, et de celsiore quodam dignitatis gradu huic minutarum nympharum gregi immixtae. Dicam primum de Dione, magna dea, summi Iovis uxore, Veneris et Bacchi

---

19b) De Europao nomine cf. etiam I. Grimm. Deutsche Myth. II p. 631. Maltis hoc nomen e Phoenicum sermone corruptum videtur.

20) Cf. Muetzell. de emend. theog. Hes. p. 467.

21) Pers. v. 12, 57, 61, 73, 245, 541, 576, 893. Cf. Prometh. 410 et fr. Prom. sol. 201 Herm. Asiam Europae opponit etiam Simonides fr. 43. Quod Pherecydem quoque nomen ita usurpasse Ukertus scribit, Geogr. Gr. et Rom. I, 2 p. 213, nolo equidem in dubium vocare: sed testis ab Ukerto, itemque ab aliis, velut a Grotefendio in Paulyi Encyclop. s. v. Asia citatus, Schol. Apoll. IV, 1396, nihil nec de Pherecydo nec de Asia loquitur.

matre, sed nunc inter Auriverberam, Lactauram, Pecupascam, Streperam earumque similes adeo deformata, ut a plerisque ne nomine quidem suo agnosci potuerit. Nam sunt qui nihil hoc nisi aquarum utilitatem, *τὴν ἐκ τῶν ὑδάτων ὠφέλειαν*, ut ait scholiastes, significari censeant, utpote a *διά* praepositione et verbo *ὀνίνημι* ducto, quam sententiam Goettlingius amplexus est, licet exempla huius verbi cum *διά* compositi nulla inveniantur. Alios *Διώνην* a *διαίνω* dictam credere memini [21b]), ut esset **Irrigua**, quae *Διαίνη* aut *Δίαινα* potius vocari deberet: nisi forte statuamus, *ω* pro *αι* errore quodam, non scribendi [22]), sed pronuntiandi, substitutum esse ab iis, qui verae rationis ignari similitudine huius nominis cum altero clariore deciperentur. Atqui nec licet, opinor, neque vero opus est, unius nominis diversas origines comminisci, si una certa suppetit, quae quominus ubique teneatur, nihil praeter speciem quandam et hinc ductae opinionis praeiudicium obstat. Theogonia v. 17, quo uno loco praeter hunc de Oceanidibus Dionae mentionem facit, inter maxima numina Iovis, Iunonis, Minervae, Apollinis, Dianae, Neptuni, Themidis, Veneris eam celebrari a Musis ait, quo loco de ignobili aliqua nympha aquatica cogitari non posse apparet [22b]): et novimus quum alibi tum maxime apud Dodonaeos aliosque Epirotas Dionen Iovis uxorem et *σύνναον* fuisse, id quod praeter scriptorum testimonia etiam nummorum Epiroticorum signa ostendunt [23]). Hanc Iovis uxorem sunt quidem qui in Titanibus numerent, Coeli ac Telluris liberis [24]): neque tamen hoc obstare debet, quominus ab aliis eam Oceani filiam habitam esse credamus. Nam idem in altera Iovis uxore, Eurynome, factum est, quae quum ab Hesiodo aliisque in Oceanidibus referatur [25]), a Callimacho tamen, bonos sine dubio ac veteres auctores sequuto, Titanis

21b) Cf. Cornut. c. 24 p. 133.

22) Contrario errore *Διαίνη* pro *Διώνη* scriptum est in schol. ad Hom. Od. III, 91, quod non debebat Buttmannus tueri. Vid. Hermann. Opusc. VII p. 276. Lobeck. Pathol. serm. gr. p. 32.

22b) Cf. hymn. Hom. in Apoll. Del. v. 93, ubi Latonae parturienti adsunt dearum *ὅσσαι ἄρισται ἔασιν, Διώνη τε Ῥείη τε, Ἰχναίη τε Θέμις καὶ ἀγάστονος Ἀμφιτρίτη.*

23) Vid. imprim. Demosth. Mid. p 531 R. cum Buttmanni excursu IV, et eiusdem Mythol. I p. 22. Add. Strab. VII p. 329. Hermann. Opusc. VII p. 275.

24) Apollod. I, 1, 4 ibiq. Heyn. Orph. fr. 8 p. 467 Herm.

25) Theog. v. 358. Apollod. I, 2, 2. 3, 1.

dicta est[26]). Atque illam quae Dionen Titanibus adnumerat genealogiam ad Hesiodeam theogoniam nihil pertinere satis apparet ex eo, quod in duodecim Titanum enumeratione v. 133—137 haec non comparet: Oceani autem filia habita est in vetustiore quadam theogonia, quae, si non omnes, at plerosque saltem deos maiorum gentium ab Oceano et Tethye procreatos fingebat, hisque duobus non absimilem in iuniorum deorum generatione locum assignabat, quam qui Coelo et Telluri apud Hesiodum assignatus est. Antiquissimum huius rei testem Homerum habemus, qui Il. XIV, 201 *Ὠκεανὸν* dicit *θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν*, et ib. v. 246, *Ὠκεανοῦ, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται*, neque immerito I. C. Baurus, Myth. et Symb. II, 1 p. 291 hanc opinionem vetustiorem censet illa altera, quam Hesiodeae
10 theogoniae initio propositam legimus. Maiestatem Dionae ipsum iam nomen indicat, ab eadem unde *Ζεύς* h. e. *Διεύς*, *Δίϝς*, *Δίς* et *Δεύς* stirpe ductum[28]), ut quemadmodum *Διεύς*, Dius, Deus *κατ' ἐξοχήν* is dicebatur, qui summus coeli ac terrae rector erat, ita uxor eius *Διώνη* h. e. Dia, Diuno, Iuno. Nec temere suspiceris, etiam eius loci, ubi utriusque numinis religio praecipue vigebat, Dodonae nomen eiusdem stirpis esse, sive *Δωδώνη* (*Διώδων*) est domus Dionae, quemadmodum Schwenckius credit[29]), sive prima syllaba ex reduplicatione accessit. Et Dodonam Oceani filiam fuisse nonnulli tradiderunt[30]). Iam vero sicut Dius pater tanquam sator et procreator omnium, ita Dione tanquam mater et genetrix culta est, quae quum omni generationi, tum ei imprimis, quae maris et feminae copulatione perficitur, praeesset. Propinquum igitur Veneri numen habuit, unde haec ipsa, posteaquam e Phoenicia in Graeciam translata est, aut filia Dionae perhibebatur, ut apud Homerum aliosque legimus, aut plane cum ea confundebatur, cuius rei plurima imprimis apud Romanos poetas exempla sunt, unum autem maxime memorabile Praxillae, Sicyo-

26) Vid. Apollon. de coni. p. 505, 17. Cf. schol. ad Iliad. XVIII, 399. Fortasse tamen Titanis propterea dici potuit, quia Oceani filia fuit, Oceanus autem in Titanibus numeratur.

28) Cf. Pott. Etymol. Forsch. I p. 98. Max. Schmidt, in Iahn. Annall. phil. et paed. ann. 1830 tom. XII, 3 p. 339. Doederlin. Etym. I p. 6. II p. 68. Hoefer. Beitr. z. Etym. u. vergl. Gramm. I p. 267.

29) Etymol. mythol. Andeut. p. 37.

30) Vid. Steph. Byz. p. 110, 11 Westerm. Schol. ad Iliad. XVI, 233.

niae poetriae, quae quidem quum Bacchum Veneris filium diceret[31]), dubitari non potest, quin Venerem pro Dione nominaverit. Hanc enim Baccho matrem disertis verbis Euripides attribuit, in Antigona, deperdita tragoedia, ita deum appellans:

Ὦ παῖ Διώνης, ὡς ἔφυς μέγας θεός,
Διόνυσε, θνητοῖς τ' οὐδαμῶς ὑπόστατος[32]).

Et profecto quam apta Baccho mater Dione, magna illa genetrix, videri debuerit, neminem fugere potest. Quamobrem alii, vim illam genetricem in tellure potissimum inesse statuentes, eiusque numen Cereri tribuentes, non dubitarunt hanc ipsam Baccho matrem dare, cuius rei Diodorum III, 62 testem habemus: neque diversa fuit eorum ratio, qui pro Cerere filiam eius Proserpinam posuerunt[33]), plane ut a Praxilla pro Dione filiam eius Venerem substitutam esse vidimus. Atque etiam qui vulgatissimam fabulam sequuti Semelen aut Thyonen dixerunt, tamen huius quoque numen terrestre esse voluerunt, ἀποφαινόμενοι, ut Diodorus ait, Θυώνην ὑπὸ τῶν ἀρχαίων τὴν γῆν ὠνομάσθαι, καὶ τεθεῖσθαι τὴν προσηγορίαν Σεμέλην μὲν ἀπὸ τοῦ σεμνὴν εἶναι τῆς θεοῦ ταύτης τὴν ἐπιμέλειαν καὶ τιμήν, Θυώνην 11
δέ ἀπὸ τῶν θυομένων αὐτῇ θυσιῶν καὶ θυηλῶν. Alii Tellurem, Θεμέλην dictam fuisse volunt, διὰ τὸ εἰς αὐτὴν πάντα καταθεμελιοῦσθαι, ἣν κατὰ συναλλαγὴν ἑνὸς στοιχείου, τοῦ σ̄, Σεμέλην οἱ ποιηταὶ προσηγορεύκασιν[34]). Mihi neque terrae hoc cognomen probabile videtur, neque deam, cuius numen ad generationem et procreationem pertineret, tali potissimum nomine appellatam esse credo: probabilius, arbitror, Σεμέλη non ex Θεμέλη ortum, neque vero e σεμνός et μέλεσθαι, quae Diodori opinio fuit, compositum, sed nihil aliud quam σεβλήν, σεμλήν[35]) h. e. σεμνήν esse statuimus, ut

---

31) Apud Hesych. s. v. Βάκχου Διώνης.

32) Servavit hos versus scholiastes Pindari, Pyth. III, 177 (99). Cf. Boeckh. ad Soph. Antig. p. 177.

33) Vid. Muncker. ad Hygin. fab. 155 p. 225. Davis. ad Cic. d. N. D. III, 23.

34) Ioann. Lyd. de mens. p. 72, 15 ed. Bonn. Alias non meliores etymologias utriusque nominis habet schol. Pind. l. l., alterius autem, Σεμέλης, omnium maxime mirabilem Hermannus protulit Opusc. II p. 190: aliam Schwenckius Andeut. p. 147, rursus aliam Völckerus, Myth. Iap p. 113.

35) Etrusci igitur, syncoparum amantissimi, quum Semlam dixerunt, priscam nominis formam restituisse dicendi sunt. Legitur Semla in inscriptione speculi a Gerhardo descripti, Dionysos und Semele etc. Berlin 1833. 4.

ex epitheto proprium nomen evaserit, quemadmodum etiam in Ἀριάδνη s. Ἀριάγνη, Bacchi uxore, factum videmus, cuius nomen nihil proprie quam valde venerabilem significat[36]). Et $\bar{\mu}$ pro $\bar{\beta}$ in aliis quoque vocabulis Aeolenses pronuntiarunt, ut κυμερνήτης pro κυβερνήτης, βάρμιτος pro βάρβιτος, τέρμινθος pro τέρβινθος v. τερέβινθος[37]). Alterum nomen Θυώνη ab origine idem atque Διώνη esse credimus. Nam primam litteram eius radicis, quae est Διν, unde et Δινς et Διϝώνη, Διώνη descendunt, in ore Graecorum etiam ϑ factam esse, vel e ϑεῶν nomine apparet, quod quin eiusdem cum illis stirpis sit, nemo hodie dubitat. E Θιϝώνη autem aut Θεϝώνη quam proclivi mutatione pronuntiationis Θυώνη prodire potuerit, in aperto est. Atque sic etiam Διώνυσον nihil aliud quam Θυώνυσον sive Θυωνίδαν, quo nomine deus apud Rhodios appellabatur[38]), h. e. Dionae s. Thyonae filium esse putabimus, sive ὖσος[39]) idem esse quod υἷος, sive paragogen dicemus significationis incertae. Nam de Nysa non cogitandum esse, plane mihi cum Schwenckio convenit[40]). Διώνυσον autem, longa vocali secunda, antiquiorem nominis formam esse, qua sola Homerus ceterique epici veteres utantur, satis constat[41]), et qui unus contrarii exempli versus in Odyssea legitur, XI, 325, non sine causa spurius esse iudicatur. Posteriores de-
12 mum verae rationis ignari Διόνυσον dixerunt: matris autem Dionae me-

36) Hesych. ἀδνόν· ἁγνόν. Κρῆτες. Alterum ab ἅζεσθαι v. ἅζεσθαι, alterum ab ἅγασθαι, cognatis verbis ductum esse apparet. Cf. Buttm. Lexil. I p. 236. De Ἀριάγνη vid. Panofka in Annali dell' inst. archeol. ann. 1835 p. 83 sq. O. Iahn, Vasenbilder p. 28. Cur autem Hermannus Opusc. II p. 181 Ἀριάδνην Roborinam dixerit, nescio.

37) Vid. Etym. M. p. 188, 20. 543, 2. Niclas ad Geopon. 10, 73, 2. Ahrens de dial. Aeol. p. 45.

38) Vid. Hesych. s. v.

39) Componendum fortasse cum ὕσδος, quod pro ὄζος Aeolenses dixisse constat. Similiter de Dionysi nomine Zoega statuit, in Dissert. a Welckero editis p. 21. 219. Quae a C. F. Hermanno opponuntur, in opere postumo, Culturgesch. d. Gr. u. R. I p. 68, removeri posse arbitror. Nonnulli alteram nominis partem ἀπὸ τοῦ ὕδατος καὶ τοῦ ὗσαι repetiverunt. Vid. Plut. de Is. et Os. 34. 36. cf. Cornut. p. 173. Alia nominis forma Δεύνυσος est a δεῦνος quod veteres regem significare dicunt. Vid. Bast. ad Greg. Cor. p. 882: est autem fortasse nihil nisi epitheton, a δεός = ϑεός ut ϑεῖνος.

40) Etym. myth. Andeut. p. 140.

41) Apud Boeotos haec forma etiam posteriore tempore magis quam altera in usu fuisse videtur. Boeckh. Corp. Inscr. I p. 722 et Osann. Inscriptt. p. 198.

moria in vulgari mythologia adeo obscurata est, ut non modo in theogonia Hesiodea inter ignobiles nymphas plane delitesceret, sed ab aliis etiam ex matre Bacchi nutrix fieret Hyadibusque accenseretur[42]), utque in comitibus Bacchi una cum Thyone nominaretur, quasi diversa[43]). — Nos nunc, postquam magnam rerum genitricem Venerisque et Bacchi matrem agnovimus, comitem ei non incommodam Πειθώ, Suadam, adiungemus, cuius nomen Goettlingio fontem significare videtur, qui patiatur se fossa includi: quasi Πειθώ non activam potius significationem, (quae persuadet), quam passivam, (cui persuadetur), sibi deposcat. Veneri Suadam comitem dari solere nemo nescit[44]), neque qua id ratione fiat, obscurum est: multi filiam Veneris dixerunt, velut Sappho et Aeschylus[45]), quemadmodum Amor quoque ex deo antiquissimo, qui est in theogonia, in pusionem Venereum transformatus est, fratresque adeo multos cognomines accepit[46]). Iam vero quam propinquum Veneri numen Dione habuerit, paullo ante vidimus: neque igitur huic Suadam sororem datam mirabimur.

Non meliorem quam Dione sortem Μῆτις nacta est, quae quum et ipsa inter has minutas aquarum deas nominetur, doctissimo interpreti nihil nisi fontis nympha esse visa est, fatidica quadam virtute et futurorum praescientia praedita: ut fuerunt sane aquae eiusmodi com-

---

42) Nutrices Bacchi, nymphas Dodonides, Pherecydes easdem cum Hyadibus esse docuit, nominaque earum posuit Ambrosiam, Coronidem, Eudoram, Dionen, Aesylam, Polyxo. Schol. ad Iliad. XVIII, 486. Has, ut Ovidius ait Fast. V, 167, pars credidit Tethyos neptes Oceanique senis, scilicet ab Atlante ex Pleione Oceanide procreatas (vid. Hygin. fab. 192), alii ipsas Oceani filias dixerunt. (Hygin. fab. 182.) Dione in his numeratur etiam apud Ovid. Fast. VI, 711, codicum longe plurimorum testimonio, quum in aliis Thione, Theone aut Thyene sit, ut apud Hygin. poet. astr. II, 21 p. 395 Munck. — Thyonen Bacchi nutricem dixit Panyasis ap. Schol. Pind. l. l., unde hoc nomen etiam apud Pherecydem pro Dione restitutum voluit Valcken. ad Ammon. III, 12; temere.

43) Velut in vase Etrusco, quod Iahnius noster descripsit, libro supra n. 36 laudato, ubi Dionyso ex altera parte Dione ex altera Thyone adstat.

44) Vid. Boeckh. Explic. Pind. Pyth. IX, 40. Schneidewin. ad Ibyc. p. 111. De eius cultu apud Athenienses praeter Demosth. prooem. p. 1460 vid. Pausan. I, 22, 3, et apud Sicyonios Id. II, 7, 7.

45) Sappho ap. Procl. ad Hesiod. O. et D. v. 74. Aeschyl. Suppl. v. 1021, quem locum verissime Wellauerus emendavit: *Μετάκοινοι δὲ φίλᾳ ματρὶ πάρεισιν Πόθος, ᾇ τ᾽ οὐδὲν ἄπαρνον τελέθει θέλκτορι Πειθοῖ.*

46) Quamquam fuerunt, qui unum tantummodo Amorem Veneris, reliquos nympharum filios dicerent. Vid Iacobs. ad Philostr. Imag. p. 240.

plures, quas qui hausissent, vaticino quodam furore impleri crederentur. Metidi tamen quo facilius debitum locum vindicare possimus, alius poeta Hesiodeus cavit, ex cuius carmine, theogoniae olim subiuncto, versus aliquot a Galeno servatos habemus[47]), in quibus de Iovis cum hac ipsa Metide consortio haec leguntur:

13 *Αὐτὰρ ὅγ' Ὠκεανοῦ καὶ Τηθύος ἠϋκόμοιο*
κούρῃ νόσφ' Ἥρης παρελέξατο καλλιπαρῄῳ·
συμμάρψας δ' ὅγε χερσὶν ἑὴν ἐγκάτθετο νηδὺν
ἐξαπατῶν Μῆτιν, καίπερ πολυΐδριν ἐοῦσαν.

Habemus igitur non fontis alicuius nympham fatidicam, sed summi Iovis consortem, quae quum ab hoc devorata sit, penitus deinceps in eius praecordiis habitat eique *συμφράζεται*, ut in theogonia legimus, *ἀγαθόν τε κακόν τε.* Illi quoque, quos Apollodorus[48]) auctores sequitur, Metin Oceani filiam sociam Iovi et consiliariam fuisse tradiderunt in Titanum bello: neque diversam hanc esse ab illa, qua devorata Iupiter Minervam, ab ea conceptam, e suo ipse capite peperit, manifestum est. Apparet igitur nullam aliam Metin esse nisi Mentem ac sapientiam divinam, qua imbutus Iupiter mundi imperium capessivit et administrat: quae quod Oceani filia dicitur, ex eadem illa vetustiore theogonia explicandum est, de qua supra diximus, quae rerum omnium principia ab Oceano repetebat, et ex hoc quasi fonte provenisse statuebat quidquid esset in rerum natura, nec materiam solum, sed normam quoque et legem materiae movendae, componendae et regendae, animumque huius normae legisque sibi conscium eamque exercentem. — Metidis autem *Ἰδυῖα*, Gnara, cognomentum esse potuit, quippe quum sit illa *πλεῖστα θεῶν τε ἰδυῖα καταθνητῶν τ' ἀνθρώπων*, ut uterque poeta ait theog. v. 887 et apud Galen. v. 15. Proprium personae nomen ab iis fortasse factum credideris, qui aptam uxorem *Αἰήτῃ*, Tellurino, matremque *Μηδείᾳ*, Prudentinae, quaererent. Accidit enim his duobus, id quod aliis quoque permultis accidisse constat, ut quum in antiquissima religione pro diis essent et colerentur, a posterioribus demum, et in vulgari et poetica mythologia, divinitate sua exuti ad mortalium conditionem detraherentur[49]). De Idvia tamen, verene a principio eadem ac Metis fuerit, an conficta tantummodo eam ob causam,

47) De his versibus vid. quae diximus in dissertatione de falsis indiciis lacun. th. Hes. indici schol. aest. h. a. praemissa p. 21 sqq.

48) I, 2, 1 cf. 3, 6.

49) Cf. Müller. Dor. I p. 396.

ut apta Medeae mater dari posset, nolo nunc disputare: est enim haec
quaestio admodum intricata et quae longam orationem postulet. Inte-
rim videmus hoc saepenumero factum esse, ut, quum mater aut uxor
alicui deo circumspicienda esset, una ex numeroso Oceanidum grege,
Callirrhoe aliqua aut Clymene aut si quod aliud nomen conveniret, ad-
scisceretur: quarum quidem conditio hactenus haud dissimilis fuit par-
vulorum, quibus patria nostra gloriatur, principum filiabus, quae et ipsae
huic potissimum usui inserviunt, ut sint quibuscum pares nuptiae a
terrarum dominis contrahi et liberi quaeri absque humilioris sanguinis
contagione possint.

Τύχην, Fortunam, deam Homero non memoratam, ut qui ne
appellativum quidem nomen usquam usurpet[49b]) alii *Προμηθείας*,
Providentiae, filiam dixerunt, velut Alcman apud Plutarchum de
fort. Rom. c. 4, a quo etiam *Εὐνομία*, Distribua, et *Πειθώ*,
Suada, sorores ei adduntur, quo quid significare poeta voluerit aper-
tum est; alii Iovis filiam Parcarumque sororem, velut Pindarus Ol. 14
XII, 1. 2[50]). Sed Oceano Fortunam prognatam illis videri consenta-
neum fuit, qui, ut modo dixi, omnium rerum principia causasque ex
Oceano ortas esse statuerunt, quae causae quum aut fortuito agere
aut certae et immutabili legi adstrictae esse viderentur, et Fortunam,
fortuitorum eventuum, et Parcas, fatorum deas, Oceani filias dixerunt.
Et Fortunae quidem locum in Oceanidibus Hesiodea theogonia serva-
vit, Parcis autem alium assignavit, quum aut Iovis eas et Themidis,
aut etiam Noctis filias fecerit[51]), quas fabulas et ipsas non absurde
fictas esse apparet; accuratius autem in utriusque causas inquirere et
quam probabile sit, utramque ab initio in hac theogoniae compositione
receptam fuisse, disputare non est huius loci[52]). Ceterum non omnis
tamen etiam Parcarum ex Oceano originis memoria oblitterata est,
quippe quas Lycophro certe v. 144 *γυιὰς* dicat *ἀμνάμους δηναιᾶς*
Ἁλός, claudas propages veteris Maris, h. e., ut scholiastes ait,

---

49b) Pausanias IV, 30, 4 primum nominis auctorem eum citat, cuius est hymnus in Cererem, v. 417. Est autem *Τύχη* etiam in hymn. in Minerv. X (XI), 5, porro in Solonis versu ap. Plut. Sol. c. 3 et apud Theognidem v. 130. Antiquiores non novi.

50) Cf. Pausan. VII, 26, 3.

51) Vid. v. 904—906 et 217 sqq.

52) De causis utriusque fabulae exposui in commentationibus ad Aeschyli Prometheum p. 108 sqq.

ἐγγόνους τοῦ Ὠκεανοῦ, aut, ut Tzelzes, *τῆς Τηθύος*. Nam Maris et Oceani discrimen, ut ab antiquioribus constitutum fuit, non semper observari constat: qua de re mox aliquid dicendum erit.

Εὐρυνόμην **Latipotam** interpretari malo, quam **Latipascam** cum Hermanno[53]). Neque enim fontis alicuius hanc nympham esse agros irrigantem aut etiam maioris aquae deam, navigationis et commerciorum lucro homines pascentem, facile probari posse arbitror. Fuit secundum Orphicorum theogoniam, quae, ut saepe alias, ita etiam hac in parte antiquiores fabulas revocasse videtur, Eurynome Ophionis uxor, eius qui primus et ante Saturnum totius mundi imperium habuit, ut Apollonius Argon. I, 503 ipsum Orpheum canentem inducit:

ὡς πρῶτον Ὀφίων τ' Εὐρυνόμη τε
Ὠκεανὶς νιφόεντος ἔχον κράτος Οὐλύμποιο,
ὥς τε βίῃ καὶ χερσὶν ὁ μὲν Κρόνῳ εἴκαθε τιμῆς,
ἡ δὲ Ῥέῃ, ἔπεσον δ' ἐνὶ κύμασιν Ὠκεανοῖο[54]).

Et colebant Eurynomen etiam posterioribus temporibus Pelasgicae stirpis homines, Phigalenses in Arcadia, habebantque in sanctissimo templo, quod uno quotannis die festo aperiri et intrari a sacerdote fas erat, statuam deae *γυναικὸς τὰ ἄχρι τῶν γλουτῶν, τὸ ἀπὸ τούτου δὲ ἰχθύος*[55]), ad quam similitudinem alios quoque deos aquaticos a Graecis fingi solitos esse constat[56]). Ophionem vero, Eurynomae consortem, anguinam formam humanae mixtam habuisse ipsum nomen fidem facit, neque dubium videtur, quin hunc quoque pariter atque Eurynomen vetusta illa theogonia ex Oceano prognatum voluerit. Posteriores autem, quum diversam theogoniam amplecterentur, Eurynomen tamen, utpote cultu ac religionibus populorum consecratam, non plane silentio praetermiserunt, id quod Ophioni accidit, sed locum

53) Opusc. II p. 189.

54) Plura de Ophione et Eurynome vid. ap. Schol. ad Aesch. Prom. 955 et 958, ad Aristoph. Nubb. 248. Tzetz. ad Lycophr. 1191. Nonn. Dionys. II, 573. VIII, 161. XII, 44. Zoega Abhandl. p. 216. 244. Koehler, de Nonno p. 24 et 84. Lobeck. Agl. p. 330. 398. — Apud Ioannem Lydum, de mens. p. 79 ed. Bonn., Eurynome ex Aphro Venerem parit.

55) Pausan. VIII, 41, 4. Quantopere autem Pausaniae aetate Eurynomes memoria vulgo obscurata fuerit, ex eo patet, quod a plebe Phigalensium pro Artemide habita est.

56) Cf. Gesner. ad Claudian. p. 142. 576. Braun in Annal. dell' inst. archeol. XII p. 97. Iahn. Archaeol. Abh. p. 64.

ei servarunt in Oceani filiabus, et sicut olim summo totius mundi numini haec copulata fuerat, ita nunc Iovi, *ἄνακτι τῶν Ὀφίονος θρόνων*, ut est apud Lycophronem v. 1192, eandem coniugem dederunt, ex qua **Gratias** ille genuerit. Gratiarum autem vim numenque in antiquissima religione aliquanto latius quam in vulgari et poetica mythologia patuisse probabile est. Id vel hinc colligas, quod Gratiarum nomine apud Athenienses colebantur *Αὐξώ* et *Ἡγεμόνη*, **Auxia** et **Praebita**, quarum alteram augendi et crescendi vim habere apparet, alteram autem naturae vices regere iisque viam monstrare et quasi praebitere h. e. praeire: hisque in populari religione adiuncta erat *Θαλλώ*, **Flora**, una ex Horis s. Temperiis, quae omnia florere facit[57]). Neque unquam, opinor, futurum fuisset, ut Gratias Orchomenii pro summis numinibus praeter cetera solemni religione colerent[58]), si nihil in iis nisi hilaritatem, laetitiam et festivitatem esse credidissent. Sed fuerunt illae ab initio bonae deae et beneficae, naturae munera hominibus gratificantes quaeque proveniunt ex terrae gremio bona grata et utilia dispensantes, quae si Veneri adiunctae fuerunt, ut fuerunt sine dubio, genitricem Venerem almamque matrem fuisse cogitabimus. Mox autem quemadmodum Veneris maiestas a poetis imminuta est, ut nihil ei praeter amorem venustatemque relinqueretur, ita Gratiarum quoque numen angustioribus quibusdam finibus circumscribi coeptum est et a moderamine ac dispensatione terrae munerum ad delectationem animorum cultumque vitae hilarem et iucundum traduci, ut impertirent, quemadmodum Pindarus canit,

τά τε τερπνὰ καὶ τὰ γλυκέα πάντα βροτοῖς,
εἰ σοφός, εἰ καλός, εἴ τις ἀγλαὸς ἀνήρ.
οὔτε γὰρ θεοὶ σεμνᾶν Χαρίτων ἄτερ
κοιρανέοισιν χοροὺς οὔτε δαῖτας· ἀλλὰ πάντων ταμίαι
ἔργων ἐν οὐρανῷ, χρυσότοξον θέμεναι παρὰ
Πύθιον Ἀπόλλωνα θρόνους, 16
ἀέναον σέβοντι πατρὸς Ὀλυμπίοιο τιμάν.

Quamquam vel sic apparet, quantum earum numen apud populum pulchritudinis et elegantiae in omni vita studiosissimum haberi debuerit.

---

57) Pausan. IX, 35, 1. Pollux VIII, 106. Stob. serm. XLI n. 141.

58) Vid. Boeckh. oecon. publ. Ath. II p. 367. Bergl. ad Alciphr. III, 1. Meineк. ad Euphor. p. 135. Müller. Orchom. p. 177 sqq. Hoeck. Kreta II p. 85. De physico Gratiarum numine cf. Welcker. ad Schwenck. Andeut. etc. p. 291.

Postremo in Oceanidibus loco nominatur Στύξ, Rigua, quae tamen, ut poeta ait, προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων. Fontem hoc nomine in Arcadia fuisse aquae letiferae nemo nescit[59]): nec minus nota est de Styge apud inferos fabula, quam etiam theogoniae sive poetae sive compositori obversatam esse ex iis apparet, quae v. 400 et 792 de iure iurando deorum, et v. 775 sqq. de Stygis domicilio et aquarum eius cursu leguntur. Eum tamen, qui primus Stygem Pallanti nupsisse liberosque ex hoc Βίαν, Κράτος, Ζῆλον, Νίκην, Vim, Robur, Concertationem, Victoriam peperisse cecinit, necesse est aliud quid his nuptiis et hac progenie indicare voluisse. Nimirum Στύξ, a στύω, στύζω ductum, proprie rigorem significat, eamque vim, qua durescit materia stabilisque et firma fit, Πάλλας autem, quem Hermannus Rotulum, ego Vibrantem interpretor, vim alteram, qua movetur materia et agitatur. Utraque autem vis, et haec motrix, et illa statrix atque firmatrix, quam apte in vetere aliqua cosmogonia adhiberi potuerit ad rerum concretionem ac stabilitatem simul et mobilitatem explicandam quilibet intelligit[59b]). Hinc igitur Riguae cum Vibrante coniugium, liberique eorum Vis et Robur, in quibus pariter et firmitatem et mobilitatem inesse oportet, et Concertatio, quam necesse est et stabilem et vehementer tamen commotam esse, et Victoria, quae nisi utriusque rei coniunctione parari et retineri non potest. Hos autem liberos Rigua Iovi socios adduxisse fertur, quum is Titanes debellaret, abs quo nunquam posthac discedunt. Scilicet Iupiter unus omnium deorum validissimus est, eiusque robur nulla res frangit, et ex omni certamine victor semper evadit. Ceterum ut Styx, ita etiam coniux eius Pallas ab Oceano, quippe omnium rerum ac potestatum fonte atque origine, prognatus dici debebat, et dicebatur sine dubio in vetusta illa cosmogonia, cuius discerpta quaedam membra Hesiodeum carmen servavit, aliis ad diversam rationem pertinentibus admista: quam diversarum fabularum contaminationem in hoc quoque agnoscimus, quod

59) Pausan. VIII, 18. Herod. VI, 74. Strab. VIII p. 389. Senec. Qu. nat. III, 25. Curtius, Pelop. I p. 197. 212.

59b) Comparari possunt Empedocleae Κινώ et Ἀστεμφής v. 30 Karst. Ceterum non supervacaneum fuerit repetere h. l., quod iam alibi monui, diss. de Titan. p. 23, nihil aliud me quam rationem physicam, quae theogoniae compositori obversata videri possit, indicare voluisse, longe autem abesse ab ea opinione ut eandem aut similem quandam rationem vetustis de Pallante et Styge fabulis primitus inclusam fuisse credam.

Pallas in hac theogonia Crii Titanis et Eurybiae, Ponti filiae, nuptiis procreatus dicitur, cui fabulae quaenam ratio physica inclusa sit, alio loco videbimus[59c]).

Hae sunt quas theogonia enumerat Oceanides, paucae de multis: nam ter mille esse dicuntur versu 364, aut etiam decuplo plures, si scholiastae Pindarici lectionem sequimur, ad Ol. V, 1[60]). Nihil igitur
mirum, quod alias alibi multas nominari videmus Hesiodo non memo- 17
ratas, quum partim fontium ac rivulorum quorumvis nymphae aut filiae Oceani aut etiam neptes haberentur[61]), partim terrarum quoque et insularum aliorumque locorum divae cognomines, velut **Rhodus**, **Mopsopia**, **Camarina**, **Aetna**, **Ephyre** in Oceanidibus censerentur[62]), partim aliae passim, de quarum parentibus non constaret, nullo negotio *τῆς πολυτέκνου Τηθύος ἔκγονα* haberi possent[63]), postremo una atque altera etiam confingeretur temere a mythologis, si qua muliere divina opus esset in veteribus fabulis ad suum captum interpretandis, cuius generis memorabile dignumque Palaephati ingenio exemplum unus, nescio quis, edidit, cui quum Iupiter Minervam e suo capite, *ἐκ κορυφῆς*, procreans vehementer displiceret, nympham ei copulavit *Κορυφήν*, Oceani filiam, ex qua Minervam rite atque ordine natam sustulerit[64]).

59c) Vid. diss. de Titan. p. 20. de Hecate p. 16.

60) Is enim *τρὶς γὰρ μυρία* legit pro *τρὶς γὰρ χίλια*. Sed veram esse vulgatam omnium codicum lectionem vel hoc documento est, quod quum totidem quot filiae, etiam filii Oceani, fluvii scilicet, esse dicantur v. 367, fluviorum numerum termillenarium disertis verbis testatur etiam Acusilaus apud Didymum, cuius locum exscripsit Macrob. Sat. V, 18 p. 548 Zeun. Nam **Acusilai** nomen ibi pro **Agesilai** reponendum esse nemo dubitabit.

61) Cf. Spanh. ad Callim. h. in Dian. v. 14. et h. in Del. v. 109.

62) De Rhodo nympha Oceanide vid. Epimen. ap. Schol. Pind. Ol. VII, 24. De Mopsopia Suid. s. v. *Εὐφορίων*. De Camarina Pind. Ol. V, 4. (quamquam hoc nomine non urbs solum sed etiam *λίμνη* fuit.) De Aetna Steph. Byz. s. v. *Παλίκη*. De Ephyre Eumelus ap. Pausan. II. 1, 1. — Poterant facile plura exempla congeri: sed nolo in talibus tempus perdere.

63) Huc fortasse pertinet Lysithoe, Oceani filia, mater Herculis primi, apud Ioannem Lyd. de mens. IV, 46 p. 82 Bonn., unde restituta est Ciceroni de N. D. III, 16 a Creuzero, non diversa fortasse a Lysithea Bacchi primi matre ap. eundem Ioannem IV, 38 p. 72: quamquam haec quidem Creuzero Proserpina potius esse videtur propter Cicer. l. l. c. 23.

64) Vid. Cic. d. N. D. III, 23, 59. — Fuerunt qui, posteaquam plus una Minerva statui coeptae sunt, Coryphae filiam eam dicerent, quae *Ἱππία* cognominatur,

Hactenus de Oceanidibus: nunc de Nereidibus dicendum est, quas Hesiodus cumque Hesiodo plerique quinquaginta numerant, nonnulli tamen centum esse perhibent

aequoreas Nereo genitore puellas[65]).

Ac Nerei ipsius nomen constat fere[66]) hodie nihil nisi Fluorem
significare: quod quum ita sil, non maris solum, sed omnino aquarum
numini aptum videri debebit. Sed theogonia, quum duo aquarum ge-
18 nera discernat, dulcium, quarum e Coelo et Tellure origo, cuius gene-
ris principatum Oceanus habet, *τελήεις ποταμός*, universum terra-
rum orbem ambiens fluviorumque omnium et rivorum progenitor,
alterum marinarum, quae ex *Πόντῳ*, Profundano, solius Telluris
filio ortae sunt, prorumpentibus scilicet ex cavernis terrae humoribus
et medium eius sinum ac cavitatem implentibus, huic generi Nereum
assignavit eiusque fratres *Θαύμαντα*, Mirinum, et *Φόρκυν*, Or-

---

eique patrem nou Iovem, sed Neptunum, equestrem scilicet deum, darent; quod Mnaseam fecisse Harpocr. s. v. *Ἱππία Ἀθηνᾶ* aliique grammatici referunt. Cf. Naek. in Choerili fr. p. 142. De Mnasea dixit Iahnius noster, Palamed. p. 31 sqq. moxque data opera etiam explicatius dicturus est.

65) Propert. III, 5, 33 Burm. Etiam Sophoclis *ἑκατόμποδας Νηρῇδας*, Oed. Col. 722, non quinquaginta, sed centum esse peritissimis interpretibus, Musgravio, Elmsleio, Reisigio, Hellero, placet, quibus ego quoque accederem, quum praesertim centum etiam a Platone Crit. p. 116 E. et ab Ovidio Fast. VI, 499 numerentur, nisi me moveret Hermanni, viri summi, auctoritas, *ἑκατόμποδας* nihil aliud nisi multipedes h. e. multas esse statuentis. Cf. Pindar. apud Athen. XIII p. 574 A: *κορᾶν ἀγέλαν ἑκατόγγυιον*, quod recte interpretatur Meinek. Exerc. in Ath. spec. II p. 29. Ceterum praeter quinquaginta Nereidum nomina Hesiodea facile totidem alia, si quis hoc agat, e poetis aliisque scriptoribus aut etiam ex artis operibus congeri possint, praesertim si quis etiam adoptivas quasdam et improprie dictas Nereides connumeret, qualis fuit e. c. Leucothea (Iacobs. ad Philostr. p. 483) et Helle sec. Valer. Flacc. II, 590. In universum cf. Ammon. de diff. s. v. *Νηρεΐδες*, et Preller. de Mnasea in Diurn. antiquar. (Zeitschr. f. d. Alt.-W.) 1846 p. 680.

66) Hoc „fere“ addendum fuit propter Hermannum, Opusc. II p. 178, qui *Νηρέα*, a *νή* et *ῥέω*, Nefluum interpretatur, assentiente Creuzero, epistt. ad Herm. p. 173. — Veriorem, ut equidem arbitror, sententiam, ut nomen a *νάω*, *ναρός* deducatur, et veteres plurimi probarunt, et e recentioribus, qui unus instar multorum est, Lobeckius ad Phryn. p. 42. — Ceterum memorabile de Nereo Hesiodeo iudicium est ap. Schol. ad Iliad. XVIII, 38: *πλανηθέντες οἱ περὶ Ἡσίοδον Νηρέως ἀνέγραψαν θυγατέρα τὴν Θέτιν, τοῦ ποιητοῦ παρὰ τὸ νεῖν τὴν λέξιν (Νηρεΐδας) ποιησαμένου, ὅθεν καὶ νῆσος καὶ ναρὸν τὸ ῥευστικόν. Ἦσαν δὲ Πρωτέως, φησίν (Ὅμηρος), ἢ Φόρκυνος· οὗτοι γὰρ γέροντες ἐνάλιοι παρὰ τῷ Ποσειδῶνι.* Hi igitur, quos grammaticus sequitur, Nereum ab Hesiodo ex Homeri loco male intellecto confictum crediderunt.

cum, sororesque *Κητώ*, Cetonam, et *Εὐρυβίην*, Latipollam, de quibus hoc tempore non loquimur. Est autem haec diversi generis aquarum distinctio haudquaquam ab omnibus servata. Nam Homerus Iliad. XXI, 196 Oceanum esse ait

ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα,

et Euripides Orest. v. 1377 pontum ab eodem Oceano repetit,

πόντον, Ὠκεανὸς ὃν ταυρόκρανος ἀγκάλαις
ἑλίσσων κυκλοῖ χθόνα,

ubi ipsum Oceanum ex fluvio in maris magnitudinem excrevisse videmus. Neque distinguit utrumque genus Aeschylus, quum fontes dulcis aquae non solum ab Oceanidibus, sed etiam ab Neptuno, quem vulgaris mythologia pariter ac Pontum et Nereum marinis tantum aquis praeficit, mitti facit, Sept, ctr. Theb. v. 292,

ὕδωρ τὸ Διρκαῖον εὐτραφέστατον πωμάτων
ὅσων ἵησιν Ποσειδῶν ὁ γαιάοχος,
Τηθύος τε παῖδες.

neque Euripides, quum Nereides non solum in mari sed etiam in fluviis rivisque, qui proprie Oceanidum sunt, versantes inducit, Ion. v. 1083,

πεντήκοντα κόραι Νηρέος, αἱ κατὰ πόντον
ἀενάων τε ποταμῶν δίνας χορευόμεναι.

Eiusmodi exempla multa proferri possunt e poetis, eodemque pertinet, quod ab Hygino pr. p. 4 Oceanitides Ponti et Maris filiae dicuntur, aut quod a scholiaste Aeschyli ad Prometh. v. 636 plane confunduntur cum Nereidibus: quid? quod fuerunt, qui Nereum ipsum eundem atque Oceanum esse docerent[67]). In ipsa autem theogonia Hesiodea utriusque generis coniunctionem hactenus saltem significatam videmus, quod uxor Nereo Doris copulatur, v. 241. 2., una ex Oceanidibus, pro qua quod alii Amphitriten nominant, velut Arion, vel quisquis est auctor hymni in Neptunum ab Aeliano servati[68]), hanc ipsam inter Oce- 19

67) Mythogr. Vatican. I, 204 p. 63 Bod. Cf. Antip. epigr. Anthol. Pal. IX, 151 v. 7 tom. II p. 51: *Νηρηΐδες Ὠκεανοῖο κοῦραι.*

68) Hist. anim. XII, 45: *δελφῖνες ἔναλα θρέμματα κουρᾶν Νηρεΐδων θεᾶν, ἃς ἐγείνατ' Ἀμφιτρίτα.* Vulgo haec Neptuni uxor dicitur, potestque Neptunus cum Nereo confusus videri a Catullo, qui Thetin Nereidem in epithal. Pel. et Th. v. 28 pulcherrimam Neptuninen dicit, nisi praestat Perizonium sequi, Animadv. hist. IX p. 409 ed. Harl., qui Neptuninen interpretatur Neptuni imperio subiectam, aut G. I. Vossium, de Idol. p. 708, qui aliam fabulam Catullum sequutum statuit de Nereo, Neptuni e Canace filio, ut Neptunine sit neptis

anides nominatam habemus apud Apollodorum I, 2, 2[69]). — Nereidibus nomina imponi conveniebat aut a maris affectionibus et muneribus, aut etiam a terris et insulis, quae mari alluuntur; sed huius generis pauca tantum, et maxime generalia in Hesiodi catalogo inveniuntur, plurima alterius, in quibus nonnulla Oceanidibus cum Nereidibus communia esse non mirabimur. Talia sunt *Δωρίς*, *Εὐδώρη* et *Θόη* vv. 250. 241 et 350. 360[70]), quaeque v. 247 nominatur *Πασιθέη*, in codice Taurinensi *Πασιθόη* est, quod nomen in Oceanidibus legimus v. 352: quamquam ibi quoque olim *Πασιθέη* lectum esse scholia ostendunt. Aptum autem utrumque pariter Oceani et Nerei filiae, ut aut Omnivaga dicatur, aut Conspicua: sic enim *Πασιθέης* nomen cum scholiaste interpretor, *τὴν ὑπὸ πάντων θαυμαζομένην, ἢ εἰς ἣν πάντες θεῶνται*[71]). — *Ἱπποθόη* porro Equicita, *Ἱππονόη*, Equicordia, v. 251, et *Μενίππη*, Equivalida, v. 260, ad eandem aquarum cum equis comparationem pertinent, atque *Ἱππώ*, Equiria, quod nomen Oceanidis supra cognovimus. Ad navigationem spectant *Φέρουσα*, *Εὐπόμπη*, *Ποντοπόρεια*, Ferens, Deduca, Naviga, vv. 248. 261, item *Εὐλιμένη*, Portuna, v. 246, quae commodas navibus stationes praebet, et nisi fallor etiam *Σαώ*, Salvia v. 242, quae navigantes salvat, *διὰ τὴν σωτηρίαν τῶν πλεόντων*, inquit scholiastes. Eodem Goettlingius trahit *Εὐνείκη* v. 247, quam esse vult *τὴν εὐναῖς εἴκουσαν*, h. e., ut ipse convertit, quae ancoris cedat vel parcat. Sed qua ratione mare anchoris loco cedere — nam hoc proprie est *εἴκειν* — dici possit, non magis intelligo, quam quomodo id pro parcere accipi potuerit, praeferendamque iudico alteram nominis scripturam, quae est apud Apollodorum I, 2, *Εὐνίκη*, Victricem, quod nomen ad maris vim invictam pertinet, quidquid oppositum est facile superantem[71b]). Similem ra-

---

Neptuni, aut Hauptium, qui Nereine rescribi vult, Quaest. Cat. p. 71, cuius commode admoneor ab Aschersonio.

69) Suspectum ibi nomen Amphitritae habetur a vv. dd. propterea, quod idem postea rursus inter Nereïdes comparet. Quasi non cognomines inter se Oceanides et Nereïdes esse possint, cuius generis exempla statim proferam. Et Amphitritae locum suum in Oceanidibus tuetur etiam Apoll. I, 4, 3, 6.

70) De *Θόη* tamen dubitari posse infra videbimus.

71) Legitur *θέουσιν* pro eo, quod scriptum fuisse arbitror *θεῶσιν*, idque rursus pro eo, quod debuit, *θεῶνται*.

71b) Muliebre nomen *Εὐνίκα* est e. c. apud Theocrit. XIII, 45, ubi item ali-

tionem *Δυναμένη*, Potens, v. 248 habet. Ad fluctus marinos pertinent *Κυμώ*, Undina, v. 254, *Κυμοθόη*, Undicita, v. 245, et *Κυμοδόκη*, Flucticonda, v. 252, quae citatos fluctus sedat et quasi exripit atque recondit cum *Κυματολήγη*, Fluctisterna, v. 253[72]. Huic proxima *Γαλήνη*, Tranquilla, v. 244, vel, ut ab aliis 20 dicitur, *Γαληναίη*, Tranquillina, *λιπαρὴ θεός*[73], cuius nomen per se planum. Colorem maris significant *Γλαύκη*, Caesia, v. 244, quo nomine ipsum mare appellatur v. 440[74], et *Γλαυκονόμη*, Caerulana, v. 256, quae caerula freta incolit et moderatur. Etiam *Γαλάτειαν*, v. 250, malo cum Gesnero ad Claudian. p. 144 de colore dictam interpretari, Lacteam v. Candidam[74b] quam confingere cum aliis *Fαλάθειαν* nescio quam, quae digamma in gamma, aspirata in tenuem mutata, *Γαλάτεια* evaserit[75]. Non absurde autem illud nomen eiusdem cuius *γαλήνη* stirpis esse scholiastes innuit, quum interpretatur: *εὐειδὴς Γαλάτεια, ἡ εὐειδὴς γαλήνη, ἡ λευκότης τῶν κυμάτων, ὅτε μετρίαις αὔραις περιπνέεται θάλασσα, καὶ ἡ ὄψις αὐτῶν ἡ χαρίεσσα.* Neque alio pertinet fortasse *Πανόπη*, v. 250, vel *Πανόπεια*[76], Oculina, quippe quum leniter motum mare solis splendorem multis quasi oculis et tanquam tota sit oculata, recipiat reddatque. Ad magnitudinem maris refero *Πουλυνόμην*, Multipotam, v. 258, quae longe lateque multa possidet. *Ἀμφιτρίτη*, v. 243, est Circumflua, a verbo obsoleto *τρίω*, eiusdem ac *ῥέω* significationis, unde *τριτώ*, quod Hesychius *ῥεῦμα* interpretatur, et *Τρίτων*, Neptuni et Amphitritae filius, v. 930[76b]. Significatur igitur illo no-

---

quot codd. *Εὐνείκαν* habent. *Εὐνείκην* Salaminiam Sapphus amicam novimus e Suida s. v. *Σαπφώ*. [Cf. Lehrs populäre Aufsätze S. 99.]

72) Nonnullis hoc nomen non proprium, sed appellativum visum esse scholiastes docet, qua de re cf. Mützell. p. 441. Tuetur proprium nomen etiam inscriptio vasculi in Annal. dell' inst. di corrisp. archeol. IV p. 124, a Goettlingio ad v. 213 memorata.

73) Callimach. epigr. 5, 5. Cf. Eurip. Helen. v. 1470. Athen. VII, 106 p. 318. Pausan. II, 1, 8.

74) Hanc Glaucen nonnulli tertiae Dianae matrem fecerunt. Cic. d. N. D. III, 23. Ampel. c. 9 p. 57 Beck.

74b) Cf. Lucian. dial. marin. I. Lobeck. Prol. Pathol. p. 369. Jahn. Arch. Beitr. p. 411.

75) Welcker, über eine Kretische Colonie p. 6.

76) Vid. Hermann. Opusc. VI p. 168.

76b) A Lycophrone v. 119. 576 etiam Nilus *Τρίτων* dicitur.

mine mare terras ambiens, ut etiam Neptunus *γαιηόχος* est — nam fallitur sine dubio Letronnius[77]), quum de mari cogitat innatantem terram sustinente, quae opinio posterioris demum aetatis fuit —, deoque terras amplexo nulla aptior quam diva Circumflua uxor videbatur, quo nomine ab aliis etiam Nerei uxorem dictam esse supra vidimus[78]). Et notum est *Ἀμφιτρίτην* metonyuice nonnunquam pro ipso mari dici, ut est *ἀγάστονος Ἀμφιτρίτη* Od. XII, 97 et *κύματα Ἀμφιτρίτης* ib. v. 60. — Porro *Νησώ* et *Νησαίη*, vv. 261. 249, Insulia et Insulana, *Ἀκταίη* et *Ἠϊόνη*, vv. 249. 255, Actaea et Littorea, *Ψαμάθη*, v. 260, Arenosa, et *Σπειώ*, v. 215, Specua, facilem habent intellectum. Difficiliora sunt *Πρωτοῦς*, v. 243, et *Πρωτομεδείας*, v. 249, nomina, quorum alterum Blomfieldius ad Aesch. Sept. ctr. Theb. v. 123 corruptum ratus mutabat in *Πρωνομέδειαν*, ut significaretur quae promontoria curat, Goettlingius, scriptum in libris omnibus nomen tuitus, undarum littoralium gubernatricem interpretatur: alterum autem, ab hoc praetermissum,
21 scholiastae indituui volunt aut *παρὰ τὸ πρώτως ἐπιβαίνειν τῆς θαλάσσης*, quod me non satis intelligere fateor[78 b]), aut *παρὰ τὸ πρωτεύειν· πρωτεύει γὰρ ὡς φασὶ τὸ ὕδωρ πάσης ὕλης*, quam explicationem habet etiam Eustathius ad Iliad. XVIII, 43 p. 1130, 62. Additur tertia sententia, *ἢ διὰ τὸ βασιλικὸν τῆς γαλήνης*, quam qui excogitarunt, tranquillitatem maris ac serenitatem *Πρωτώ* dictam voluerunt, utpote regium quendam ac principalem habitum, quemadmodum nos quoque principes Serenissimos appellamus, Byzantii *γαληνότητα* iis tribuunt. Similiter *Πρωτομέδειαν* scholiastae interpretantur, *διὰ τὸ πρωτεύειν τῶν ἄλλων στοιχείων καὶ βασιλεύειν αὐτῶν ὡς ἐξ αὐτοῦ γεγενημένων, ὡς εἴρηται* (scil. ad v. 243), *ἢ διὰ τὸ βασιλικὸν τῶν πρωτίστων τὴν βουλὴν διὰ τὴν σχολὴν καὶ γαλήνην*[79]). Etiam Proteum illum deum marinum veteres dictum

77) Essai sur les idées cosmographiques, qui se rattachent au nom d'Atlas. In Annal. dell' inst. archeol. II p. 169.

78) Hesiodo v. 930 haec, quae Neptuno nupsit, Amphitrite sine dubio Nereïs visa est, quum Oceanidem hoc nomine nullam memoret: Apollodor. I, 4, 6 Neptuni uxorem Oceanidem dicit.

78b) Fortasse hanc esse voluit, quae adsit mare primum ingredientibus, eorumque curam gerat.

79) In Gaisfordii editione, qua sola uti potui, perperam scriptum est *γεγενημένην* pro *γεγενημένων*, omissaque verba *ἢ διά*, quae abesse non posse apparet.

volunt ab eo, quod prima natura ceterarumque omnium origo aqua sit, ut est in Orphico hymno XXIV:

Πρωτέα κικλήσκω πόντου κλῇδας ἔχοντα,
πρωτογενῆ, πάσης φύσεως ἀρχὰς ὃς ἔφηνεν:

eaque ratio, ut in Protei nomine Heynio Schwenckio aliisque probata est[80]), ita quominus etiam in duarum Nereidum, *Πρωτοῦς* et *Πρωτομεδείας*, Primiae et Primicurae, nominibus probetur equidem non intercedam.

Alia porro nomina ad pulchritudinem maris pertinent, *Ἀγαυή*, Miranda, v. 246, et *Πασιθέη*, Conspicua, v. 247, de quo supra diximus, alia ad amoenitatem suavitatemque, ut *Εὐκράτη*, Temperia, v. 244, quae aestivos calores amoeno frigore temperat, aut *διὰ τὸ εὐκράτους διδόναι τοὺς ἀέρας*, ut ait scholiastes: *Ἐρατώ*, Amata, v. 247, et *Μελίτη*, Mellita, v. 246, ad quam similitudinem etiam aliis deabus blanda nomina imponebantur, ut Proserpinae *Μελιτώδης* aut *Μελιτώνη*, Dianae *Βριτόμαρτις*, quod nomen in sermone Cretensium nihil aliud quam dulcem puellam significare Solinus c. 11 testatur. — *Ἁλίη*, Salina, v. 245, si verum est hoc nomen, qua de re infra dicetur, et *Ἁλιμήδη*, Salsipota, v. 255, nullam interpretationem poscunt: *Εὐάρνην* denique, v. 259, eam esse arbitror, quae bonos agnos alat; latine Agnipascam dixeris, quod nomen etiamsi Oceanidi magis quam Nereidi, dulcis aquae fonti quam mari, convenire videatur, — ut Pecupasca fuit in Oceanidibus, — tamen ne a Nereide quidem alienum iudicabunt maris accolae, qui pascua littoralia, quae salsis aquis nonnunquam irrigantur, gratissimum pecori et saluberrimum pabulum praebere sciunt.

Restant novem nomina generis diversi, neque a mari rebusque maritimis ducta, sed aliunde interpretanda, *Θέτις*, *Θεμιστώ*, *Λαομέδεια*, *Λειαγόρη*, *Εὐαγόρη*, *Λυσιάνασσα*, *Αὐτονόη*, *Προνόη*, *Νημερτής*. Ex his *Θέτις*, *δέσποινα πεντήκοντα Νηρῄδων κορῶν*, ut Aeschylus cecinit[81]), longe omnium no- 22

80) Heyn. ad Verg. Georg. IV, 387. Schwenck. Etymol. mythol. Andeutungen p. 181. Cf. Eustath. ad Od. IV, 401 p, 1503, 9.

81) Apud Schol. Arist. Ach. v. 883. — Versus est ex *Ὅπλων κρίσει*, cuius tragoediae argumentum notum est, copioseque expositum a Quinto in Paralip. V, 1—320, cyclicos poëtas, Arctinum in Aethiopide aut Lescben in parva Iliade, aemulato. Quamquam mentionem rei babet iam Odyssea lib. XI, 542 sqq., ubi Ulixes narrat Aiacis animam apud inferos sibi indignatam *εἵνεκα νίκης, τήν μιν ἐγὼ νί-*

bilissima, qua nulla neque in populari religione neque poetarum fabulis celebratior fuit. Nam non solum apud Thessalos in Phthiotide templum habuit, *τὸ Θετίδειον*, prope utrumque Pharsalum[82]), sed in aliis quoque Graeciae partibus, ut apud Spartanos ac Messenios, aedes Thetidis et sacerdotes fuisse comperimus[83]), quum ceterarum Nereidum cultus rara sint et exigua vestigia[84]). Notissima autem est fabula de Iove vel, ut alii aiunt, de Iove et Neptuno, Thetidis nuptias petentibus, quos revocasse Themis dicitur, in fatis esse monens, eum, qui hac matre editus esset, maiorem genitore et potentiorem fore: quamobrem destituerunt illi ab his nuptiis, mortalique viro, Peleo, eam in matrimonium dederunt, ex quo Achillem peperit, heroum omnium longe fortissimum[85]). Huic fabulae quae causa subsit, longum est quaerere et ab hoc loco alienum: sed quidquid est, illud certe manifestum est, permagnum Thetidis numen veteribus visum esse. Idemque, opinor, testatur alia fabula ab Homero memorata, Il. I, 397, quum ceteri dii contra Iovem conspirassent eumque in vincula coniecturi essent, unam Thetin hoc cum periculo liberasse, advocato in auxilium Briareo centimano: ne dicam de Vulcano, quem eadem, deiectum de coelo, excepisse cum Eurynome Oceani filia, de qua supra

---

κησα δικαζόμενος παρὰ νηυσὶν Τεύχεσιν ἀμφ' Ἀχιλῆος· ἔθηκε δὲ πότνια μήτηρ, Παῖδες δὲ Τρώων δίκασαν καὶ Παλλὰς Ἀθήνη: quorum versuum postremum ab Aristarcho spurium indicatum esse schol. Ambr. memorat, rationibus tamen non expositis, quas quam varias ille habere potuerit, quilibet facile coniicit, dictumque hac de re est a Nitzschio. Et fieri potuit, ut in antiquioribus quibusdam editionibus versus abesset. Nam quod Hermannus Opusc. VII p. 363 a cyclicis eum lectum esse ait, non video quo iure faciat, nisi forte credamus nihil de illo certamine cyclicus narrare potuisse, nisi cuius apud Homerum mentionem factam vidissent: quod sane non est ita. Neque hoc ignorabat Aristarchus, illud ipsum de Troianis captivis a cyclicis narrari: non tamen propterea versum vere Homericum esse credidit, sed insertum fortasse ab aliquo, qui rem e cyclicis didicisset.

82) Cf. Strab. IX, 5 p. 431. Eurip. Androm. 117. 135. Intt. ad Pindar. Nem. IV, 50 (81).

83) Pausan. III, 14, 4. 22, 2.

84) Velut Nereides cum Neptuno in Isthmo cultas Pausanias memorat II, 1, 7. cf. Pind. Isthm. V (VI), 9. Alexandrum Nereidibus sacrificasse Arrianus refert E. A. I, 11, 10: Thetidi et Nereidibus Persas, Herod. VII, 191. In universum cf. Orph. hymn. XXIV et Liban. tom. I p. 25 Reisk. Lennep. ad Theog. p. 231.

85) Antiquissimum fabulae testem Pindarum habemus Isthm. VII (VIII), 27 (60) sqq. Add. Apollon. IV, 800. Apollod. III, 13, 5. Quint. Smyrn. V, 338. Schol. Lycophr. v. 178. Eudoc. p. 229. Hygin. f. 54.

dictum est, et per novem annos secum habuisse perhibetur[86]), aut de
Baccho, qui et ipse, quum Lycurgum fugeret, a Thetide receptus et
servatus est[87]). — Nomen deae nonnullis eiusdem ac Τηθύς, Alu- 23
mnia, stirpis esse visum est, itaque a θάω declinatum, unde et τή-
θη et τηθίς sunt, quumque Θητύς esse deberet, correpta prima vo-
cali et mutata terminatione Θέτιν evasisse[88]). Mihi hoc parum pro-
babiliter et contra analogiam sumptum videtur: nam quod comparant
τελχίν et θελγίν, ἐνθεῦτεν et ἐντεῦθεν ac similia, facerent haec ad
rem, si de Τηθύς pro Θητύς aut de Θητύς pro Τηθύς dicto age-
retur: reliquae autem mutationes illis exemplis nullo modo probabilio-
res fiunt. Nec vero quisquam eo confugere volet, ut etiam a veteribus
nonnunquam Thetidis et Tethyos nomina inter se confusa esse dicat:
non enim factum hoc est nisi ab imperitis, velut a mythographo Vati-
cano, infimi subsellii ludimagistro, cui Tethys Thetis maior est, quae
Nereo, qui idem sit atque Oceanus, nupsisse ex eoque Thetin mino-
rem peperisse dicitur. Prudentiores, quod quidem ego sciam, omnes
utramque probe distinxerunt, Thetidisque nomen non a θάω, sed a
θέω, τίθημι deducendum esse censuerunt, in quibus est scholiastes
ad Hom. Il. I, 399, p. 33 a 33, qui Θέτιν τὴν θέσιν καὶ φύσιν τοῦ
παντός interpretatur.[89]). Nec sane dubitandum arbitror, quin θέτις
nomen femininum sit eius quod masculino genere θέτης est, cuius
haec vis, ut significet eum, qui aliquid instituit, ordinat, disponit, in
compositis, qualia sunt ἀγωνοθέτης et ἀθλοθέτης, agnoscitur,
quemadmodum etiam ipsum verbum τιθέναι vel τίθεσθαι saepenu-
mero usurpari nemo ignorat. Erit igitur Θέτις, Stata, quum origine,
tum, ut arbitror, etiam propria significatione eadem ac Θέμις indeque
ductum alterum nomen Θεμιστώ, Statina, quam Thetidis soro-
rem habemus versu 261, duobus scilicet unius divinae naturae no-
minibus in duas personas distributis, id quod non raro factum esse
mythologi sciunt. Adde quod ἀθέτως pro ἀθέσμως Aeschylum in
Prometheo dixisse Hesychius testatur, unde illud recte a Bentleio et re-

86) Hom. Il. XVIII, 395 sqq.

87) Il. VI, 136.

88) Schwenck. etymol. mythol. Andeut. p. 102. Baur. Symbol. II, 1 p. 281. Weisk. Prometh. p. 318.

89) Cf. et Eustath. ad h. l. Heraclit. alleg. Hom. c. 25 Cornut. c. 17 p. 79. Tzetz. ad Lycophr. v. 22.

centioribus editoribus restitutum est Prom. v. 150. Hinc *θετόν* quoque apparet pro eo quod est *θέσμιον* dictum esse aut potuisse saltem dici, et *Θέτιν* esse quasi *Θεσμίαν*, deam res disponentem, legemque iis atque ordinem praescribentem: quae quum a Menelao post Troiam eversam una cum *Πραξιδίκῃ*, iustae vindictae dea, consecrata esse dicatur[90]), videtur hac quoque re coniunctio utriusque numinis, et munus Thetidis ad legem iustitiamque pertinens significari. Talem autem deam quod Nerei filiam fabulae fecerunt, non magis mirabimur, quam quod Metis Oceani filia facta est. Utrumque eandem habuit rationem, explicandam scilicet ex eadem illa vetustissima theogonia, de qua supra dictum est, quae rerum omnium principia legemque ac normam ab aquosa natura primigenia repetebat. Itaque ut Oceanus, sic etiam Nereus ab Orphicis *ἀρχὴ ἀπάντων* dictus est, et filia eius *ἡ θέσις καὶ φύσις τοῦ παντός* suo iure haberi potuit. Iam vero quemadmodum Themis non solum illam universae naturae legem ordinemque
24 omnia complexum moderari, sed praeesse eadem praecipue humanae societati credebatur, legesque, quibus haec continetur, sancire, et vero etiam conventibus hominum et conciliis praeesse, ut est apud Homerum Od. II, 68,

ἥτ' ἀνδρῶν ἀγορὰς ἠμὲν λύει ἠδὲ καθίζει,

eiusque filia *Δίκη* apud Aratum, Phaen., v. 105,

ἀγειραμένη γέροντας
ἠέ που εἰν ἀγορῇ ἢ εὐρυχόρῳ ἐν ἀγυιῇ
δημοτέρας ἤειδεν ἐπισπέρχουσα θέμιστας,

ita nihil mirum sorores Thetidi datas esse *Λαομέδειαν*, Poplicuram, quae populos regeret, et *Λειαγόρην* atque *Εὐαγόρην*, Popliconciam et Facundam, moderatrices scilicet conventuum, in quibus hominum animi dicendo flectuntur, denique *Λυσιάνασσαν*, Regopitulam, quae regibus ac principibus opitularetur eosque sublevaret[91]). Hae enim omnes, quod Thetis et Themisto in rerum universitate, idem ipsae in humana societate efficiebant. — De *Αὐτο-*

---

90) Pausan. III, 22, 2. Cf. quae Muellerus disputavit ad Aeschyl. Eumen. p. 188, acerbius quam iustius vituperatus ab Hermanno Opusc. VI, 2 p. 208.

91) *Παρὰ τὸ λυσιτελεῖν*, ut ait Scholiastes. Non raro *λύειν* hoc sensu dici notum est. Vid. Elmslei. ad Eur. Med. 553. Monk. ad Alcest. v. 644. — Hermannus, epist. ad Creuzer. de tract. mythol. p. 90 maluit *Λυσιάνειραν*, sed mutavit postea iudicium, Opusc. VI, 1 p. 168.

νόη, Cata, et *Προνόη*, Provida, ambigas, utrum huc potius pertinere dicas, an eodem, quo *Νημερτῆ*, Veram, h. e. ad fatidicam quandam vim aquarum, quam etiam in Nereo inesse credebant, quem proinde Hesiodus *ἀψευδέα καὶ ἀληθέα* dicit et *νημερτῆ τε καὶ ἤπιον, οὐδὲ θεμιστέων ληθόμενον*, filiamque Veram praedicat *πατρὸς ἔχειν νόον ἀθανάτοιο.* Ceterum facile apparet utrumque munus quodammodo inter se coniunctum esse, ut quae numina res ordinare ac disponere crederentur, eadem etiam oracula hominibus ederent et futura significarent, quemadmodum Themidem, a cuius notione Thetin et Themistonem vix diversas esse diximus, etiam oraculi Delphici praesidem habitam esse constat, et Proteus Homericus, cuius Hesiodus nullam mentionem habet, deus marinus itemque fatidicus est.

Superest, ut de numero Nereidum videamus, quae quum quinquaginta esse deberent, nunc in nostris theogoniae editionibus aut undequinquaginta nomina leguntur aut etiam unum supra quinquaginta. Etenim si tenemus v. 245 antiquam lectionem

Κυμοθόη, Σπειώ τε, Θόη, Θαλίη τ' ἐρόεσσα,

ut *Θόη* nomen proprium sit, quinquaginta tum demum erunt, si *Πρωτώ*, quod bis positum est v. 243 et 248, semel tantum numeretur. Quodsi aliud alterutro loco nomen reponitur, erunt unum et quinquaginta: contra si relinquitur *Πρωτώ* utroque loco, numeraturque pro uno nomine, *θοή* autem versu 245 pro epitheto accipitur, unum de quinquaginta deerit. Et Hermannus quidem[92]) *Πρωτώ* utrobique teneri vult: esse enim hanc eiusdem nominis repetitionem e diversis recensionibus in unum conflatis explicandam: quod mihi parum probabile videtur. Nam licet hoc non semel in theogonia factum esse intelligam, ut partes aliae aliunde sumptae componerentur, eum tamen qui hoc fecit, sive plures fuisse mavis, simul etiam hanc curam adhibuisse arbitror, ut quam aptissime posset hae iungerentur, et quae repugnarent, tollerentur aut mutarentur. Itaque huius catalogi concinnator dubitari non potest quin, etiamsi in aliis quibus usus est fontibus *Πρωτώ* cum *Εὐκράτη, Σαοῖ, Ἀμφιτρίτη*, in aliis autem cum *Δωτοῖ, Φερούσῃ, Δυναμένῃ* memoratam invenisset, ipse hoc nomen uno tantum loco posuerit, in altero autem aliud substituerit, quod non potuit non facile occurrere, sive *Κραντώ*, quod propter Apollodorum I, 2, 7 Graevius v. 248, Wolfius autem v. 243 rescripsit, quoniam altero

92) In Herm. et Creuz. epistol. Hom. et Hesiod. p. 90.

loco *Πρωτώ* satis tutum videbatur Homerici versus auctoritate, Il. XVIII, 43, eadem illa nomina, *Δωτώ, Πρωτώ, Φέρουσα, Δυναμένη* coniungentis, sive *Πλωτώ*, quod Reizius commendavit, a Benedicto Aegio ex coniectura, ut videtur, inventum receptumque a Boissonnadio, seu deuique *Πρωθώ*, quod Ioannem Diaconum versu 243 legisse verba eius, apud Gaisfordium p. 461, docent. Atque hoc ipsum nomen etiam Hyginus habet praef. p. 6 Munck., cuius catalogus quum certe non ex Hesiodo sed fere totus ex Homero fluxerit, non improbabile est, etiam apud hunc Il. XVIII, 43 olim non *Πρωτώ* sed *Πρωθώ* lectum fuisse, quamquam neque Eustathius neque vetustiora scholia huius lectionis mentionem servarunt. Hoc igitur nomen etiam in theogonia, et quidem non v. 243 cum Ioanne Diacono, apud quem quam facile ordo nominum permutari potuerit, in aperto est, sed v. 248 reponendum esse iudico, ut plane hic versus conspiret cum oblitterata apud Homerum lectione. Commodum vero *Πρωθοῦς* h. e. *Προωθοῦς*, Propellae, nomen esse apparet, apteque iungi cum Ferente: ut etiam *προωθῶν ἄνεμος* dicebatur ventus naves propellens. Iam igitur hoc nomine reposito, si retinemus librorum lectionem in versu 245, hac una mutatione facta, ut ex *Θόη*, proprio nomine, adiectivum *θοή* fiat, habemus quot esse debent nomina quinquaginta. — Atqui retineri illius versus lectionem critici vetant propter versum Homericum l. l. 39,

Νησαίη, Σπειώ τε, Θόη θ' Ἁλίη τε βοῶπις,

ubi de lectionis veritate dubitari non posse videtur: praeterea Muetzellius p. 441 adiectivum *θοή* quum ab reliquorum, quae Nereidibus adiecta sunt, epithetorum natura prorsus dissidere, tum nomini *Σπειώ* si copuletur, sententiam ineptam et ridiculam reddere ideoque spernendum esse autumat. Hos igitur si audiamus, nomina habebimus unum et quinquaginta. Non tamen audiendos arbitror. Neque enim aut ineptum Specuae et ridiculum epitheton videbitur, quum aquas cogitamus in specum aliquam profundam multa cum vehementia et celeritate praecipitantes, id quod et posse et vero fieri multis locis, quis negabit? — aut propterea, quod reliqua Nereidum epitheta a forma et ornatu imposita sunt, nullum a celeritate imponi potuisse credemus. Nam si non dedecere proprium nomen *Θόην* Nereidem fatemur, quid est cur adiectivum *θοήν* decere negemus? Quod autem ad Homericum versum attinet, non dubito equidem, quin hic ipse theogoniae compositori obversatus sit: non video tamen, quid impedire

hominem potuerit, quominus eum ad novi contextus necessitatem leniter immutaret. Nam neque tam coecum cogitare licet, ut non animadverteret, hoc versu, ut erat, recepto numerum Nereidum iusto maiorem fieri, neque tam stulte religiosum, ut nihil mutare auderet, quum praesertim etiam in principio versus pro Νησαίη, quod nomen apud Homerum est, Κυμοθόην nominaverit, illam alteram autem v. 249 posuerit. Et Θαλίην, non θ' Ἁλίην codices quotquot collati sunt Hesiodei omnes offerunt, testanturque hanc lectionem etiam scholiastes et Ioannes Diaconus[93]). In hac itaque nobis quoque acquiescendum erit, reprobandumque vel Ahrensii iudicium, qui, ut numerus iustus fieret, totum versum 259 eiiciendum suasit, vel Goettlingii, cui Νημερτής v. 262, deleta copula θ', pro adiectivo habendum esse videtur, vel denique Mützellii, qui v. 248 Δωτώ θ' ἱμερόεσσα pro Δωτώ τε Πρωτώ τε scriptum fuisse suspicatur et postea Homerici versus recordatione vitiatum: ne dicam de veteribus quibusdam criticis, qui quum Θόην proprium nomen crederent, Κυματολήγην v. 253 pro appellativo habuerunt. 26

Scribebam Gryphiswaldiae mense Augusto ann. MDCCCXLIII.

---

93) Quid? quod apud Homerum quoque nonnullos Θαλίη pro θ' Ἁλίη legisse scholiastae Veneti adnotatio docet; ut theogoniae compositor nihil nisi elegerit eam lectionem, quae ipsi convenientior videretur. — Ceterum Aristarchi hanc lectionem fuisse: — Γλαύκη τε, Ἄλεια τε, Κυμοδόκη τε, Νησαίη, Σπειώ τε Θοή, Θαλίη τε βοῶπις, non mihi persuasit Mützell. p. 442.

DE PHORCYNE EIUSQUE FAMILIA.

3 Fabularis historia Graecorum praeter deos mixtosque divino et humano genere heroes etiam bestiarum magnum numerum inducit, ab his, quas nunc natura gignit, non minus quam ab hominibus deos aut semideos diversarum. Ex harum genere primum eae sunt, quarum dei ministeriis uti putabantur. Nam sicut in omni vitae instrumento atque suppellectile deorum aliquid divinitatis inesse videbatur, utque ἄμβροτα, ἀμβρόσια, ἄφθιτα sunt eorum domicilia, vestimenta, unguenta, arma aliaque utensilia [1]), sic etiam domesticas eorum bestias his, quibus mortales utuntur, longe praestantiores esse conveniebat. Itaque equos deorum pariter cum dominis immortales multi poetarum loci demonstrant [2]): quorum natura quantopere prae nostris equis excellat, vel hinc apparet, quod duo eorum, quos Peleo eiusque filio Achilli utendos dei concesserant [3]), Patrocli mortem prorsus humano sensu deflent [4]), unus autem, cui Iuno aliquantisper sermonis usum impertiverat, etiam futuri se praescium ostendit vaticinaturque Achilli, donec Furiae vocem ei praecludunt [5]). Non minus praestantis naturae alias bestias fuisse consentaneum est, quibus passim deos pro iumentis uti recentiores maxime poetae faciunt, passeribus columbis

1) Cf. Il. XIV, 22. 172. 178. XV, 238. XVI, 670. 680. XVII, 194. XVIII, 370. XXI, 507. XXIV, 321. Od. I, 97. V, 45. 347. VII, 260. 265. X, 222. XXIV, 59 et all.

2) Il. V, 731. XVI, 154. XVII, 444. 476.

3) Cf. Apollod. III, 13, 5. Eur. Rhes. v. 187. Ptolem. Heph. ap. Phot. p. 487 Hoesch.

4) Il. XVII, 426 sqq.

5) Il. XIX, 407 sqq.

cygnis Venerem, item cygnis Apollinem, Pavonibus Iunonem, draconibus Cererem, grype Oceanum, hippocampis alios deos aquarum, de quibus omnibus I. H. Vossius in epistolis mythologicis satis diligenter exposuit, tom. II ep. 10—16. Ne asinos quidem dei dedignabantur. Nam in gigantum bello Vulcanus, Dionysus, Satyri asinis insidebant, 4
quorum ruditu hostes territi aufugisse dicuntur[6]: et Vestae virginitatem ut asellus quondam Sileni servaverit, fabula plena ioci apud Ovidium legitur Fast. VI, 321. Honestiora sunt Dianae iumenta, cervi, quos nymphae trifolio alebant ex hortis Iunonis decerpto, quo pabulo etiam Iovis equi pascebantur[7]. Scilicet erat hoc *εἶδαρ ἀμβρόσιον*, quale Neptuni equis a domino, Iunonis ab Iride proiicitur Iliad. V, 369. XIII, 35, hisque etiam a Simoente submittitur, V, 777, pari quam deorum cibus nomine *ἀμβροσίη* ab Homero appellatum. Sic ambrosiae succo saturos Solis equos Ovidius dicit, Met. II, 120, quos alias herbis pasci videmus terra editis in beatorum insulis[8]. — Neque minus canes passim in deorum ministeriis memorantur. Nam ne de Cerbero dicam, Plutonis ianuae custode, quem propter formae immanitatem vix adhuc canem dicere licet, aut de aureo cane, quem Rhea lactenti Iovi custodem apposuit[9], Dianam venatricem immortales comitantur Molossi[10], ex quorum numero fuit sine dubio Laelaps ille, Procridi dono datus, quem nulla fera effugere poterat[11]. — Denique Iovis regius ales, quem is sceptro suo insidere patitur, ipse adeo deus esse Momo Lucianeo videtur in deorum concilio cap. 8.

Aliud autem genus est bestiarum fabulosarum, quae non, sicut illae, quotidianis deorum ministeriis destinatae et tanquam domesticae sunt, sed ferae immanesque belluae, quarum alias rebus locisque sacris custodes a diis positas videmus ad arcendos mortalium aditus,

6) Eratosth. catast. c. 11. Schol. German. Arat. p. 51 Buhl. Hygin. P. A. II, 23. Mythogr. Rom. I, 11.

7) Callimach. h. in Dian. v. 162. — Ceterum Callimacho cervi Dianae, quam Lunam esse statuebat, hortique Iunonis, quae caeli sive aeris dea est, symbolicam sine dubio significationem habent.

8) Alexand. Aetol. ap. Athenae. VII p. 296 E. cf. Meinek. Analect. Alexandr. p. 238.

9) Anton. Liber. metam. c. 36.

10) Claudian. XXIV, 293.

11) Ovid. Met. VII, 754. Hygin. f. 189, qui aliam de hoc Laelape fabulam memorat in P. A. II, 35.

alias ab iratis numinibus immissas ad exigendas impiorum poenas, alias denique sua sponte ad nocendum paratas: ex quo genere quis ignorat aut draconem Colchicum aurei velleris, alterumque apud Hesperides aureorum malorum custodem, aut Pythonem s. Delphynen, qui Telluris quondam oraculum tuebatur, aut Martium illum fontis custodem a Cadmo interemptum? quis aquilam Promethei iecur lacerantem, Sphingem Thebanis ab infesto numine immissam, aprum Calydonium aut alterum Erymanthium, aut Teumessiam vulpem, taurum Cretensem et Marathonium, aliaque eiusmodi monstra ultricia? quis denique Echidnam, Scyllam, hydram Lernaeam, leonem Nemeaeum? — Sunt autem harum aliae, de quarum ortu nihil memoriae traditum est, aliae, quas terra edidisse dicitur, aliae, quas divinorum numinum potestas finxisse videtur, aliae denique, quarum stirps ab ipsis diis immortalibus descendit, quaeque propter hanc originem et ipsae divae dicuntur[12]). Ex hoc genere divarum belluarum aliquot insigniores, et qua-
5 rum maxima in fabulis celebritas fuit, etiam Hesiodeae theogoniae compositor carmini suo inserendas esse iudicavit: Pegasum equum, Echidnam, ex muliere et dracone mixtam, Cerberum canem eiusque Orthum fratrem, hydram Lernaeam, Chimaeram, Sphingem, leonem Nemeaeum, draconem denique malorum aureorum apud Hesperides custodem: hisque omnibus communem originem assignavit a Ponti filiis, Phorcyne et Ceto, numinibus marinis. Ceterum quo quisque gradu hos parentes contingat, ex huius poetae verbis non satis liquido cognoscimus. Nam Pegasum quidem ex filia eorum Medusa, draconem autem Hesperidum ex ipsis natum esse docemur; sed de Echidna ambigi potest, utrum poeta matrem eius Ceto, patrem Phorcynem, an potius matrem Callirrhoen, unam ex Oceani filiabus, patrem autem Chrysaorem esse voluerit, qui Pegasi frater ac proinde Phorcynis Cetusque nepos fuit. Sic igitur etiam de liberis Echidnae, Cerbero, Ortho, hydra Lernaea, obscurum est, tertione an quarto gradu ab illis descendant. Nec de Chimaera satis liquet, Hydraene an Echidnae filia, proneptis igitur illorum an neptis habenda sit: similiterque Sphinx et leo Nemeaeus ex poetae verbis vel Echidnae vel Chimaerae vel etiam Hydrae

---

12) Chimaera *θεῖον γένος* esse dicitur Il. VI, 180, Echidna *θείη* Hes. theog. v. 296. Scylla diis immortalibus accensetur Od. XII, 117. 118, et Harpyiae deae sunt Valer. Flacc. Arg. IV, 519. Denique aries *χρυσόμαλλος* Neptunum patrem habet, matrem Theophanen. Hygin. f. 188. Schol. German. p. 60.

filii videri possunt [13]). Non sane laudabimus tam obscuram stirpis expositionem; sed ignoscendum tamen fortasse poetae fatebimur, si parvi referre iudicavit, quid de horum monstrorum inter se cognatione statueretur, de quibus sine dubio ne ipsi quidem satis constabat, et quorum commemorationem non propter aliquam religionem aut propter reconditam quandam significationem carmini inseruit, sed ne praetermissa culparentur tot celebrata fabulis nomina, quae ab huiusmodi carmine theogonico, quo ad cognoscendum totum fabularis historiae orbem quasi aditus pararetur, abesse plane non poterant. Hanc ob causam etiam interpreti carminis venia non denegabitur, si non plus se quam ipsum poetam scire profiteatur, neque ad certam quandam rationem revocare conetur huiusmodi figmenta, quae quid sibi vellent et quae cuique significatio subesset neque eum, cuius carmen sibi interpretandum sumpsit, neque alios poetas, easdem fabulas tractantes, intellexisse aut curasse videat. Quamvis enim persuasum habeamus, primam horum figmentorum causam atque originem repetendam esse a priscorum hominum sensu atque ingenio, quo vires naturae earumque motus atque effectus non poterant non personis quibusdam induere, et quae sentirent non proprie sed figurate et per imagines eloqui, fallatur tamen sine dubio, si quis talium personarum et imaginum veram ac genuinam significationem a maioribus ad posteros quasi per manus traditam et doctrinae cuiusdam formula servatam opinetur. Immo longe maxima fabularum pars, quum ortum haberet omnibus, qui supersunt, poetis, etiam antiquissimis, multo vetustiorem, essentque adeo pleraeque earum non in ipsa Graecia natae, sed ex 6
priscis gentis sedibus Asianis allatae, procedente autem tempore, ut fieri solet, aliter ab aliis immutatae varieque vel inter se vel etiam cum peregrinis atque adsciticiis mixtae et contaminatae, tantum denique a primitiva forma degenerarunt, ut prisca significatio agnosci non amplius posset, aut si forte obscurum quendam eius sensum apud non-

13) De his omnibus vid. Mützell. de emend. th. Hes. p. 452. 453. 461, qui qua solet diligentia veterum ac recentiorum interpretum sententias commemoravit. Pauca tantum addenda sunt. Vers. 295 etiam Lennepius, cum Heynio et Wolfio, non Ceto sed Callirrhoen designari credit. V. 319 Hydram intelligit etiam schol.: *ἡ καθόλου, φησὶ, κακία ἐγέννησε τὴν μερικήν*: nam *ἡ καθόλου κακία* ipsi Hydra esse videtur, ad v. 313. Lennepius autem cum iis facit, qui v. 319 de Echidna accipiunt. V. 326 item de Echidna accipiunt Lennep. Voss. epist. myth. II p. 19 (ed. 1.). Welcker. de cycl. ep. II p. 317.

nullos fuisse concedamus, vulgo tamen et a poetis non aliter tractarentur, quam vetustas aut maiorum nostrorum de Sigefrido ac Nibelungis, aut Celtarum de Arturo eiusque equitibus fabulas a poetis aut nostratibus aut Romanensibus tractatas esse videmus. Hinc fit, ut fabularum illarum, quales nunc a poetis varie exornatas atque diffictas habemus, certa ac demonstrabilis interpretatio fere nulla sit, ac praeclare nobiscum actum esse videatur, si quando aliqua priscae significationis indicia quasi per nebulam dispicere licuerit, quod tamen ipsum haud nimis saepe contingit [14]). Atque Graecis quoque ipsis, posteaquam de veterum fabularum suarum significationibus quaerere coeperunt, rem non melius, quam nobis, immo aliquanto etiam peius cessisse interpretamenta eorum ostendunt non modo maxime inter se pugnantia sed prorsus nonnunquam aut arbitraria, aut ridicula atque absurda; quippe quum pauciora etiam quam recentioribus interpretandi subsidia illis praesto essent, neque variorum populorum ac temporum fabulas inter se comparatas examinare possent, in quo examine nonnunquam certe aliquid mutuae lucis ab aliis in alias redundat. Ceterum Graeci fabularum scriptores plerique, nullo interpretandi studio, hoc tantum egerunt, ut, quae a prioribus tradita acceperant, colligerent apteque componerent; ex quo genere fuerunt etiam Hesiodea quaedam carmina, quae veterum heroum stirpes resque gestas quam plurimas complectebantur, Eoeae et mulierum heroidum catalogi. Neque minus huic generi etiam theogonia nostra accensenda est, cuius scriptori hoc propositum fuit, ut deorum ortus atque cognationes et imperii successiones continua serie contexeret, quaeque huic proposito accommodata iudicaret, partim ab aliis mutuata, partim de suo suppleta, probabili quodam ordine componeret. Is igitur, quum etiam de belluis istis fabulosis aliquid dicendum esset, non commodius id fieri posse intellexit, quam si stirpem quandam et cognationem, sicut deorum, sic horum quoque monstrorum proponeret; quumque naturam eorum non admodum inter se dissimilem esse censeret, unam omnium familiam fecit ab unis progenitoribus, Phorcyne et Ceto, oriundam: qua in

14) Conf. quae in eandem sententiam disputata sunt a viro prudentissimo in Iahnii Annal. philol. et paed. tom. XVII p. 350. Obloquitur quidem Uscholdus (Vorhalle zur Griech. Gesch. u. Mythol. I p. 126), sed huius hic ipse liber, in quo fabularem historiam suo modo interpretari conatur, documento est, quam illa vere dicta sint.

re suum potius iudicium, quam traditam quandam vulgoque receptam persuasionem eum sequutum esse non iniuria quum ex ipsarum fabularum contemplatione tum ex aliorum testium comparatione colligere nobis videmur. Nam et in belluis istis non paucae sunt, quae qua ratione his maxime parentibus ortae crederentur, non facile exputaveris, et aliorum scriptorum testimonia docent, licet multi traditam semel 7
ab Hesiodo genealogiam amplexi sint, de compluribus tamen etiam longe diversas aliorum opiniones obtinuisse. — Sed dicemus iam de singulis, et primo loco de iis, quos poeta noster universae huius familiae progenitores fecit.

Sunt igitur Phorcys eiusque uxor Ceto Ponti et Terrae liberi, unde manifestum est, eos maris deos habendos esse pariter cum fratribus Nereo et Thaumante ac sorore Eurybia. Quodsi de propria singulorum natura et significatione quaerimus, Eurybiam quidem nihil aliud esse apparet, quam magnam lateque patentem maris vim, quae quo sensu Crio Titani nupsisse, materque ex eo Astraei, Pallantis, Persae facta dicatur, alio loco a nobis explicatum est [15]). Thaumantem eam maris naturam significare, unde miranda phaenomena arcus caelestis turbinumque et procellarum nasci credebantur, et nomen ipsius, quod recte cum Hermanno [16]) Mirinum interpretabimur, et filiae ostendunt: nam genuisse ex Electra Oceanide Iridem et Harpyias dicitur. Nereum facile agnoscimus numen maris propitium hominibus et benignum. Est enim, ut poeta ait, ἤπιος, οὐδὲ θεμιστέων λήθεται, ἀλλὰ δίκαια καὶ ἤπια δήνεα οἶδε, praetereaque ἀψευδής, ἀληθής, νημερτής, h. e. veracia hominibus vaticinia impertiens: filiae autem eius, quinquaginta Nereides, quas ex Doride, Oceani filia, genuit, pleraeque a maris dotibus variisque commoditatibus, quas homines inde percipiunt, nomina sortitae sunt. Phorcynem vero eiusque uxorem Ceto poetae belluis marinis praeficiunt [17]), quarum plurimae vel magnitudine, vel insolita figura, vel immanitate et noxa insignes sunt: quae

15) In dissert. de Titanibus Hes. p. 20. cf. de Hecate p. 25.

16) De mytholog. Gr. antiq. Opusc. tom. II p. 179.

17) Conf. Plinii loc. H. N. XXXVI, 4, 7, de Scopae opere, in quo effícti erant Tritones chorusque Phorci et pristes et multa alia marina. — Verg. Aen. V, 822: Immania cete — Phorcique exercitus omnis. Valer. Flacc. III, 727: Dat procul interea toto pater aequore signum Phorcys, et immanes intorto murice phocas contrahit antra petens.

quum communi vocabulo cete a Graecis dici soleant, dubitari vix potest, quin hinc Ceto nomen acceperit[18]). Difficiliorem explicationem habet mariti nomen. Hesiodus et Homerus *Φόρκυνα* aut *Φόρκυν*, alii, et primus, quod constet, Pindarus, etiam *Φόρκον* dixerunt, ita tamen, ut altera nominis forma magis frequentata sit[19]). Fuerunt qui *Φόρκον*, ut *Ὄρκον* latinumque nomen Orcum, proprie loca inferna designare vellent, utpote cognatum cum eo quod est *ἕρκος*, quod etiam carcerem significet; idque comprobari censuerunt Homeri (Il. II,
8 755) et Plinii (H. N. IV, 18, 5) locis, ubi Styx *ὅρκος* dicitur: esse igitur Phorcum s. Phorcynem infernarum aquarum numen[20]). Atqui

18) Sic iudicarunt schol. Ven. ad H. theog. v. 238 et Ioann. Diac. Allegor. p. 461 (quamquam is alio loco p. 466 extr. aliam notationem comminiscitur manifesto falsam), porro Guietus, Barlaeus aliique plures. Mire Hermannus Ceto Latuam interpretabatur, nomenque cum verbo *κεῖσθαι* cognatum esse et latentia sub undis saxa scopulosque significare volebat. „Mihi" inquit Lennepius p. 231 „potius est Capacioa, continens in se magna omnia atque immania, cete et huius generis alia, ut sit stirps *κάω*, *χάω*. Suadent hoc vocabula *κητώεσσα*, *μεγακήτης*. cf. Heyn. ad Il. *B*, 581. *Θ*, 222." Mallem Buttmannum laudatum, de voce *κῆτος* aliisque cognatis subtiliter ac verissime disputantem, Lexilog. II p. 95. Sed *Κητοῦς* nomen ut ab obsoleto potius *κάω*, quam ab usitato vocabulo *κῆτος* factum crederetur nulla causa erat. Cf. Lobeck. technol. verb. p. 318. De Cetus epitheto *εὐρυκόωσα* vid. id. Proleg. pathol. p. 41. Etiam Proteo, posteaquam in regem Aegypti transformatus est, nomen a cetis impositum, *Κήτης*: quamquam apud Diodor. I, 62 *Κέτης* scribitur.

19) Conf. Heyn. not. crit. ad Apollod. I, 3, 6. Bachmann. ad Lycophr. v. 477 p. 119.

20) Müller. Orchom. p. 155, cui qui olim assentiebatur, Meinekius ad Euphor. p. 122, post, Lobeckii monitu, Agl. p. 863, sententiam mutavit. Vid. viri egregii Analect. Alex. p. 94. Tamen Phorcum deum infernum autumant Uscholdus (Vorhalle I p. 454), Rückertus (Dienst d. Athene p. 46), et alter Müllerus, Hermannus Ditericus, in libello de Marte p. 73. 74, quo libello etiam alios deos quamplurimos, vulgo in superis numeratos, ad inferos detrudere annititur. Hermannus p. 179 *Φόρκυν* latine Furcum dixit, eoque nomine promontoria et quosvis alios e mari extantes scopulos indicari voluit, ad Hesychium provocans, ubi legitur *πόρκες· χάρακες*: nam cognata esse nomina *πόρκος*, *πόρκης*, furca, Furcus, *Φόρκυς*. Huius auctoritatem sequutus Gerhardus (de Neptuno p. 1) Phorcynem vernacule Klippe interpretatur. Contra Lennepius primo quidem propter Hesychii glossam *φόρκον*, *λευκόν*, *πολιόν*, *ῥυσόν*, Phorcynis nomine nihil nisi senectutem indicari suspicatus, quemadmodum Nereus aliique dei marini *γέροντες* dicuntur, mox tamen Hermanno hactenus assentitur, ut *Φόρκυν*, Furcum, furcam cognata vocabula esse statuat; interpretatur autem *Φόρκυν* Rapacem. Inesse enim in eo nomine auferendi quandam significationem, utpote a verbo *πέφορκα*

Stygem ab Homero aliisque ὅρκον non eo dici, quod inferna sit, sed quod vinciat atque obstringat deos per eius numen iurantes, hodie vix quisquam infitias ibit, post luculentam Buttmanni disputationem, Lexilog. II p. 53. 54. Illud tamen mihi quoque non dubitandum esse videtur, quin cognatum Phorcynis nomen sit cum aliis quibusdam, quorum prima littera non *Φ* est, sed vocalis tantum *O*, aut cum aspiratione, aut etiam cum leni spiritu pronuntiata. Nam primitivam formam *Fόρκυν* fuisse censeo: digamma autem modo in *Φ*, modo in spiritum asperum abiisse, modo prorsus delituisse constat. Sed eandem litteram etiam obduruisse nonnunquam videmus, ut ex *F* fieret *Π*, velut *Πάξος* apud Scylacem p. 42 Gron. vocatur Cretae *Fάξος*, quod nomen alii aut *Ἄξον* aut *Ὄαξον* scribunt. Sic igitur *Φόρκυς*, *Ὅρκυς*, *Ὄρκυς*, *Πόρκυς* nihil nisi variae erunt eiusdem nominis formae, utque *Φόρκυς* mutata declinatione *Φόρκος* factus est, sic etiam *Πόρκον*, eadem declinatione, deum marinum ab Alcmane dictum esse Hesychius memorat. Eum interpretes pro Nereo habuerunt: mihi non dubium est, quin Phorcys fuerit, quem alias quoque a grammaticis cum Nereo confusum memini. Velut ad Lycophronis versum 477, *Φόρκῳ κακῆς ὠδῖνος ἔκλαυσεν βάρος*, vetus scholiastes adscripsit *τῷ Νηρεῖ*, eademque interpretatio est in paraphrasi carminis, p. 311 Bachm. Est autem, quam Lycophro querentem inducit, bellua illa marina, quam Hercules, quum Hesionam raptura esset, telis suis confodit. Haec apud Phorcum queritur propterea, quod omnes huiusmodi belluae sub eius tutela et in eius grege esse putabantur. Nec diversi generis fuisse crediderim serpentes illos, quos e mari excitatos numen Troianis infestum Laocoonti eiusque filiis immisit; quorum unum *Πορκέα* dictum esse Cassandra Lycophronis testatur v. 347. Denique pertinent huc *Ὅρκυνες* s. *Ὄρκυνες*, quo nomine pisces quidam maiores appellantur, ex thynnorum, ut aiunt, genere. *Ὑπέροπλον ὀρκύνων γενεήν* dicit Oppianus Hal. I, 183, *ὄρκυνας μεγακητέας* idem III, 132, itemque *γενέθλην ὀρκύνων ὅσσοι τε δέμας κητώδεες ἄλλοι* III, 334. Apud Latinos

---

ducto, perfecto, ut videtur, eius quod est *φέρω*. Nempe induxerunt virum doctissimum nugaces veterum quorundam interpretum notationes: velut schol. th. ad v. 237: *Φόρκυνα, τὴν περιφορὰν τῶν ὑδάτων.* ad v. 270: *Φ. ἡ ἐπιφορὰ τῶν ὑδάτων.* cf. Io. Diac. p. 466. Porro Etym. M. p. 798, 38 et Zonar. p. 1818: *Φ. παρὰ τὸ φέρεσθαι ὠκέως.* Eustath. ad Od. I, 75. *Φ. ἴσως διὰ τὸ φέρεσθαι κυνηδὸν τὸν ἄγαν παροξυνθέντα.*

9 et Orcyni dicebantur, ut apud Plin. H. N. XXXII, 11, 53, et brevius Orcae, quam formam et Plinius habet, IX, 6, 5, et recentiores quoque Itali usurpant de magnis et immanibus belluis marinis, quae cete apud Graecos vocantur. Talis est apud Ariostum, Orl. fur. Cant. X st. 94, illa, cui in Ebuda insula virgines, ut cetis Andromeda et Hesione, exponebantur,

quel smisurato mostro, orca marina,
che d'aborrevol esca si nudriva;

quae paullo post, st. 109, la smisurata cete dicitur. Et masculina quoque nominis forma, l'orco, monstrum appellatur in Syriae littore habitans, partim Polyphemo Homeri, partim Proteo simile, apud eundem poetam Cant. XVII st. 29—35. — Iam si conceditur, id quod sane concedendum est, haec omnia de quibus diximus vocabula stirpe ac significatione inter se cognata esse, belluasque designare marinas magnas atque immanes, nihil obstat, opinor, quominus Phorcynem quoque simili ratione atque Ceto, uxorem eius, a belluis istis denominatum esse statuamus, quas mare alit, quaeque in horum deorum tutela esse credebantur. — Cultum etiam Phorcynem in quibusdam Graeciae partibus esse non improbabile est, licet certa rei testimonia desint[21b]). Ex Homero portum in Ithaca fuisse discimus, Phorcynis dictum, Od. XIII, 96, unde non immerito religionem aliquam eius dei apud Ithacenses fuisse suspiceris. Quumque migrasse Phorcys ex Achaia in Cephalleniam dicatur[22]), etiam his locis eum cultum fuisse

21b) Apud Plinium, H. N. V, 13, Ceto a Phoenicibus culta dicitur, quam apparet non aliam esse quam Derceto, quod nomen etiam rescribendum esse videtur, quamvis codices repugnent, et Starkius quoque, (Gaza u. d. philist. Küste p. 257) illud alterum tueatur.

22) Schol. Od. l. l. *Φόρκυν δαίμων θαλάσσιος τὸ πρότερον διατρίβων πρὸς τῷ Ἀρυμνίῳ λεγομένῳ ὄρει τῆς Ἀχαΐας, οἰκῶν δὲ τὴν Φόρκυνος ἀπ' αὐτοῦ καλουμένην βῆσσαν· κάτω* (*κᾆτα* em. Barn.) *δὲ φανὲν αὐτῷ καταλιπὼν τὰς τρίβους ταύτας ἀφίκετο εἰς τὴν Κεφαλληνίαν.* — Montem Arymnium in Achaia nullum novi, videturque nomen corruptum esse. Fortasse scribendum *Ἀροανίῳ*, quamquam ne hoc quidem nomine montem in Achaia memorari video. Sed erant montes Aroanii in Arcadia (Paus. VIII, 18, 3), fluviusque Aroanius in Pheneatarum agro (Id. ib. c. 14, 3. 21, 1), et *Ἀρόη* in Achaia, pars urbis Patrensium. (Id. VIII, 18, 2). Curtius Pelop. I p. 450 (cf. 426) *Ἀρύμνιον* i. q. *Ἐρύμνιον* esse putat, dictumque sic montem eum, qui alias Araxus dicitur. — Ceterum, nisi fallor, etiam apud Corcyraeos aliquem Phorcynis cultum fuisse ex nummis eius insulae colligi potest: sed certior horum notitia me fugit.

conieceris. — *Φόρκυνος ὁρμητήριον* apud Lycophronem v. 376 dicitur de mari prope Euboeam, unde etiam in hac insula eius dei sedes fuisse videri possit: quamquam vetus interpres illud de mari in universum dictum esse credit, quemadmodum in Phanoclis elegia v. 20 mare saevum dicitur *Φόρκου στυγνὸν ὕδωρ*[23]), deusque ipse apud Homerum *ἁλὸς ἀτρυγέτοιο μέδων*, Od. I, 72. — *Φόρκου πύλας* Carystius Pergamenus Cyaneas esse dixit, ut refert schol. Theocrit. XIII, 22: *Καρύστιος ὁ Περγαμηνός φησι Κυανέας μὲν ὑπὸ ἀνθρώπων, ὑπὸ δὲ θεῶν Φόρκου πύλας καλεῖσθαι*: nam sic pro *Ὄρκου πύλας* scribendum esse Meinekius suasit ad Menand. p. 141, probante Lobeckio Agl. p. 863 aliisque. — Denique Orphicorum quoque theologia Phorcynem ascivit, sed locum ei, aliter atque Hesiodus, in Titanibus assignavit, quos illi quattuordecim numerabant, septem masculos totidemque feminas, quum duodecim iis, quos etiam Hesiodus nominat, hos duos, Phorcynem maribus, Dionen feminis adiungerent. Hos Plato 10
sequutus, Timae. p. 40E, Phorcynem fratrem dicit Saturni et Rheae; sed hactenus tamen dissentit, quod patrem horum non Caelum, ut Orphici, sed Oceanum dicit, qui apud illos, item ut apud Hesiodum, eorum frater fuit: cuius dissensionis causam equidem non credo, cum Proclo, ex recondita quadam et subtili ratione philosophica, sed tantummodo ex memoriae lapsu repetendam esse.

De liberis Phorcynis primum eos percensebo, quos a theogoniae compositore praetermissos alii scriptores memorant. Igitur filiam eius Thoosam Homerus nominat, Od. I, 71, matrem ex Neptuno Polyphemi Cyclopis, cuius propter immanitatem formae ac morum etiam de matre coniecturam capere licet, ut non incongrua parenti suo filia fuisse censeatur[24]). Porro Scyllam Phorcynis filiam Acusilaus dixit[25]).

23) Veram huius dicti sententiam Ruhnkenius ep. crit. extr. et Lobeck. Agl. p. 969 intellexerunt. Conf. Schneidewin. Delect. poet. eleg. p. 159. Falsam nonnullorum opinionem, qui Stygem illis verbis designari crederent, miror Hertzbergio probari potuisse in Diurn. antiquar. ann. 1847 p. 29.

24) Apud Servium ad Verg. Aen. V, 824 et mythogr. Rom. I, 129. II, 167 Thoosa non filia Phorcynis dicitur sed mater, pater autem Neptunus: qui utrum antiquiores auctores habeant, an memoria lapsi sint, nescio. Sed Neptuni filius Phorcys etiam ap. schol. Aeschyl. Prom. 793 et schol. Lucan. IX, 646 dicitur; quemque cum Phorcyne confundi supra vidimus, Nereum quoque filium Neptuni a nonnullis habitum esse ex Apollodoro I, 7, 4, 2 colligi potest.

25) Apud schol. Apollon. IV, 828. schol. Hom. Od. XII, 85. Tzetz. ad Lycophr. v. 45 et 650 p. 717.

Scilicet fuit haec quoque ex illo monstrorum marinorum genere, quorum Phorcys principatum habuit. Mater Scyllae ab Homero *Κραταιΐς* dicitur, quod nomen aliis proprium, aliis appellativum visum est: Acusilaus Hecaten eo significari credidit, quam opinionem etiam Apollonius profitetur, Arg. IV, 829:

Σκύλλης Αὐσονίης ὀλοόφρονος, ἣν τέκε Φόρκῳ
νυκτιπόλος Ἑκάτη, τήντε κλείουσι Κραταιΐν.

Id quam recte factum sit, non attinet hoc loco quaerere: sed Hecaten Scyllae matrem etiam in Hesiodeo Eoearum carmine datam, patrem autem non Phorcynem sed Phorbantem dictum esse Apollonii scholiastes refert, de quo quid statuendum sit non satis liquet. Suspicor tamen scholiasten, aut eum, quem is auctorem habuit, falsa Eoearum scriptura deceptum esse: quod si ita est, Acusilaum, ut in ceteris rebus plerisque[26]), sic etiam in Scyllae parentibus Hesiodi auctoritatem sequutum esse dicemus. Tertia Phorcyni proles Sirenes datae sunt, cuius rei testem habemus Sophocleum Ulixen apud Plutarchum, Sympos. IX, 6. Et fuerunt sane haec quoque monstra non magnopere a cetero Phorcynis grege abhorrentia. Denique etiam Hesperides Phorcynis et Cetus filias habitas esse scholiastes Apollonii memorat, ad IV, 1399, auctorem nullum laudans. Neque ego id ab aliis relatum memini: nam Eudocia p. 434 violetum suum ex illius scholiastae fonte irrigavit. Videtur autem res ab aliquo inventa esse, qui quum in eadem cum Hesperidibus regione, extremo occidente, etiam Phorcynis et Cetus filias,
11 Graeas cum Gorgonibus, habitare videret, his illas ut loco sic etiam sanguine coniunctas esse vellet. Quod autem ab Euphorione Eumenides quoque ad Phorcynis familiam relatae sunt, ut eius *θυγατριδαῖ*, h. e. neptes ex filia, eo difficilius est ad explicandum, quod quaenam ab illo mater earum dicta sit ignoramus. Nam Meinekii suspicio[27]), Noctem, quae mater Eumenidum apud Aeschylum aliosque perhibetur, ab Euphorione Phorcynis filiam habitam esse, admodum incerta nec valde probabilis est[28]).

Ex iis autem, quos theogoniae compositor Phorcynis et Cetus liberos facit, unus maxime ad belluarum, quarum ille tutelam gerit, simi-

26) Vid. Clem. Alex. Strom. VI, 2, 26 p. 112 Klotz.

27) Analect. Alexandr. p. 94.

28) Heynius, ad Apollod. I, 1, 4 p. 6, Medusam ab Euphorione matrem Eumenidum habitam fuisse coniicit.

litudinem accedit draco Hesperidum. Ac de Hesperidibus quidem, si quis primam fabulae causam quaerat, et quidnam fortasse physicae rationis inclusum sit, explorare conetur, permulta tentari possunt tentataque sunt a veteribus et recentioribus interpretibus, quae, quoniam nimis omnia incerta sunt, silentio praetermittemus. Id vero manifestum est, a poetis hanc fabulam sic fere tractari, ut Hesperides nymphae quaedam esse dicantur incolae et custodes beatissimarum regionum, quas extra nostrum orbem terrarum ultraque Oceanum ad occidentem sitas dei sibi proprias hominibusque inaccessas esse voluerint. In his enim regionibus horti esse credebantur Iunonis, Iovis aliorumque deorum[29]), et Iunonis in hortis arbor aurea mala ferens mirae atque insolitae pulchritudinis, ex eorum satu, quae quondam Tellus in Iunonis cum Iove nuptiis e sinu suo fuderat illique pro munere obtulerat. Iam sicut Olympiis deorum sedibus custodes Horas esse videmus, adilum earum aperientes claudentesque[30]), sic etiam his deorum hortis custodes quasdam dari consentaneum fuit. Hoc igitur munere Hesperides fungebantur, quas Hesiodus Noctis filias fecit, propterea scilicet, quia Noctis vicina sedes erat; alii Hespero aut Atlante natas dixerunt[31]), cuius in propinquo statio fuit; alii denique has quoque Phorcyni filias dederunt, quemadmodum paullo ante vidimus. Quo magis autem ab hortorum illorum accessu mortales arcerentur, etiam draconem custodem addiderunt ingentis magnitudinis: qualem custodem etiam aureo velleri apud Colchos appositum fuisse fabulae memorant, huius hesperii sororis filium: nam Echidna eum ex Typhoeo peperisse dicebatur. Ac si verum dicit scholiastes Apollonii ad IV, 1396, etiam hesperius ille in alio quopiam carmine Hesiodeo non Phorcynis, sed Typhoei filius dictus fuit[32]). Nomen ei Ladonem fuisse complu-

29) *Τὸν τῶν θεῶν κῆπον, ὃς ἦν παρὰ τῷ Ἄτλαντι*, inquit Pherecydes apud Eratosth. Catast. c. 3. Iunonis hortos dicunt Hygin. P. A. II, 3 et schol. German. Arat. v. 49. Iovis hortos memorat Sophocl fr. Ion. ap. Stobae. flor. tit. 103 p. 452, Oceani Aristoph. Nub. v. 272; fueruntque sine dubio hortorum illorum suae cuique deo partes peculiares.

30) Homer. Il. V, 749. VIII, 393.

31) Serv. ad Verg. Aen. IV, 484. Mythogr. Rom. I, 38. II, 161. III, 13, 5. Cf. Diodor. IV, 27.

32) Typhoei et Echidnae filium hunc hesperium draconem etiam Pherecydes fecit, eodem scholiasta teste. Cf. Apollod. II, 5, 11, 2. Hygin. pr. p. 12 Munck. — Ceterum scholiastae illius de Hesiodo testimonium Mützellio p. 463 suspicionem iniecit magnae cuiusdam in nostris theogoniae exemplaribus corruptelae: cautius

12 res tradiderunt, quod nomen etiam fluvii fuit in Arcadia, factum, ut arbitror, indidem, unde est verbum λάζεσθαι, quod pro λαμβάνειν a poetis dicitur, ut λάδων sit i. q. λάβρος. Certe aptum hoc nomen non minus draconi quam flumini [33]). Ut enim λάβρους ποταμούς dici nemo nescit, sic λάβραι γένυες draconibus non semel tribuuntur [34]). Aliis tamen Λάδων quasi Λάθων esse videtur, a latendo appellatus, quoniam scilicet latentia et ab hominum conspectu remota loca custodiret, aut ipse in abdito specu lateret [35]).

Huic Echidnam subiungimus, iisdem parentibus natam. Nam matrem Echidnae in theogonia non Callirrhoen, ut nonnulli crediderunt, sed Ceto dici nobis quidem vix dubitari posse videtur. Figuram eius poeta describit ex muliere et serpente compositam:

ἥμισυ μὲν νύμφην ἑλικώπιδα καλλιπάρῃον,
ἥμισυ δ' αὖτε πέλωρον ὄφιν δεινόν τε μέγαν τε,

natam autem ait in specu quodam subterraneo, ubi mater eius habitaverit, ipsi vero sedem obtigisse in Arimis [36]), quos in Ciliciae montibus esse nunc fere constat inter eruditos. In iisdem locis Typhoeum Homerus iacere docet, Il. II, 783, cui Echidnam Hesiodeus poeta coniugem dat. Ex hoc coniugio non minus quam ex formae similitudine —

Lennepins p. 257 scholiasten memoriae errore lapsum esse credit; verum ne id quidem statui necesse est, quandoquidem dissensionum inter theogoniam aliaque carmina, quae Hesiodi esse dicebantur, complura exempla sunt. Vid. diss. de fals. indic. lacun. th. Hes. p. 13.

33) Rapax Ladon dicitur ab Ovidio Fast. V, 89. Cf. ib. II, 274: quique citis Ladon in mare currit aquis. Etiam in Actaeonis canibus unus Ladon est ap. Ovid. Met. III, 216.

34) Vid. Pindar. Pyth. IV, 435 (244). Eurip. Herc. fur. 253.

35) Welcker, Ueber eine kretische Colonie etc. p. 4. Völcker, geogr. myth. p. 110.

36) Versus theogoniae, quorum non idem in omnibus codicibus ordo est, sic fortasse ordinandi sunt, inde a v. 300:

300 ποικίλον, ὠμηστήν, ζαθέης ὑπὸ κεύθεσι γαίης,
303 ἔνθ' ἄρα οἱ δάσσαντο θεοὶ κλυτὰ δώματα ναίειν
302 τηλοῦ ἀπ' ἀθανάτων τε θεῶν θνητῶν τ' ἀνθρώπων.
304 Ἡ δ' ἔρυτ' εἰν Ἀρίμοισιν ὑπὸ χθόνα λυγρὴ Ἔχιδνα,
305 ἀθάνατος νύμφη καὶ ἀγήραος ἤματα πάντα,
301 ἔνθα δέ οἱ σπέος ἐστὶ κάτω κοίλῃ ὑπὸ πέτρῃ.

In codd. Rehdig. et Taurin. hic est versuum ordo: 300. 303. 304. 305. 301. 302; sed non puto quae in Arimis habitet, eam recte dici potuisse habitare procul a diis atque hominibus.

nam ut Echidna superiore parte virgo, inferne serpens est, sic Typhoeus cum membris humanis capita gerit serpentina, — etiam naturam utriusque monstri non dissimilem haberi posse consequitur. Significat autem Typhoeus vim magnam vaporum, qui in terrae visceribus gigni, erumpentesque multorum saepe et magnorum malorum, procellarum, vorticum, presterum, turbinum igneorum terraeque motuum causae esse credebantur: paremque Echidnae significationem esse et veteres interpretes et recentiores intellexerunt. Velut schol. th. ad v. 297 eam in cavo specu natam dicit *διὰ τὸ μὴ λείπειν ἀπὸ τῶν κοίλων τῆς γῆς πνεύματα, ὠμηστὴν* autem, ad v. 300, *διὰ τὸ ἀπηνὲς τῶν σεισμῶν, ποικίλον* denique *διὰ τὸ διάφορον τῆς* 13
κινήσεως[38]). Hermannus autem[39]), licet argutari videatur in *Ἀρίμων* nominis interpretatione, quos Turgetinos esse vult, a verbo *αἴρεσθαι*, illud tamen non inepte statuit, forma Echidnae significari terrae motus massaeque liquefactae torrentes tortuoso cursu procedentes et flammis lucidis conspicuos. — Ceterum de parentibus Echidnae non omnes cum Hesiodo consentiunt. Nam Epimenides eam Pirante nescio quo et Styge prognatam fecit[40]), alii autem, quos Apollodorus sequitur, (II, 1, 2, 5,) Tartari et Terrae filiam dixerunt, sororem itaque Typhoei germanam; quumque ab Hesiodo v. 305 *ἀθάνατος* dicatur *καὶ ἀγήραος ἤματα πάντα*, ille eam aliquando ab Argo interemptam esse memorat. Nisi quis hanc Echidnam ab illa Phorcynis filia distingui debere credat. Sed dubitari tamen non potest, ad significationem Echidnae, qualem proposuimus, hos parentes optime convenire, et magis etiam quam Phorcynem et Ceto. Nam ne quis forte aquarum nos subterranearum admoneat, quarum exhalatione vapores illi vehementes et perniciosi gignantur: subterraneum Phorcynem

---

38) His plane gemina habet Ioann. Diacon. p. 464: *τὴν Ἔχιδναν ἐν γλαφυρῷ σπηλαίῳ ἀποτίκτει, τὸ ἥμισυ μὲν γυναῖκα, τὸ ἥμισυ δ' ὄφιν οὖσαν ποικίλον, ὠμηστήν, παρόσον ἐκ πνευμάτων ἀποκλειομένων τοῖς κοιλώμασι τῆς γῆς οἱ ἐλαύνοντες καὶ δονοῦντες τὴν γῆν συνίστανται σεισμοί, οὕστινας δὴ διὰ μὲν τὸ τῆς ἐν αὐτοῖς ξηρᾶς θυμιάσεως ἀνωφερὲς νύμφην ἑλικώπιδα κατὰ τὸ ἄνω μέρος ἡ αὐτονομία ἡ Ἑλληνικὴ προσηγόρευσε, διὰ δὲ τὸ κάτωθεν τὴν τοιαύτην ἀναθυμίασιν ῥοιζηδὸν ἐπιτελεῖσθαι — — ὄφιν ὠμηστὴν ὠνόμασε.*

39) Opusc. II p. 181.

40) Pausan. VIII, 18, 1: *Ἐπιμενίδης ὁ Κρὴς εἶναι μὲν καὶ οὗτος θυγατέρα Ὠκεανοῦ τὴν Στύγα ἐποίησε, συνοικεῖν δὲ αὐτὴν οὐ Πάλλαντι, ἀλλὰ ἐκ Πείραντος Ἔχιδναν τεκεῖν, ὅστις δὴ ὁ Πείρας ἐστίν.*

equidem me agnoscere non posse iam supra significavi, et patrem hunc Echidnae ab Hesiodo propterea tantum datum esse credo, quod qui deus immanium in mari monstrorum dominus esset, ipse quoque immanis et ad procreanda eiusmodi monstra praecipue aptus esse videretur. Consensisse autem de Echidnae parentibus cum Hesiodo etiam Pherecyden ex Apollonii scholiasta ad II, 1248 cognoscimus.

De Chimaera iam supra dixi non satis liquere, utrum Echidna eam an hydra Lernaea natam poeta velit: illud tamen verius esse videtur propter consimilem utriusque naturam sediumque propinquitatem. Nam in Lycia, haud procul ab Arimis, Chimaeram fuisse constans fama est, cuius iam Homerum testem habemus Il. VI. 179, itemque XVI, 328, ubi illa enutrita esse dicitur ab Amisodaro, cuius filii, Atymnius et Maris, bello Troiano militant in Sarpedonis comitatu. Et memoratur etiam oppidum Lyciae, *Λνεύς* nomine, ubi eam educatam dixerunt[41]), ipsumque nomen Chimaerae diutissime haesit faucibus quibusdam prope Cragum et Anticragum, Lyciae montes, ubi crateres olim ignivomi fuisse memorantur[42]). Qui fabulosa nomina omnia ex
14 Graecorum sermone explicari debere statuunt, hos non mirum est, *Χίμαιραν* de *χειμάρρῳ* interpretatos esse[43]), quibus assentiens Hermannus etiam Amisodari nomen graecum esse vult, Perpetivastium, a verbis *δέρω* et *μίω*, quod findendi significationem habere, ex eoque *μίτος*, *μίνυνθα*, *μικρός* et oppidi quoque *Ἀμίσου* nomen facta esse putat. Ego Lyciae regionis et regis nomina a Lyciis ad Graecos translata esse crediderim, de quorum significatione certius iudicari posthac fortasse poterit, si maiorem linguae Lyciorum notitiam ex monumentis hauserimus. Interim de Chimaera dubitari non posse videtur, quin ea ignium vim significet ex montium cacuminibus magno cum fragore erumpentem, una cum rivis sulphuris arenae saxorumque liquefactorum indidem egestis magnamque saepe camporum

---

41) Etymol. M. p. 189, 41.

42) Ioannes Diaconus etiam sua aetate, h. e. ut videtur, saeculo p. Chr. nono aut decimo, illud nomen apud Lycios usurpatum esse testatur p. 465: *Εἴρηται δὲ καὶ Λυκηγενέτῃ ἀνθρώπῳ, ἐμοῦ δῆθεν αὐτὸν ἐρωτήσαντος, εἰ ἔστιν ἄρα ἐν Λυκίᾳ τῆς Χιμαίρας τόπος, ἐν ᾧ φασὶν αὐτὴν διατρίβειν, ὡς ἔστι μὲν τὸ καλούμενον Χίμαιρα χωρίον, ἐν ᾧπερ ἐξελθεῖν τὴν θάλασσαν εἶπεν ἐκεῖνος ἀκοῦσαί ποτε, καὶ κοίλανσίν τινα τῷ τόπῳ ἐμποιῆσαι, ἣν δὴ κοίλανσιν οἱ ἐγχώριοι Χίμαιραν προσαγορεύουσιν.*

43) Vid. schol. theog. v. 319. Ioann. Diac. l. l.

subiectorum partem vastantibus. Formam ex leone et dracone mixtam huiusmodi belluae satis convenientem esse apparet; capram Graeci fabulatores addidisse videntur propter nomen a Lyciis acceptum, quod graece capram significat. Bellerophon porro cum Chimaera depugnans, cuius item theogonia mentionem facit, eandem significationem habere videtur, quam Iupiter Typhoei cubile fulminibus suis verberans, apud Homerum Il. II, 782. Nam quum montium ignivomorum cacumina frequentissime fulminibus ferirentur, caelestis ille deus, cuius fulmina tela sunt, belluam in montibus istis versantem debellare vimque eius coercere videbatur[44]). Bellerophontem, Corinthiorum maxime fabulis celebratum[45]), plerique Solem aut solarem heroem esse consentiunt, neque ego aliter censeo. Sed vim ac numen Solis in vetusta Corinthiorum religione aliquanto latius patuisse arbitror, quam ut diurno curriculo lumen atque calorem diffunderet. Colebatur ille ut caeli rex summusque mundi moderator, plane ad Iovis instar, ideoque etiam fulmina in potestate habere putabatur, id quod demonstrant nomina Solis equorum ab Eumelo, Corinthio poeta, commemorata, Bronte et Sterope[46]). Sed quum variae eius numinis virtutes ac potestates variis etiam nominibus designarentur, hinc postmodo variae deorum aut heroum personae confictae sunt, ex quarum numero Persen atque Aeeten alibi consideravimus[47]). In his itaque etiam Bellerophon censendus est, sive nomen eius cum recentioribus quibusdam ex *Βελλεροφάντῃ* corruptum statuimus, primamque nominis partem de luce interpretamur, eiusdem stirpis, cuius est *ἕλη*, ut *β* ex digamma ortum sit[48]), sive cum veteribus *βέλλερα* s. *ἕλλερα* esse credimus noxia et perniciosa, *Βελλεροφόντην* igitur *τὸν τὰ βέλλερα φονεύοντα*[49]). Ad solarem vero naturam Bellerophontis comprobandam maxime facit 15 pictura antiqui crateris, heroem Chimaerae victorem repraesentans cum capite radiato ad Solis instar, de qua dixit O. Iahnius in symbolis ar-

44) Cf. H. A. Fischer, Belleroph. p. 86.

45) Fuit eius etiam *τέμενος* Corinthi, unde patet, divinis eum honoribus affectum fuisse. Pausan. II, 2, 4.

46) Hygin. f. 183. Cf. schol. Eur. Phoen. v. 3. schol. Il. XXIII, 295.

47) In dissert. de Hecate Hes. p. 26.

48) Vid. Uschold. Vorhalle etc. I p. 466. Fischer. l. l. p. 88. Düntzer de Zenodoti stud. Hom. p. 103.

49) Etym. M. p. 194, 51. Cf. Hermann. opusc. II p. 183. Völcker. Mythol. Iapet. p. 186. Rückert, Dienst d. Athene p. 98.

chaeologicis p. 119. De Pegaso autem, cui insidens ille Chimaeram debellasse dicitur, paullo infra patefiet, quam aptus is equus fuerit deo fulminanti.

Chimaerae ab Hesiodo Sphinx subiungitur et leo Nemeaeus, ita tamen, ut non appareat, hacne an alia matre eos natos esse velit, quemadmodum iam ante diximus. Patrem utrique Orthum dat, Typhoei et Echidnae filium; hisque ipsis etiam Sphingem filiam plerique dederunt[50]). Orthum qui patrem eius dixerit praeter Hesiodum neminem invenio. Aptior sine dubio Typhoeus visus est vel propter similitudinem naturae, vel etiam propterea, quod in Boeotia, ubi Sphinx olim sedem habuisse credebatur, Typhaonius quoque mons fuit, haud procul a Sphingio monte situs, Typhonis quondam in his regionibus versati monumentum[51]). Naturam Sphingis non minus quam Typhonis aut Chimaerae perniciosam hominibus et pestiferam esse facile agnoscimus; verum qualis ea maxime fuerit, parum liquet, adeo ut, quae olim aenigmata hominibus proposuisse dicta est, nunc ipsa dici possit aenigma esse. Nos autem, qui ad Oedipi laudem non adspiremus, repetere solutiones ab aliis propositas, quam novam ipsi periclitari malumus. Itaque Godofredus Hermannus, nomen Sphingis A n g i n a m interpretans, aestum ac fumum significari credit, quibus homines angantur et suffocentur in terrae motu igniumque subterraneorum eruptione: neque alter Hermannus ab hac sententia multum abhorret. Nam Sphingem item Anginam dicit, homines constringendo suffocantem atque enecantem, noxiosque vapores significari innuit, sive terrae motu, sive ex paludibus exhalatos[52]). Contra Forchhammerus nuper[53]) Sphingis nomine frigus potius ac gelu significari statuit, comparans Boeoticam

50) Apollodor. III, 5, 8, 2. Hygin. praef. p. 12 et f. 67 p. 116. f. 151 p. 121. — Euripides Phoeniss. v. 1020 Sphingem dicit *γᾶς λόχευμα νερτέρου τ' Ἐχίδνας*, ad q. l. scholiastes: *γέννημα μὲν τῆς τῶν Θηβαίων γῆς. ἐνταῦθα γὰρ ἐγεννήθη. λόχευμα δὲ τοῦ Τυφῶνος καὶ τῆς καταχθονίου Ἐχίδνης.* Sed secundum Pisandrum ap. schol. ad Phoen. v. 1760 Sphinx non in Thebano agro nata fuit, sed advenit *ἀπὸ τῶν ἐσχάτων μερῶν τῆς Αἰθιοπίας.* Pisander sine dubio non vetus ille Camirensis est sed alter hoc longe recentior, falliturque Vossius, sched. crit. II p. 327, quum Aethiopiae nomine Pisandri Camirensis aetate etiam Lyciam comprehensam esse ex ista scholiastae relatione colligit.

51) Conf. dissert. de Typhoeo p. 25.

52) C. F. Hermann. Quaest. Oedipod. p. 114.

53) Extat viri acutissimi dissertatio in menstruis Halens. (Allgemeine Monatsschrift für Wissenschaft u. Litteratur) ann. 1852 p. 208—221.

eius formam *Φῖξ* cum latino verbo *figo*, quum praesertim *σφίγγεσθαι* etiam aqua dicatur frigore constricta, apud Plutarchum de prim. frig. c. 11: *αὐτὸ μὲν γὰρ καθ᾽ αὑτὸ τὸ ὕδωρ εὐδιάχυτον καὶ ἀπαγὲς καὶ ἀσύστατόν ἐστι, ἐντείνεται δὲ καὶ συνάγεται τῷ ἀέρι, σφιγγόμενον ὑπὸ ψυχρότητος.* Atque hanc ob causam Sphingi etiam Echidnam et Orthrum parentes dari. Nam Echidnam nihil aliud esse quam aquam, Orthrum autem — sic enim rectius quam Orthum scribi — matutinum tempus significare, quo tempore frigus vehementissimum esse solet. Et formam quoque Sphingis huic significationi accommodatam esse. Immotam enim et rigidam proponi, 16
quamvis alatam et corpore leonino. Item frigoris significationem ex eo cognosci, quod in Chiorum nummis amphora cum Sphinge conspicitur[53 b]): nam pertinere hoc ad morem ab Athenaeo memoratum, vinum, cuius ea insula ferax, per glaciem refrigerandi. Item Sphingem Minervae galeae impositam, ut aeris numinis: nam in aere frigoris causam esse veteres plerique statuebant. Denique comprobari hanc interpretationem pictura quadam crateris Apulici, ubi Sphinx est nive oppleta, et adstans ei Satyrus cum barba nivea et veste item nive oppleta, qui avem frigore mortuam quasi exprobrans Sphingi ostendat, et ante pedes eius anguis erectus, qui aquam significet congelatam[53 c]). Ex his igitur diversis interpretationibus eam quisque amplectatur, quae ipsi maxime probabitur[54]). Nam habet utraque aliquid commendationis, neque ego intercedam, si quis utramque veram esse credat, quippe quum videam Graecos ipsos, primitiva talium figmentorum significatione dudum oblitterata, easdem fabulas aliter alios accepisse et exornasse. Hesiodus autem quid de Sphinge statuerit, et cur Orthi eam non Typhoei filiam fecerit, matremque utrum Echidnam an Chimaeram esse voluerit, vix, opinor, ipse, si ab inferis excitari posset, confidenter responderet.

53b) Cf. Böttiger. Vasengem. I, 3 p. 98. Whitte, de rebus Chiorum p. 64.

53c) Extat haec pictura etiam apud Wieselerum, Denkmäl. des Bühnenwes. tab. VI no. 10; interpretationem longe diversam Wies. p. 47 et Iahnius, Archaeol. Aufs. p. 144 not. 50 proposuerunt.

54) Uscholdi sententiam (Vorhalle I p. 588) cui Sphinx Lunam significat, silentio praeterire decuit, quamquam probatam a Brannio, Annal. dell' inst. archeol. X p. 267. Idem tamen, alio loco, Mythol. §. 116, de *pestilentia* cogitavit, Welckerus, Annal. dell' inst. XIV p. 215 de *sole occidente*. Chr. Petersen in Iahn. Annal. phil. et paed. vol. LXV (1852) p. 59 fere consentit cum C. F. Hermanno.

De Nemeaeo leone, quem hic poeta Sphingis germanum facit, non parva est testimoniorum discrepantia. Nam alii bunc quoque Typhoei filium dicunt[55]), plerique autem luna ortum esse autumant, sive delapsum ab ea sive e spuma eius concretum, quam cistae inclusam Iuno acceperit[56]). Naturalem aliquam pestem etiam huius belluae imagine significari manifestum est, et talem quidem, cuius causam veteres in luna esse crederent; neque repugnabo, quominus cum Forchhammero[57]) vis aquarum intelligatur in convalle Nemea stagnantium locaque longe lateque inundautium. Quid? quod ipsum leonis vocabulum comparatur a viro doctissimo cum eo quod est λειάς, quod λειμῶνα s. τόπον κάθυδρον designat: ut propter nominum λειάς et λέων similitudinem leonis imago ascita esse videatur. Potest, ut verum dicat: minus autem veri simile, quum Σελήνην quoque nihil aliud esse vult, quam convallem Nemeam aquis inundatam. Probabilius lunam significari dicemus humorum causam. Nam lunae magnam vim esse in moderandis tempestatibus caelique mutationibus veteres pro certo babebant, quamobrem etiam aquarum exundationes verno tempore non sine illius efficacia fieri censebant. Et celebratum Lunae numen in hac parte Argolidis fuisse vel hinc colligi potest, quod ipsam
17 regionem ab Lunae ex Iove filia Nemea nomen habere dicebant[58]). Quod autem leonem illum lunarem Iuno excepisse et aluisse dicitur, cuius rci etiam noster poeta mentionem iniecit v. 328, non difficilem habet explicationem. Nam sive terrae principatum Iunoni in hac fabula tributum esse statuimus, excipit terra sinu suo aquas, quae collectae mox largiter promanant; sive aeris moderatricem credimus, aer quoque alimenta aquis suggerit in campos sese effundentibus. Adiungit autem poeta etiam Herculis mentionem, qui leouem illum domuerit.

55) Apollodor. II, 6, 1.

56) Vid. qu. laod. Wesseling. ad Diodor. IV p. 256. Heyn. ad Apollod. p. 142. Meinek. Analeet. Alex. p. 85. C. Müller. fragm. hist. Gr. II p. 30. De cista auetor est Demodocus in libro primo Horacleae apud Ps.-Plutarch. de flnv. c. 4. Ceterum o verbis scholiastae Apollonii ad I, 498: τὴν δὲ σελήνην Ἀναξαγόρας χώραν πλατεῖαν ἀποφαίνει, ἐν ᾗ (ἐξ ἧς) δοκεῖ ὁ Νεμαῖος λέων πεπτωκέναι, non arbitror tuto concludi posso, Anaxagoram qooqne hanc fabulam adoptasse eaque usum esse ad suam do luna sententiam comprobandam, ut visum est O. Müllero Dor. I p. 442.

57) Hellenika p. 213 sqq. 220. 21.

58) Schol. Pindar. hypoth. Nem. p. 425 Bekh.

Nimirum haec fuit praecipua huius belluae aliarumque similium commemorandi causa, quod celebratissima in fabulis erant Herculis cum iis certamina, quorum primum contra Nemeaeum leonem fuit. Ceterum de certaminibus rebusque gestis Herculis quae fabulae feruntur, non uno omnes modo interpretandas, neque eandem in omnibus personam Herculis et significationem esse satis constat. Modo enim physicam, modo ethicam, modo etiam historicam quandam rationem iis subesse videmus. Et historicam quidem hanc intelligi volo, quum quae antiquissimis temporibus a priscis hominibus gesta atque effecta erant, ad unum nobilissimum heroem, qui tanquam universi generis personam sustineret, referuntur: velut quum in agro Pheneatarum cuniculi essent derivandis aquis exundantibus antiquissimo opere effecti, hos cuniculos Pheneatae ab Hercule effossos esse autumabant[59]. Physica ratio est, quum sub Herculis persona vis aliqua naturalis indicatur, quae quas in rerum natura mutationes efficit, haec tanquam gesta herois narrantur: velut plurima Herculis opera ad Solem eiusque effectus summo iure referuntur, de quorum uno nos quoque paullo infra disseremus. Ethicam denique fabulis rationem subesse dico, quum quid virtus humana possit Herculis exemplo ostenditur, quo pertinet aquilae Promethei interfectio, cuius etiam theogonia v. 526 sqq. mentionem facit, ipsiusque Promethei liberatio. Nam totam hanc fabulam Prometheam non physicam neque historicam, sed tantummodo ethicam significationem habere certissimum est. Sed in poetarum carminibus, quorum maxime olim celebrata fuit Heraclea Pisandri, itemque in mythographorum libris, ex quibus plenissime res Herculis Apollodorus persequitur, haec tria genera fabularum multifariam inter se mixta et confusa videmus, estque saepenumero difficillimum ad diiudicandum, cuinam quaeque fabula generi accensenda sit, et sunt etiam, quarum significationem ex physica et historica mixtam dicere liceat, quum res gestae priscorum hominum Herculi tribuuntur, non tamen ut gestae erant, propriisque verbis enarratae, sed imaginibus involutae. Propriis verbis utebantur Pheneatae, quum effodisse Herculem cuniculos dicebant; per imagines rem non absimilem Argivi narrabant, quum Nemeaeum leonem ab Hercule domitum dicebant. Nam haec sine dubio simplicissima maximeque probabilis fabulae explicatio,

59) Pausan. VIII, 14, 2. 3. Cf. Catull. carm. LXVIII, 109.

ut domuisse leonem Hercules dictus sit, quia derivatis aquis loca inundata siccaverit.

Gemina autem huius fabulae altera est de hydra Lernaea ab eodem heroe interempta, cuius item theogonia mentionem facit v. 316.
18 Nam aquarum vim perniciosam iam ipsum ὕδρας nomen indicat. Sedem autem ea habuisse dicitur in locis palustribus circa Lernam, ubi ad fontem Amymonen etiam platanum antiquam monstrabant, sub qua illa iacuisset, Pausan. II, 37, 4. Ibi quum olim verno tempore aquae ex montibus silvisque propinquis confluerent omnesque circa campos inundarent, insalubresque ac pestilentes facerent, huic malo prisci incolae remedium adhibuerunt aquis per fossas derivandis silvisque, unde alebantur, incensis, quam rem fabulae ab Hercule eiusque comite Iolao effectam esse dicunt. Atque ipsa Apollodori narratio eiusmodi est, quae de vera significatione fabulae admonere etiam tardiores possit. *Ἡ ὕδρα*, inquit ille II, 5, 2, 1, *ἐν τῷ τῆς Λέρνης ἕλει ἐκτραφεῖσα ἐξέβαινεν εἰς τὸ πεδίον, καὶ τὰ βοσκήματα καὶ τὴν χώραν διέφθειρεν*: ac paullo post: *Ἰόλαος — μέγα τι καταπρήσας τῆς ἐγγὺς ὕλης ἀνιέναι ἐκώλυε τὰς ἀποτμηθείσας κεφαλάς.* Nam capita Hydrae excisa quid aliud sunt, quam aquae derivando coercitae? quae ne nova semper incrementa e circumiectis silvis caperent, has incensas esse videmus[60]). Posteriores poetae acceptam a prioribus fabulam varie exornarunt, capita Hydrae enumerantes, quae alii novem, alii quinquaginta, alii centum fuisse dicunt, mediumque horum aureum[61]), et cancrum quoque addentes a Iunone immissum, qui pugnanti cum Hydra Herculi calces morderet, id quod primus Panyasis narrasse dicitur[62]), acceptum tamen fortasse ab antiquioribus. Nam non discordat certe cum reliqua fabula, nec difficilem habet interpretationem. Ceterum Herculem Hydrae victorem multis Solem significare visum esse non miramur[63]). Magis mirum, quod fuerunt, qui Hydram,

60) Veram fabulae interpretationem ut vulgo receptam etiam Servius prodit ad Verg. Aen. VI, 287: „Constat Hydram locum (scr. lacum) fuisse evomentem aquas vastantes vicinam civitatem, in quo, uno meatu clauso, multi erumpebant. Quod Hercules videns loca ipsa exussit et sic aquae clausit meatus. Nam hydra ab aqua dicta est.“ Exscripsit haec Mythogr. Rom. III, 13, 5.

61) Aristonic. ap. Ptolemaeum Heph. Photii p. 475 Hoesch.

62) Eratosth. Catast. c. 11. Hygin. P. A. II, 23. schol. German. Arat. v. 146, vol. II p. 51 Buhl.

63) Cf. schol. th. v. 313. Ioann. Diac. p. 464.

hoc est aquaticum serpentem, urendo et torrendo stirpibus nocuisse dicerent, quasi ignea quadam vi caloris aestivi, in quibus Euphorion apud schol. Arat. Phaen. v. 519:

ἢ μὲν πάνθ' ὅσα που φύει εὐδείελος αἶα,
ἢ φυτὸν ἢ ποίην, ὅτεῳ χριμψαίατο λύθρον,
ὡς πυρὶ καρφόμενα ψαφαρῇ ἰνδάλλετο τέφρῃ[64]).

Quae res documento esse potest, quam caute et circumspecte in fabularum interpretatione poetarum testimoniis utendum sit. Et Hesiodum quoque, quum parentes Hydrae Typhoeum et Echidnam faceret, non credo vetustam traditionem sequutum esse, sed hanc solam causam habuisse, quod serpenti serpentinos parentes aptos esse iudicaret. Nam natura quidem Hydrae ab his duobus perquam sine dubio diversa fuit.

Iisdem parentibus duo canes editi dicuntur, Cerberus et Orthus, quorum alteri caudam draconis multaque serpentum capita fabulae tribuerunt, alterum, qui biceps ab Apollodoro dicitur[65]), non admodum 19
fratri dissimilem fuisse credere licebit: eaque forma, quamquam non diserte ab Hesiodo memorata, — nam *πεντηκοντακάρηνον* tantum Cerberum dicit, — dubitari tamen vix potest, quin ei nota fuerit eumque permoverit, ut Typhoeum et Echidnam, non absimilis formae monstra, parentes iis daret, qua in re posteriores eum sequuti sunt[66]). Propter hanc originem Cerberi etiam significationem parentibus congruam interpretes quaesiverunt, velut schol. theog. v. 311, nomen illius, cum plerisque, a *κέαρ* (*κῆρ*) et *βορός* factum esse ratus, ut aliquo certe modo ad terrae motus, quorum Typhoeum et Echidnam auctores esse intellexit, etiam Cerberus pertineret, hoc nomen propterea ei inditum esse ait, *παρόσον οἱ ὑπὸ σεισμοῦ καταποντιζόμενοι βιβρώσκονται τὸ κέαρ*. Recentiores nomen partim indidem repetunt, vertuntque Cerberum Seelenfresser[67]), partim *Κέρβερον* transpositis litteris pro *Κρέμερον* dictum volunt, quod interpretantur Hiscium,

64) Adscripsi versus ex emendatione Meinekii, Analect. Alex. p. 96.

65) Apoll. II, 5, 10, 3. Cerberum quoque non raro bicipitem proponi notum est. Vid. Gerhard. auserles. Vasenb. II p. 155, 13.

66) Hygin. pr. p. 12. fab. 151. Ovid. Met. VII, 408. Quint. Smyrn. VI, 261.

67) Schwenck. etymol. myth. Andeut. p. 137. — Herzfresser, ait Dammius, Lex. Hom. p. 2919, denotarique putat „statum infelicem damnatorum." Auctorem citare potuit Eusebium, Pr. eu. III, 11, 8: *παρὰ τὸ τὰς κῆρας ἔχειν πρὸς βοράν, ὃ δηλοῖ τὰς ψυχάς.*

crateremque significari aiunt seu fauces, unde ignes erumpant[68]); alii dubitari non posse autumant, quin *Κέρβερος* nihil aliud sit quam *Ἕσπερος*, spiritu in tenuem palatinam, sibilante in caninam, labiali tenui in mediam mutatis[69]); alii denique *Κέρβερον* ex Erebo nomen habere volunt, quasi *Ἐρεβερόν*[70]): quae omnia eiusmodi sunt, ut non miremur, si quis, desperata probabili ex graeco interpretatione, ad peregrinas linguas confugiat. Nam ne de Clerico dicam, qui Kerbrosch proposuit, ex Phoenicio krab, quod proelium, et rosch, quod caput significaret, nuper Moversius, Cerberum Sirium sidus esse contendens, nomen eius verum in Phoenicum sermone Kelb-eri, canem igneum, esse affirmavit[71]), Hitzigius autem sanscriticum haberi mavult, a voce çarvari, quae noctem significet[72]), denique Zoega comparavit saltem *Κέρβερον* cum aegyptio vocabulo chremrem, h. e. murmur, fremitus[73]), licet illud inde factum esse non audeat dicere. In tanta igitur dissensione quis est, qui certi aliquid a sese proferri posse speret[74])? Ego quidem ignorantiae confessionem coniectandi temeritate potiorem esse iudico. Neque illud nunc quaerere libet, quidnam physicae significationis Cerbero inclusum videri possit. Nam apud Hesiodum certe ceterosque poetas[75]) nihil aliud est quam Orci custos. Scilicet custodiri ut humanarum aedium ianuae, sic etiam domus Plutoniae aditus a cane debere videbatur; sed infernum canem quam maxime terribilem et immanem fingi consentaneum erat.

68) Hermann. Opusc. II p. 182.
69) Völeker. geagr. Hom. p. 132.
70) Welcker. Trilog. p. 130 not. 171. Nachtr. p. 91.
71) Movers. Phoenic. I p. 436.
72) Hitzig. de Philistaeis p. 300.
73) Zoega de obeliscis p. 290.
74) Si qui sint, quibus Völckeri sententia non displiceat, his animi causa aliam viam monstrabo eodem perveniendi, per linguam Sabinorum, quam a veterum Pelasgorum sermone non valde diversam fuisse facile credeat. Sabini igitur creperum dixerunt de tempore inter noctem et diem, tenebras et lucem medio, quod quam dubium atque ambiguum sit, post etiam in alias res dubias et obscuras vocabulum translatum est. A Crepero autem per traspositionem ad Cerperum, atque hinc ad Cerberum paullo sane facilior quam ab Hespera transitus est.
75) Harum antiquissimus Homerus non nominat quidem Cerberum, commemorat tamen *κύνα στυγεροῦ Ἀΐδαο*, Il. VIII, 368. cf. Od. XI, 621, quos locos contra nonnullarum dubitationes defendit Lauerus Quaestt. Hom. p. 34.

De alterius canis nomine ambigitur, utrum Ὄρθρος an Ὄρθος sit. Illud non mirum est iis placuisse, qui Cerberum Vesperum esse opinati sunt, et ex veteribus quoque interpretibus nonnullos id probare videmus[76]). Codicum in tali re non magnam auctoritatem esse apparet: tamen quum plerique et Hesiodei et aliorum scriptorum libri Ὄρθον offerant, nulla causa esse videtur, cur hanc formam spernamus, quam cum Mützellio etiam Goettlingius et Lennepius tenuerunt[77]). Ut autem Cerberus Plutonem, sic Orthus Geryonem dominum habet[78]), additusque ab eo est Eurytioni bubulco ad custodiam armentorum, quae in Erythia insula trans Oceanum in obscuro stabulo, σταθμῷ ἐν εὐρώεντι, habentur, donec ea Hercules abducit bubulco et cane interemptis, th. v. 289—294. Est autem Geryones pariter cum cane suo de Phorcynis et Cetus prosapia. Nam ut canem horum filia Echidna ex Typhoeo peperit, sic ille a Chrysaore et Oceanide Callirrhoe prognatus est, Chrysaor autem ex Medusa ortum habet, una de Gorgonibus Phorci et Cetus filiabus. Fabulam de armentis Geryonis ab Hercule abductis imprimis a poetis celebratam varieque exornatam habemus, ut non mirum sit, genuinam eius et antiquam formam multis modis immutatam significationemque obscuratam esse. Sunt enim qui distinguant haec Geryonis armenta a Solis bubus in eadem insula stabulantibus, itemque a Plutonis, quorum ibidem statio fuit sub Menoete pastore[79]). Sed recte iam alii perspexerunt, una eademque,

---

76) Ioannes Diaconus partim ad v. 293, ubi ait: κτείνει μέντοι ὁ Ἡρακλῆς καὶ τὸν Ὄρθον (sic perperam editur: nam proxima verba demonstrant Ὄρθρον legendum esse) καὶ τὸν Εὐρυτίωνα τὸν βουκόλον τοῦ Γηρυόνου, τοὺς ὄρθρους τε τοὺς μεγάλους δηλαδὴ καὶ τὰς νύκτας τὰς εὐρείας. partim ad v. 327, ubi Sphingem interpretatur ex Orthro et Chimaera genitam, παρόσον ἐν ταῖς ἑωθιναῖς καταστάσεσι καὶ ὀρθριναῖς ἐπιγίγνεται σφοδροτέρα καὶ ἐπικρατεστέρα ἡ ψύξις. Sic etiam schol. Venet. ad eundem versum. Sed antiquior et doctior scholiastes Cantabrig. Ὄρθον legit idque unum interpretatur, ad v. 293; neque Ioannes Diaconus se hanc formam plane spernere ostendit: nam profert p. 463 interpretationem huic soli convenientem.

77) Praeter ea, quorum Mützellius p. 229 meminit, cf. Ruperti ad Sil. Ital. XIII, 845 et Koechly ad Quint. Smyrn. VI, 253. Ceterum Vossius, epist. myth. I p. 106, ὄρθρος vocabulum apud nullum ante Ibycum se legisse dicens, memoria lapsus est. Legitur etiam in Hesiodi O. et D. v. 577.

78) Fuerunt tamen, qui eum Atlantis canem dicerent. Schol. Apollon. IV, 1399.

79) Apollodor. I, 6, 1, 4. II, 5, 10, 7.

armenta intelligenda esse, quae vel Solis, vel Plutonis, vel Geryonis di-
21 cantur[80]). Nempe ad Solem ea proprie pertinebant, Pluto autem aut Geryones huic subducta in potestate habebant, donec iis rursus ab Hercule erepta sunt. Magnam autem inter Geryonem ac Plutonem intercedere similitudinem iamdudum Fridericus Iacobsius observavit[81]). Nam primum sedes utriusque vicinae sunt, Erythia trans Oceanum in extremis mundi partibus ad occidentem, Plutonis domus in eadem regione haud procul ab Atlantis statione (v. 767 coll. 746), *πείρασιν ἐν γαίης πρόπαρ Ἑσπερίδων λιγυφώνων* (v. 518), *ἐσχατιῇ πρὸς νυκτός* (v. 275). Porro ut Pluto Cerberum, sic Geryones Orthum canem habet, huius fratrem et eiusdem sine dubio naturae et significationis. Denique ubi Geryonis, ibi etiam Plutonis armenta sunt, adeo propinqua, ut, quum illa ab Hercule abducantur, Menoetes, alterius gregis pastor, statim rem Geryoni nuntiet. Custodiebat autem Menoetes boves in aditu Orci: ibi igitur etiam Geryonis boum *σταθμὸν εὐρώεντα* fuisse intelligitur. Mitto alia minus ad probandum idonea, velut quum nomen *Γηρυονεύς* a *γῇ* et *ῥέω* v. *ἐρύω* compositum dicitur, ut significet eum, qui homines sub terram ad se detrahat, id quod in Plutonem optime quadret, aut quum pater eius Chrysaor idem ac Saturnus, mater Callirrhoe eadem ac Rhea esse creditur, ille a falce cognominatus, — quae tamen a poetis non aurea sed ex adamante fuisse perhibetur, — haec autem ab eo, quod est *ῥεῖν*, fluere. Sed similitudinem Geryonis cum Plutone etiam ea, quae proposui, satis demonstrant. Veteres interpretes vim hiemis sub eius persona significari existimant, nomenque inditum statuunt *ἀπὸ τοῦ γηρύω τοῦ φωνῶ*,

80) Vid. Creuzer. Symbol. IV, 295. Völcker. geogr. myth. p. 129. Vogel. Hercul. p. 20. Gerhard. Auserl. Vasenb. II p. 69. Müller. Dor. I p. 425. Hic quidem ad Panyasin provocat, apud schol. Od. XII, 301; sed is haud satis disertum testimonium dicit. *Νυμφόδωρος* (sic enim pro *Μεμψίδωρος* v. *Μεμψόδωρος* scrib. cum Eberto, Diss. Sicul. p. 191) *ὁ τὴν Σικελίαν περιηγησάμενος καὶ Πολύαινος καὶ Πανύασις φύλακα τῶν Ἡλίου βοῶν Φυλάκιον* (cod. Vind. *Φύλαιον*, Meinek. Anal. Alex. p. 370 *Φύλακον* aut *Φαλακρόν*) *φησὶ γενέσθαι, ὃν Φιλοστέφανος Αἰολιδοῦν* (h. e. Aeoli filium) *εἶναί φησι καὶ ἔχειν ἐν Μύλαις ἡρῷον*. Hoc unum ex hoc testimonio disci potest, Panyasin Solis armentorum in Sicilia mentionem fecisse: utrum eadem haec dixerit cum illis, quae Hercules Geryoni ademerit, an diversa, non liquet. Quamquam non infitior, a nonnullis etiam Geryonem in Siciliam translatum esse, qua de re infra dicetur.

81) Ueber den Mythus des Geryones. Vermischte Schr. VI p. 145—167.

διὰ τὰς τότε τῶν ἀνέμων καὶ ὄμβρων ταραχάς[82]), triplicem autem (*τρικάρηνον* th. v. 287) fingi, *παρόσον ὁ χειμὼν τὴν πλείονα ἰσχὺν τῶν ἄλλων μερῶν τοῦ χρόνου* (h. e. *τοῦ ἐνιαυτοῦ*, ex noto usu recentioris graecitatis) *ἀπηνέγκατο καὶ τὴν ἐξοχήν*, id quod hactenus certe probandum puto, ut nihil ea figura praeter robur insolitum designatum credam. Fabula autem de Solis armentis in Geryonis stabulo detentis comparanda est cum altera de iisdem ab Alcyoneo gigante abactis[83]), qui propterea *ὁ βουβότας Ἀλκυονεύς* a Pindaro
dicitur, Isthm. V (VI), 48: neque illud casu factum, quod Geryonis 22
interfector Hercules etiam in gigantomachia Alcyonei victor est[84]). Nam Hercule vim verni caloris significari non dubium est; Alcyoneus et Geryones hiberni temporis frigus significant, quo tempore quum Solis vires fractae et debilitatae sint, opes ei ab infestis potestatibus subtractae videbantur. Opes autem Solis cur boum potissimum imagine repraesentatae sint, variae causae excogitari possunt[84b]). Mihi

82) Verba sunt scholiastae Veneti ed. Trincav., ap. Gaisf. p. 413 not. m. Eandem interpretationem habet Ioannes Diac. p. 463 extr., cuius etiam sunt verba de forma Geryonis a nobis adscripta. De bubus haec ait p. 464: *αἱ βόες δὲ τοῦ Γηρυόνου ἐν Ἐρυθείῃ περιρρύτῳ λέγονται νέμεσθαι παρόσον αἱ βρονταὶ καὶ αἱ βοαὶ τῶν νεφῶν αὔξονταί τε καὶ θάλλουσιν ἐκ τῶν ἀναδιδομένων καὶ θεουσῶν ἀναθυμιάσεων ἐξ ὑγροτέρων τόπων.* Similiter G. I. Vossius, de Idol. III, 8 p. 765 boves propter mugitum tonitrun significare credit. Sed diversae interpretationis reliquiae servatae sunt in farragine scholiorum ad v. 289: *τὸν μὲν ἄρ' ἐξενάριξε βίη Ἡρ.] Τὸ θερμὸν τοῦ ἀέρος. ἐπειδὴ τότε τὰ ζῶα ταῦτα προσέρχεται.* Scribendum sine dubio *προέρχεται.* Sunt enim *τὰ ζῶα ταῦτα* boves Geryonis, *τὸ θερμὸν τοῦ ἀέρος* Hercules, totiusque annotationis, cuius hanc particulam servatam habemus, haec sententia fuit: Tempore verno, redeunte calore, cuius vim Hercules designet, boum greges prodire e stabulis, quibus per hiemem (Geryonem) inclusi fuerint.

83) Apollodor. I, 6, 1, 4. *οὗτος δὲ καὶ τὰς Ἡλίου βόας ἐξ Ἐρυθείας ἤλασε.* Alii Alcyoneum Herculi boves praeteragenti praedam eripere conatum esse tradiderunt. Vid. schol. Pind. Nem. IV, 43. Simile fuit Nelei facinus a Philostrato memoratum, Heroic. III, 1 p. 696. Hinc illud certamen, in quo Plutonem Neleo suppetias ferentem Hercules vulneravit. Hom. Il. V, 395. Paus. V, 25, 3. De Nelei coniunctione cum Plutone cf Boeckh. ad Pind. Ol. IX, 31 p. 189. Welcker. Alte Denkm. III p. 303 sqq. Nomen eius non credo cum Schwenckio, Andeut. p. 180, i. q. *Νηρεύς* esse, sed potius i. q. *νηλεής*, aptum epitheton deo *νηλεὲς ἦτορ ἔχοντι*, theog. v. 456.

84) Apollodor. I, 6, 1, 7.

84b) Plerique nubes significari aiunt, nec me fugit multis fabulis hanc interpretationem peraptam esse: omnibus adhiberi posse non credo.

propterea factum videtur, quod humanorum etiam regum opes antiquissima aetate armentis maxime constabant, quodque Soli greges aliquot locis consecrati erant[85]). Accedebat etiam haec fortasse causa, quod sicut hominum greges aestivo tempore in campis pratisque pascuntur, hieme autem stabulis inclusi tenentur, sic fabulosos Solis greges consentaneum erat aestate in pascuis suis libere vagantes, hieme autem stabulo inclusos cogitari. Hiberni autem temporis gravitatem Graeci ab infernis numinibus repetebant, quamobrem Geryonem pari iure cum veteribus hiemem, quam cum Iacobsio Plutonem interpretari licet: nempe Geryones est Pluto quatenus hiemem immittit[86]). Eurytionem pastorem vel cum Iacobsio a formae amplitudine viriumque magnitudine appellatum putabimus, vel cum veteribus a pluviis hibernis, *διὰ τὴν εὐμαρῆ ῥύσιν τῶν ὑδάτων*, ut ait schol. ad v. 293[87]);

85) Vid. Nitzsch. ad Hom. Od. tom. III p. 386. Sed ceterorum quoque deorum boves in Pieria sub Olympo pascentes ostendit hymn. Hom. in Mercur. v. 70, quae licet *ἄμβροτοι* dicantur, mactantur tamen postea duae a Mercurio v. 119, ut naturali quidem morti non obnoxiae esse, sed necari tamen a diis posse videantur.

86) Hiemis cum diis infernis coniunctionem multae fabulae demonstrant, sed omnium apertissime ea, quae est de Proserpina a Plutone rapta et per tertiam anni partem h. e. per menses hibernos apud inferos retenta. Nam Proserpinam naturae vim vegetabilem significare nemo ambigit. — Cum fabula de bubus Solis apud Geryonem detentis comparari potest altera de Apollinae boves apud Admetum pascere coacto. Nam Admetum quoque initio deum inferorum fuisse satis a Müllero aliisque demonstratum est. Vid. illius Dor. I p. 320. Prolegg. myth. p. 300. Boves vel Admeti diei poterant, qui eas tunc in potestate haberet, vel Apollinis h. e. Solis, ad quem dominium earum iure pertineret. Hinc factum, ut a posterioribus Apollo et Admeti et suas ipsius boves pavisse diceretur, quasi duo fuissent greges diversi, (vid. Aotan. Liber. c. 13) quemadmodum etiam Solis armenta in Erythia tanquam diversa ab iis, quae Geryones haberet, memarari videmus ab Apollodoro I, 6, 1, 4 et II, 5, 10, 1. Item quod ab eodem Apollodaro etiam Plutonis boves memorantur sub Menoete pastore Ceuthonymi filio, nemo dubitabit, quin proprie hae quoque non minus quam illae alterae Solis fuerint, quas quad alii apud Plutonem sub Menoete, alii in Erythia sub Eurytione detineri dixerunt, nihil nisi diversae eiusdem rei traditiones sunt. — Ceterum de raptis deorum armentis ab infestis potestatibus etiam aliarum gentium fabulae erant, Indorum atque Germanorum, cum his Graecorum quodammodo comparandae, de quibus nuper accurate disseruit A. Kuhnius in Hauptii Diurn., Zeitschrift f. deutsch. Alterth. vol. VI p. 117—134.

87) Etiam Centaurum Eurytionem ab *εὖ* et *ῥυτάς* dictum statuit C. F. Hermann. Goetting. Anz. ann. 1845 p. 262, itemque Gerhard. auserl. Vasenb. II, p. 71 not. 25.

quamquam haec verba in editionibus alieno loco leguntur, quasi ad Orthi significationem explicandam pertineant. Huius nomen equidem nihil aliud, nisi **erectum** atque **attentum** denotare dixerim. Insula denique Erythia dicta est a caeli vespertini rubore, quippe occidenti soli subiecta. — Ceterum de situ Erythiae variae post Hesiodum opiniones veterum fuerunt. Nam quum alii eam in Iberia collocarent prope Tartessum, aut non diversam a Gadibus esse censerent[88]), Hecataeus, ut Arrianus refert, E. A. II, 16, circa Ambraciam et Amphilo-
chos Geryonem regnasse, atque hinc boves ab Hercule abactas esse 23
contendit, Scylax, Peripl. p. 23 Gron., Erythiam in Cestride, quae Epiri pars est, commemorat, ibique Geryonem habitasse ait, denique Pseudo-Aristoteles, Mirab. Ausc. c. 145, ex vetere inscriptione apud Hypatam Thessaliae reperta probari posse credit, fuisse in hac regione Erythum locum, non Erythiam, atque hinc Herculem boves abegisse[89]). „Tam mature" inquit Heynius haec memorans, ad Apollod. obs. p. 166 „Graeci ipsi in suis fabulis seu argutari seu ineptire coeperunt." Atqui habuerunt tamen illi fortasse, quod non inepte sequerentur. Nam sicut Admetum, quem pariter ac Geryonem pro deo inferorum habendum esse constat, in Thessalia quondam regnasse fabulae ferebant, propterea scilicet, quod ibi eius numinis religio olim maxime floruit, sic etiam de Geryone antiquissima fabula haec fuisse videtur, eum in quadam Graeciae parte regnasse, unde quum ab Hesiodo vel etiam iam ante Hesiodum ab aliis in remotiores regiones ultimumque occidentem translatus esset, non tamen plane oblitterata sunt vetustioris traditionis vestigia, quibus permoti Hecataeus, Scylax, Pseudo-Aristoteles Hesiodo aliisque pervulgatae fabulae auctoribus obloquebantur. Et in Epiro quidem inferorum deorum religionem etiam posteriore aetate maxime vigentem deprehendimus, unde factum est, ut regem Epiri Aïdoneum pragmatici confinxerint, non alia ratione, quam qua olim Ge-

88) Stesichor. ap. Strab. III p. 148 c. Herodot. IV, 8 Ephor. ap. Plinium H. N. IV, 36. Scymn. v. 150sqq Apollodor. II, 5, 10 cum Heynii observatt. p. 159sq.

89) De emendanda inscriptione illa corruptissima vid. impr. Welcker. Syllog. epigr. graec. p. 254sqq. qui pleraque egregie expedivit. Versu 2. tamen pro *ἠδ' Ἐρύθειαν ἄγων* malim equidem *ἠδ' Ἐρύθην ἀπάγων*, et v. 3 pro *τὰς δ' ἐδάμασσε πόθῳ* — *τῆς ἑ δάμασσε πόθῳ*. Hercules una cum bubus etiam filiam Geryonis Erythen, quam alii, itidem ut insulam, Erythiam dixerunt, (Paus. X, 17, 4, Steph. Byz. s. v.) rapuisse dicitur, amore eius incensus a Venere.

ryonem ibi regnasse vetustior fabula finxerat[90]). — Ceterum aliquem Geryonis cultum etiam in Sicilia fuisse Diodorus docet, libro IV cap. 24: consecratum enim ei ab Hercule τέμενος esse apud urbem Agyrinaeorum, idque etiam sua aetate religiosum haberi. Nempe quum Sicilia vulgo pro Thrinacia Homeri haberetur, ubi Solis armenta erant[91]), quid mirum, si Geryonem quoque huc retulerunt, armentis illis potientem, donec ab Hercule vinceretur[91b])? Praeterea oraculum Geryonis iuxta Patavium memorat Suetonius in vita Tiberii cap. 14, quod quale fuerit, in ceterorum scriptorum omnium silentio, sciri a nobis non potest. In ipsa autem Graecia Elei et Thebani Geryonem sibi vindicarunt, hactenus saltem, ut ossa eius apud se servata ostenderent[92]): quorum gloriam aemulati Lydi quidam nugatores Pausaniae aetate,
24 quum apud oppidum Temenuthyras ossa ingentia detecta essent humanis similia, sed longe maiora, Geryonis haec esse volebant; admoniti autem a Pausania, nimis longe a Lydia Geryonem habitasse, non perseverabant in illa sententia, sed aliam comminiscebantur, minus, ut sperabant, improbabilem, Hylli ea ossa esse contendentes. Vid. Pausan. I, 35, 6. Est profecto haec narratiuncula quantivis pretii, unde morem atque ingenium pernoscamus veterum illorum exegetarum, non diversum a recentioribus fabularum venditoribus, qui Sanctorum ossa aliasque reliquias credulis iactant[93]). Et tamen non puduit viros inge-

90) Conf. Müller. Dor. I p. 422. Prolegg. myth. p. 369, cui quum in reliqua fabulae interpretatione non plane assentiar, hoc tamen utique concedendum arbitror, quod antiquissimam in fabulis sedem Geryonis Epirum fuisse statuit, postea demum eum longinquioribus regionibus permutatam: neque intelligo, qua ratione Völckerus, geogr. myth. p. 130, huic sententiae Homeri auctoritatem obstare autumet, aditum Orci neque in Epiro neque in alia ulla parte Graeciae collocantis. Agitur enim de primitiva fabulae forma, Homericis carminibus longe antiquiore. Müllero assentitur etiam Gerhardus l. l. p. 69. 70. Cf. et Pouqueville, Voyage de la Gr. I préf. p. XVI et Osterwald, Hermes-Odysseus p. 139.

91) Horum etiam indicia quaedam in Sicilia sibi agnoscere videbantur homines creduli. Nam „circa Messanam et Mylas fimo quiddam simile turbulentum in littus mare profert, fervetque et aestuat non sine odore foedo: unde illic stabulare Solis boves fabula est.“ Senec. Quaest. nat. III, 26 p. 593 Gron.

91b) Nonnulli Herculem cum bubus Geryonis in Siciliam traiecisse narrabant. Pausan. III, 16, 4. IV, 36, 2.

92) De Eleis vid. Philostrat. Heroic. p. 671 Ol.; de Thebanis Lucian. adv. indoct. c. 14.

93) Passim a Graecis memorantur ossa ingentia, quae aut heroum aut gigan-

niosos etiam huic fumo aliquid ponderis addere, levissimoque commento et ab ipsis auctoribus abiecto coniecturas suas superstruere.

Sed pergendum est ad reliquam Phorcynis familiam. Chrysaor igitur, quem patrem Geryonis fuisse memoravimus, ortum habere dicitur e Neptuni concubitu cum Medusa, Phorcynis filia, quam quum Perseus gravidam obtruncasset, ex morientis collo prosiluerunt duo filii, Chrysaor et Pegasus. Ac Pegasus quidem quid significet ipse poeta indicare videtur, quum eum evolasse dicat in caelum, Iovique fulmen ac tonitru portare, quemadmodum etiam Euripides de eodem testatur, ὑφ' ἅρματ' ἐλθὼν Ζηνὸς ἀστραπηφορεῖ[93b]). Hoc si ad physicam rationem revocatur, non video quid aliud Pegasum esse dicamus, quam nubem fulmina gerentem. Obscurior est Chrysaoris significatio, cuius nomen quum aureum telum ab eo gestatum significare videatur, fuerunt qui id quoque nihil nisi fulmen esse crederent, Pegaso autem nubis tantum absque fulmine significationem assererent, cui significationi etiam nomen, quippe a πηγῇ ductum, optime conveniret: nam aquas ex nube quasi e fonte scaturire[94]). Sic tamen Chrysaorem ego filium potius quam fratrem Pegasi dicendum fuisse crediderim, siquidem fulmen non una cum nube nasci, sed ex nube prodire videtur. Neque vero aurei teli imago necessario de fulmine cogitare iubet: nihil obstat, quominus de pluvia accipiatur[95]). Imbrem certe aureum vide-

---

tum aut alicuius fabulosae belluae esse credebantur, velut Aiacis et Orestis ab Herodoto I, 68, et a Pausania I, 35, 3. III, 3, 6, Asterii a Paus. I, 35, 5, Thesei a Plutarcho Thes. c. 36, Pelopis humerus aut costa a Paus. V, 13, 3. Plin. H. N. XXVIII, 4, Idae a Phlegonte Trall. de mir. c. 12, atque haec quidem etiam cum inscripto herois nomine: corpus ingens XVI cubitorum, quod aut Oti aut Orionis esse putabatur, in Creta repertum, a Plinio H. N. VII, 16 p. 421 Gron. aliaque a Philostrato Her. p. 668 sqq. ubi etiam de gigantum ossibus refertur. cf. Sueton. Octav. c. 72. (Cyclopum ossa in Sicilia reperta testatur Fazellus hist. Sic. Dec. I. lib. I, 6.) Denique „belluae cui dicebatur exposita fuisse Andromeda, ossa Romam apportata ex oppido Iudaeae, Ioppe, longitudine pedum XL, altitudine costarum Indicos elephantos excedente, spinae crassitudine sesquipedali", Plinius narrat IX, 5 extr. p. 581. 2.

93b) Cf. Schol. Arat. v. 205 et Schol. German. p. 59 Buhl.

94) Vid. Fischer. Belleroph. p. 88. — Schwenckio, Etymol. myth. And. p. 232. χρυσάωρ nihil aliud quam χρυσήρης esse videtur, quumque initio cognomentum Pegasi fuisset, mox in propriam personam conversum.

95) Sic statuerunt iam alii, velut Völcker. myth. Iapet. p. 234. Vinet. Annal. de l'inst. de corresp. arch. XV p. 162 et ante hos Creuzerus.

mus etiam in Danaae fabula, dictum sine dubio quia vis fecundans aquarum ad auri instar pretiosa habebatur, quam ob causam etiam Nilus fluvius, exundantibus aquis Aegypti arva fecundans, *χρυσόῤῥοος* a quibusdam vocatus est[96]. Et Iupiter quoque *Χρυσαορεύς*, quo cognomine apud Cares colebatur, non sine causa mythologis **Pluvius** esse videtur[97], non diversus a Labrandensi, qui, ut Aelianus ait, H. A. XII, 30, *ὕσας λάβρῳ καὶ πολλῷ τὴν ἐπωνυμίαν ταύτην ἔλαβεν.* Atque huius quidem insigne bipennem fuisse accepimus[98], cuius loco etiam gladium deo Pluvio tributum nemo mirabitur. Quodsi Chrysaoris notionem sic definire licet, ut pluviae absque fulminibus significationem habeat, ratio haud improbabilis apparet non modo cur Pegasi frater dictus, sed etiam cur uxor ei data sit Callirhoe, Oceani filia, h. e. dea aquatica, et filius Geryones, quem hiemem significare statuimus. Nam initium hiemis fieri solet ab imbribus. Contra qui Chrysaorem de fulmine accipiunt, filium eius Geryonem non possunt non de tonitru accipere: sic autem neque coniugium illius cum Callirrhoe, neque Geryonis historia probabiliter explicari poterit. Pegasi nomen non a *πηγή*, ut multis visum est, sed ab adiectivo *πηγός* factum esse censemus. Est enim *πηγός* i. q. *παχύς*[99]: tale nomen autem in nubes densas et crassas, quales sunt, quae fulmina gerunt, optime convenire apparet. Nam nubes, ut veteres physici aiunt, est *πάχος ἀτμῶδες*, gigniturque *παχυνθέντος τοῦ ἀέρος*[100].

---

96) Athenae. V p. 203. Schol. Aeschyl. Prometh. v. 806. De fluvio Chrysaora in Lydia vid. Steph. Byz. s. v. *Μάσταυρα*.

97) Cf. Creuzer. Symbol. IV p. 63 sqq. Etiam Stratoniceae *Χρυσαόριον* cultum esse inscriptiones docent, C. I. no. 2720. 2721. In Caria *Χρυσάωρ* pater Idriei memoratur a Steph. Byz. s. v. *Εὔρωπός*.

98) Vid. R. Rochette, Journal des savants ann. 1838 p. 94. Müller. Archaeolog. §. 350, 7.

99) Ita *πηγεσίμαλλος* i. q. *παχύμαλλος*. Cf. Lobeck. verbi gr. technol. p. 103.

100) Ps. Aristot. de mundo c. 4. Anaximenes apud Ps. Plut. de plac. phil. III, 4. Cf. Senec. Qu. nat. II, 30 extr.: „Est nubes spissitudo aeris crassi". Isidor. or. XIII, 7: „nubes autem aeris densitas facit". — Genuinam Pegasi significationem apud posteriores obscuratam esse nemo mirabitur. Ipsum nomen, quum a *πηγή* descendere videretur, aquarum potius quam fulminis cogitationem suggerebat. Hinc etiam fontium quorundam origo a Pegaso repetebatur, ut Pirenes et Hippocrenes, et Centauri quoque **nubigenae** quibusdam a Pegaso orti videbantur, ut docet schol. BL. ad Hom. Il. I, 266. Nam Centauros de rivis fluviisque abundantibus accipiendos esse assentior Hermanno in Diurn. Gotting. ann. 1845

Iam de matre Pegasi et Chrysaoris videndum est, quae aut communi cum duabus sororibus nomine Gorgo, aut proprio Medusa vocatur. Sed natura eius ex neutro horum nominum satis cognosci potest: alterum enim nihil nisi torvam, trucem designare videtur, alterum in quamlibet cuiusvis rei dominam ac moderatricem quadrat. Sed quum parentes Medusa marinos deos habeat, Phorcynem et Ceto, filios autem nubilos ac pluvios, eosque ex Neptuno aquarum deo conceptos, consequens est, ut ipsa quoque ab aquarum et nubium natura non multum abhorrere credatur. Atque sic etiam veteribus quibusdam interpretibus theogoniae, quantum e scholiorum farragine perspici potest, *τὴν ἰκμάδα* significare visa est seu vapores humidos ex aqua exhala- 26
tos[101]); alii autem lunam interpretari malunt: quae, quamvis primo adspectu inter se diversa, possunt tamen ad communem quandam rationem revocari. Nam lunae naturam veteres maxime humidam esse censebant[102]), quumque aeris pars inferior et proxima terrae humoris ac nebularum plena sit, dominari in ea lunae potestatem putabant. Et fuerunt etiam qui ipsam lunam non solido corpore esse crederent, sed concretam e vaporibus, aliqua ignis parte admixta[103]), quod quo minus miremur, reputandum est lunae speciem, quum interdiu in caelo conspicitur, nubeculae simillimam esse. Igitur veteres illi, qui eandem sibi vim ac naturam in aere hoc crasso et humido quam in luna agnoscere viderentur, unum utrique numen praefecerunt Medusam[104]), cui cur parentes deos marinos coniugemque deum aquarum de-

---

p. 262. Cf. Schwenck. Diurn. antiquar. (Zeitschr. f. d. Alterth.-Wiss.) 1836 p. 951. — Recentiores Pegasum poetis ad equitandum commodarunt, quod qui factum sit, facile intelligitur; sed factum est nullo veterum exemplo. De Bellerophonte, quem hi Pegaso vehi faciunt, supra dictum est. De Chrysaore praeter haec, quae in theogonia legimus, nihil refertur in fabulis, unde certior coniectura de eius significatione capi possit. Citantur a schol. B. ad Hom. Il. VI, 200 p. 185 b 31 Chrysaorica Leonis cuiusdam, — fortasse Alabandensis, cuius Carica et Lyciaca Suidas commemorat, — in quibus non solum de Chrysaore sed etiam de Pegaso fabulisque ad hunc pertinentibus expositum fuisse e scholiastae verbis intelligi potest.

101) Vid. impr. schol. ad v. 276 p. 412: *Περσεὺς ὁ ἥλιος ὁ πρὸς ἑαυτὸν ἕλκων τὴν ἰκμάδα ὡς ἀποτέμνων αὐτήν.*

102) Cf. Plutarch. de fac. lun. c. 25. Plin. H. N. II, 51.

103) Plutarch. l. l. c. 5. De plac. phil. II, 25. Stobae. Ecl. phys. I, 27 p. 550—554.

104) Haec fortasse causa Orphicis fuit, ut faciem in orbe lunae Gorgonium appellarent, quod Clemens Alex. Strom. V c. 8 §. 50 ex Epigene refert: quam-

derint[105]), iam non obscurum esse potest. Qui autem hanc a Perseo obtruncatam dixerunt atque sic natos Pegasum et Chrysaorem, hoc, ut opinor, sequuti sunt, quod ex aere crasso et nebuloso, ubi Solis radiis feritur, vapores secreti in nubes concrescunt ac sursum tolluntur. Sic igitur pereunte matre nebulosa exsiliunt eius filii fulmen pluviamque gestantes. Nam Persei persona vim Solis significari satis constat: de cuius ortu rebusque gestis quas fabulas poetae tradiderunt, maximam partem ornandi tantum et novandi studio a posterioribus inventae videntur, genuinae Persei significationis parum aut gnaris aut curiosis, quas si quis omnes sibi interpretandas sumat, incassum laboret[105b]). De summa tamen vetustae fabulae sententia dubitari nequit, quamobrem de hac nunc plura dici non opus est. Sed addendum aliquid de ratione, quae cum Minerva Medusae intercedit, quum plerique deam illam Perseo in obtruncanda Medusa sociam adfuisse aut etiam sua manu hanc obtruncasse narrent[106]), alii contra sub Medusae persona ipsam sibi Minervam agnoscere videantur[107]), quam, si minus *Γοργόνα*, attamen *Γοργῶπιν* saepenumero cognominari quis nescit? Irrisit Hermannus[108]) mythologos Minervam a Minerva in-

---

quum ipsis luna non ex vaporibus concreta, sed terrae instar esse videbatur. Cf. Lobeck. Agl. p. 499 sq. Faciem autem in luna plerisque *βλοσυρὸν καὶ φρικώδη* visam esse Plutarchus testatur de fac. lun. c. 29.

105) Fuisse etiam, qui filiam Neptuni Medusam dicerent, e Tzetze colligi potest ad Lycophr. v. 838 p. 824: *ἡ Μέδουσα θυγάτηρ οὖσα Πεισίδου*, siquidem ignotum hoc nomen in *Ποσειδῶνος* mutandum est cum Völckero geogr. myth. p. 33. et myth. Iap. p. 225. Ceterum pro *θυγάτηρ* aliquot codices habent *γυνή*, et legitur sic etiam apud Eudociam p. 334.

105b) Hoc tantum obiter iniicere libet, animantes Medusae adspectu in lapides mutatos ad vim frigoris et gelu pertinere: nam frigoris propriam sedem veteres in aere esse censebant. Cf. qu. cit. ad Cic. d. N. D. II, 10, 27 et Ideler. ad Arist. Meteor. t. II p. 390.

106) Cf. Apollod. II, 4, 3, 9. Hygin. P. A. II, 12. *Γοργοφόνος* s. *Γοργοφόνη*, Minervae cognomen notissimum, nonnullis tamen proprie non Gorgonis interfectricem, sed nihil aliud quam *Γοργοφανῆ*, terribilem adspectu, significasse videtur. Cf. Schwenck. Andeut. p. 126.

107) Cf. impr. Völcker. mythol. Iap. p. 214 sqq. et geogr. myth. p. 24 sqq. C. O. Müller. script. min. II p. 173.

108) Diss. de graeca Minerva, opusc. tom. VII p. 277. — Locum Euripidis, Hel. v. 1316, ubi codd. contra metrum habent *ἁ δ' ἔγχει Γοργὼ πάνοπλος*, rectius ab Hermanno emendatum esse *ἁ δ' ἔγχει Γοργῶπα πάνοπλος*, quam ab aliis *ἁ δ' ἐν ἔγχει Γοργὼ πάνοπλ.*, etiam Müllerus l. l. concessit. Ita hoc testi-

terfectam dicentes, et merito irrisit, si haec fuit eorum sententia, ut in 27
Persei fabula eandem et Minervam et Medusam esse dicerent. Mihi autem hoc potius sensisse aut debuisse saltem sentire videntur, Minervae personam non eandem apud omnes et in omnibus fabulis esse, sed aliam in aliis, modo Gorgoni similem, modo contrariam ei atque infestam. Nempe tribuerunt veteres Minervae aeris principatum; sed quum duae essent aeris partes perquam inter se diversae, altera propinqua aetheri et similis, altera terrae marique contigua eorumque exhalationibus infecta[109]), harum partium principatum alii inter Minervam ac Medusam divisum esse, alii totum ad Minervam pertinere credebant. Itaque qui etiam crassum hunc et nebulosum aerem inferiorem ab ea non alienum esse putarent, quid mirum, si personam quoque deae induerunt huic parti convenientem? Contra qui solum superioris aeris principatum Minervae tribuerent, hi non inepte eam Medusae, h. e. nebulosi frigidique aeris, adversariam Perseique in illa perimenda adiutricem fecerunt[110]). — Ceterum is qui plurima de Medusae cum Minerva coniunctione sed minus circumspecte dixit, neque immerito ab Hermanno reprehensus est, Völckerus in mythologia Iapetidarum p. 214 sqq., ipse Hesiodum reprehendit, quod duo diversa Gorgonum genera perperam confuderit. Nam Phorcynis filias, Stheno, Euryalen harumque sororem Medusam, nihil aliud significare, quam fluctuum vehementiam aliosque maris terrores, illam autem, quae ex Neptuno Pegasum et Chrysaorem conceperit, Minervam esse, quae ut cum illis confunderetur vel propter commune Gorgonis cognomentum,

moniam Minervae Gorgonis assertoribus ereptum est. De altero Euripidis loco, ex Erechtheo, ap. Lycurg. or. in Leocr., dubitari vix potest, Gorgonem ibi non cognomen deae esse, sed significare nihil aliud nisi aegidem Minervae cum Gorgonis capite. Cf. Meinek. Vindic. Strab. p. 131. Et in declamatione personati Ciceronis, anteq. ir. in exil., c. 10, 24, Minervam non Gorgonam, ut Völckerus voluit, myth. Iap. p. 215, sed Gorgophoram meliores libri offerant, h. e. Gorgophonam. Restat igitur unus testis Palaephatus, de quo paullo infra dicendum erit.

109) Conf. Senec. qu. nat. II, 10: „Summa pars aeris est siccissima calidissimaque et ob hoc etiam tenuissima propter viciniam aeternorum ignium et illos tot motus siderum assiduumque caeli circumactum. Pars ima et vicina terris densa et caliginosa est, quia terrenas exhalationes receptat."

110) Potuit Medusa cum Minerva etiam sic coniungi, ut eius famula haberetur, idque factum arbitror in fabula Ovidiana, Met. IV, 797, ubi Medusa in templo Minervae a Neptuno compressa dicitur. Conferri potest similis fabula de Neptuni cum Aethra concubitu item in templo Minervae. Hygin. f. 37.

vel etiam propterea factum esse, quod Pegasus ex ea prodiisse diceretur ad fontes Oceani, hoc est in ea ipsa regione, in qua Phorcynis filiae habitarent. (Vid. p. 232.) Comprobari autem hanc sententiam diserto Palaephati testimonio, qui bonos, ut Völckerus credit, ac veteres auctores sequutus non modo a tribus Phorcynis filiabus, Stheno, Euryale, Medusa, Gorgonem distinguat, sed Minervam Gorgonem cognominatam esse affirmet. Quod quum Homerus quoque et alii post Homerum poetae saepenumero unam tantum Gorgonem memorent, hanc ipsam Minervam, non unam de Phorcynis filiabus intelligendam esse. Eandem esse, quae a Tzetze ad Lyc. v. 838 Neptuni, ab Hygino autem, praef. p. 7 et fab. 151, Gorgonis filia dicatur: eandem denique, quam in pugna gi-
28 gantum terra editam esse Euripides memorat Ion. v. 988. Atqui haec quidem Euripidea interficitur a Minerva, neque igitur ipsa Minerva esse potest. Hygini Medusa patrem quidem Gorgonem habet, sed matrem tamen Ceto, sororesque iisdem parentibus natas Stheno et Euryalen, unde apparet omnes tres non diversas esse ab Hesiodeis; quae qua ratione aut quo errore Hygini pro Phorcyne Gorgonem patrem acceperint, quem ille, fab. 151, Typhonis et Echiduae filium dicit, investigari nunc a nobis non potest. Apud Tzetzen porro Neptunia illa Medusa certamen Minervae movisse dicitur de pulchritudine, quamobrem Perseum ab hac immissum esse ad eam castigandam. Apparet igitur illam a Minerva diversam eique ingratam esse: sententia autem fabulae ex iis, quae paullo ante de duabus aeris partibus dicta sunt, nemini obscura esse potest. Palaephati vero, scriptoris futilissimi, narratiunculae, hoc uno consilio excogitatae, ut vetustae fabulae absurditas in probabilem quandam rei gestae similitudinem diffingeretur, mireris a quoquam vel tantillum ponderis tribui potuisse. Denique Homerica Gorgo quae et qualis sit, non quidem satis constat; illud tamen manifestum videtur, quum caput Gorgonium Minerva in aegide gestasse dicatur, non ipsius Minervae sed alicuius monstri ab ea diversi hoc caput fuisse. Neque intelligo, cur celebratissimam fabulam, quae obtruncatam a Perseo Medusam, caput autem eius in aegide vel Minervae vel Iovis affixum esse perhibet, Homero ignotam fuisse dicamus cum veteribus quibusdam interpretibus[111]). Nam Perseum saltem memorat ut *πάντων ἀριδεί-*

111) Vid. Schol. B ad Il. XI, 36. schol. ad Od. XI, 634. Hesych. s. v. *Γοργείην κεφαλήν*. et cf. quae diximus in comparatione theog. Hes. c. Homer. p. 18. (45). Quam apte autem Gorgonis caput aegidi additum sit, neminem fugiet, qui symboli-

κετον ἀνδρῶν, Il. XIV, 320 (add. XIX, 116. 123), cuius unum nobilissimum facinus cur post Homerum demum ab Hesiodo, ut grammatici volunt, excogitatum esse credamus, nulla profecto causa est. — Sic igitur omnem illam de duplici Gorgonum genere opinionem nullo satis firmo fundamento nixam videmus, neque aliud quid obtineri potest, nisi de Gorgonum numero ac parentibus non unam apud omnes atque consentientem traditionem fuisse, id quod commune illis est cum omnibus omnino personis fabulosis. Si quis autem rationem sibi reddi postulet, cur plerique non unam sed tres Gorgones esse voluerint, aut unde Stheno et Euryale, Medusae sorores, nomina acceperint, non deficiant fortasse, quae probabiliter responderi possint: ego tamen in his morari diutius nolo[111b]).

Restant enim duae Graeae, omnium primae in hac Phorcynis familia ab Hesiodo memoratae, de quibus quid statuendum sit, non facile dictu est. Appellari Γραῖαι dicuntur, quod canae fuerint statim ab ortu, ἐκ γενετῆς πολιαί, quae res plerisque interpretibus nihil aliud significare visa est, quam albam spumam undarum littori illisarum[112]). Etiam propria singularum nomina, Πεφρηδώ et Ἐνυώ, huic significationi apta esse putantur. Alteram enim Auferonam esse, a verbo φορεῖν, ut videtur, dictam, quod auferat quae sint in vado, alteram 29
Inundonam, a verbo ὕω[113]). Scholiastae, qui non Πεφρηδώ sed Πεφριδώ scriptum legerent, hoc nomen acceperunt de horrore ac terrore navigantium in turbido mari, a verbo φρίσσειν, alterum autem,

---

cam utriusque significationem intellexerit. cf. Vergil. Aen. II, 616 (de Minerva): nimbo effulgens et Gorgone saeva.

111b) Significabo tamen tribus verbis, Stheno et Euryaleo proprie nihil aliud esse quam Lunae cognomenta, quorum alterum vim eius permagnam denotat, alterum, ab ἀλᾶσθαι, Lativagam interpretari licet, ut vaga v. omnivaga luna non raro dicitur. Vid. Cic. d. N. D. II, 27, 68. Intt. ad Horat. Sat. I, 8, 21. Quod autem una Gorgonum mortalis, ceterae immortales sunt, ad vices lunae crescentis et senescentis pertinet.

112) Schol. th. ad v. 270. Γραίας τὸν ἀφρόν. Sic etiam Nereus γέρων appellatus esse dicitur διὰ τὸ ὥσπερ πολιὰν ἐπανθεῖν τοῖς κύμασι τὸν ἀφρόν. Schol. L ad Il. I, 358. Cornut. d. N. D. c. 23 p. 132 Os. Cf. Serv. ad Verg. Georg. IV, 403: „Fere omnes dei marini senes: albent enim eorum capita spumis aquarum."

113) Hermann. Opusc. II p. 179. 180, a quo recte Lobeck. dissentit, technol. p. 325. Eandem hanc Enyo cum altera, quae belli dea, Bellona, est, nemo adhuc credidit, praeter Rinckium, relig. Gr. II, 1 praef. p. V.

Ἐνυώ, de clamore periclitantium, ab *ἐναΰω*[114]. Ipsi quoque veteres fabularis historiae auctores, qui duabus Graeis ab Hesiodo memoratis unam aut alteram adiecerunt, has vel a maris terroribus et navigantium pernicie, *Δεινώ* et *Περσώ*, vel a marinis vorticibus fluctibusque littori allisis, *Δινώ* et *Χέρσιν*, appellaverunt[115]. Vereor tamen, ne ex huiusmodi nominibus de vera atque genuina Graearum significatione non satis tuto coniectura duci possit, quoniam constat antiquarum fabularum personas a posterioribus non raro longe aliter quam a primis auctoribus acceptas esse. Quodsi quaerimus, quae res in fabulis aut gestae a Graeis aut accidisse iis narrentur, nihil profecto reperimus quod aut spumantes undas aut fluctus atque vortices aut pericula terroresque navigantium significare videatur. Nam commemorantur eae tantummodo in Persei expeditione contra Gorgones suscepta, quarum *προφύλακες* ab Aeschylo dictae sunt in deperdita Phorcidum tragoedia[116], in Prometheo autem v. 776 earum viciuae esse perhibentur, forma cygnea, et uno communiter oculo unoque dente utentes, quam rem etiam Pherecydes aliique tradiderunt[117]. Sed nihil aut apud hunc aut apud Apollodorum et celeros fabularum scriptores legitur, quod eas aut *προφύλακας* Gorgonum aut valde vicinas fuisse arguat. Dicuntur tantum a Perseo, qui oculum iis dentemque surripuerit, coactae esse, ut viam ipsi indicarent ad nymphas Eridani, unde necessaria quaedam expeditioni suae instrumenta peteret; in ipso autem ad Gorgones aditu nulla amplius Graearum mentio fit. Licebit ergo de earum significatione coniecturis superiorum aliam addere, si non meliorem, non tamen fortasse deteriorem. Ipso enim *Γραιῶν*

---

114) Ioaoo. Diac. p. 462: *ἡ τῶν ὑδάτων περιφορὰ θαλασσίων ἐκ βάθους ὀρινομένη τὰ κύματα ἀποτίκτει τὰ φρίσσειν ἡμᾶς ποιοῦντα καὶ κραυγάζειν.* In hac interpretatione *ἡ περιφορά* od Phorcynis nomen spectat, de quo supra dictum est p. 8 not. 20, *ἐκ βάθους* ad Ceto, quam *τὸ βάθος* ioterpretatur schol. nd v. 270, simili fortasse notatione, quam quae Hermanoo placuit, a verbo *κεῖσθαι*; denique *φρίσσειν* et *κραυγάζειν* ad *Πεφρηδώ* et *Ἐνυώ*. Cf. Schol. Il. V, 333, de altera Enyo, Martis comite, *παρὰ τὸ ἐναΰειν, ὃ σημαίνει τὸ ἐκφωνεῖν.* Pottus, Etym. Forsch. I p. 230, ambigit utrum ab *ἀΰειν* Enyo dicta sit, an ab *ἀνύειν*, ut significet Confectricem.

115) Vid. Apollod. II, 4, 2, 3. Tzetz. ad Lycophr. v. 838 p. 824. Schol. Aeschyl. Prometh. v. 793. Hygio. pr. p. 7. Heraclid. de incred. c. 13 p. 73 Gal.

116) Eratosth. catast. c. 22. Hygin. P. A. II, 12.

117) Pherecyd. ap. schol. Apolloo. IV, 1515. Apollodor. II, 4, 2, 4.

nomine admonemur aliorum quorundam maris deorum, qui *Γέροντες* vocari solent. Primum Nerei, quem theogoniae poeta *γέροντα* vocatum ait, *οὕνεκα νημερτής τε καὶ ἤπιος οὐδὲ θεμιστέων λήθεται*, v. 235, quod pertinet sine dubio ad fatidicam Nerei facultatem omnibus vel ex Horatio satis notam. Et apud Gytheatas in Laconia Nereum hoc ipso *Γέροντος* nomine cultum esse Pausanias memorat, III, 21, 8. Porro Proteus, qui Menelao vaticinatur, *γέρων ἅλιος νημερτής* ab Homero dicitur, Od. IV, 349. 384. Denique Glaucus, item fatidicus et Nerei propheta, ut Euripides ait, Orest. v. 364, senex ab artificibus fingebatur[118]), et *Γέρων* apud nonnullos audiebat[119]). Videbantur autem hi senes fatidici oracula mortalibus non tam sua sponte quam inviti et coacti expromere: quod cur ita visum sit veteribus, aut cur omnino maris potissimum deis hanc vaticinandi facultatem tribuerint, curve senes eos quam iuvenes haberi maluerint, nihil attinet hoc loco quaerere. Hoc autem apparet, si facultatem hanc fatidicam, ut in masculo, sic etiam in femineo genere marinorum numinum veteres fabulae repraesentarint, consentaneum fuisse, ut huiusmodi fatidicae marinae vetulae esse fingerentur. Vetulas autem, neque aliud quidquam, *Γραιῶν* nomen significat: eaeque quum viam Perseo monstrant, qua ad nymphas Eridani pervenire possit, funguntur quodam vaticinandi munere, neque id faciunt sua sponte, sed coactae, quo surreptum sibi oculum et dentem recuperent: quos cur unum utrumque habeant, nescio; hoc autem video, mores earum non absimiles esse ceterorum maris deorum, quibus vaticinia ab hominibus per vim extorquenda sunt. Praeterea illud maxime adverti velim, quod *κυκνόμορφοι* aut *κυκνοειδεῖς* esse dicuntur[120]). Propter solam capitis canitiem *κυκνομόρφους*, h. e. forma cygnea praeditas, dici potuisse non est credibile; statuendum potius formam earum, si minus totam, at magnam certe partem cygnis similem fuisse, et memini Theodorum Panofkam[121]) figuras quasdam in vasis antiquis depictas, cygnorum cum capitibus mulierum, Graeas interpretatum esse[121b]). Hic autem cui non statim succurrrunt virgines illae

118) Cf. Voss. epist. myth. II p. 200.

119) Schol. Apollon. Rh. II, 767.

120) Altero vocabulo Aeschylus utitur Prometh. l. l., altero Tzetzes Theog. v. 145.

121) In diss. de Perseo et Graea, in Actt. Acad. Berol. ann. 1846 p. 212 sqq.

121b) Refutavit tamen hanc interpretationem Wieselerus, vir peritissimus, in Philologo ann. 1855. Neque ego meam de Graeis coniecturam praestare ausim.

cygneae, (die Schwanenjungfrauen,) in maiorum nostrorum fabulis memoratae? Nam has quoque videmus aquaticas esse, futuri conscias, cygneam subinde formam assumentes, fataque hominibus, sed invitas et coactas, nuntiantes: quales sunt quae in Nibelungorum carmine Hagenio viam monstrant, qua in Attilae regnum perveniri possit, futurumque certaminis eventum praedicunt[122]. Nominantur hae Hadeburch et Sigelint: sapientes et marinae sunt (wîsiu wîp et mere wîp), et avium instar super aquam natant (sie swebten sam die vogele vor im uf der vlût); denique vestimenta earum Hagenius surripit, eoque modo eas cogit, ut viam sibi monstrent: quae omnia eiusmodi sunt, ut non inepte cum cygneis his virginibus Graeae illae *κυκνόμορφοι* comparari posse videantur.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. III. Id. Iul. a. MDCCCLII.

122) Cf. W. Grimm, Deutsche Heldensage p. 387. J. Grimm, Deutsche Mythologie p. 398 ed. 2. v. d. Hagen, Die Schwanensage, in Act. Acad. Berol. 1846 p. 542.

DE HECATE HESIODEA.

Theogonia Hesiodea quum in ceterorum deorum commemora- 3
tione nihil fere nisi ortum cuiusque, parentes, coniugia, liberos breviter indicare, earum autem rerum, quae ad religionem cultumque deorum proprie pertinent, quam quisque potestatem exerceat, quibus modis humano generi provideat, cur honor ei ac veneratio debeatur, nullam plane mentionem facere solita sit, ab hoc more in una illa parte descivit, quae est de Hecate, v. 411—452, cuius deae numen ac beneficia tam multis verbis celebrantur, ut nonnullis hic locus hymnus esse visus sit ab aliquo interpolatore, Orphicae, ut aiunt, theologiae sectatore, in theogoniam insertus. Id quam recte crediderint, diiudicari ante non poterit, quam de omni theogoniae compositione et quam in ea legem compositor sequutus sit, certa quaedam sententia idoneis argumentis stabilita fuerit, id quod licet non desperemus fieri posse, hoc tamen tempore et intra huius academicae scriptionis angustias effici a nobis non potest. Est enim res longioris disputationis et quae accuratissimum singularum partium examen atque intellectum poscat. Interim quoniam illa Hecates praedicatio satis per se ipsa memorabilis nec mediocriter ab eis, quae alibi de eadem dea memorantur, diversa est, operae pretium erit, haec nunc paullo accuratius persequi et inter se comparare, unde nonnihil fortasse lucis etiam in illam, quam nunc differimus, disputationem redundare suo tempore poterit.

Coeus igitur et Phoebe, qui erant ex Titanum numero, duas filias genuisse dicuntur, Latonam et Asteriam, v. 404 sqq., quarum alteram hoc loco poeta epithetis tantum aliquot honorificis prosequitur, alteram autem narrat Persae nupsisse, Coei et Eurybiae filio, ex eoque He-

caten peperisse. Nimirum de Latonae cum Iove coniugio liberisque
hinc procreatis rectius in ea parte carminis dicendum erat, quae esset
de Iovis imperio deisque iunioribus; Asteriae autem cum Perse matri-
monium iam prius, quam Iupiter rerum potiretur, contractum est, filia-
4 que Hecate iam sub antiquorum deorum imperio non minus quam sub
Iove pollens potensque fuit. Praedicandae autem eius potestatis exordium poeta hinc sumit, ut eam non modo a Iove praeter ceteros honoratam muneribusque in terra, in mari, in caelo instructam, sed apud omnes omnino deos in maximo honore esse testetur, v. 411 sqq.:

τὴν περὶ πάντων
Ζεὺς Κρονίδης τίμησε, πόρεν δέ οἱ ἀγλαὰ δῶρα,
μοῖραν ἔχειν γαίης τε καὶ ἀτρυγέτοιο θαλάσσης·
ἡ δὲ καὶ ἀστερόεντος ἀπ᾽ οὐρανοῦ ἔμμορε τιμῆς,
ἀθανάτοις τε θεοῖσι τετιμένη ἐστὶ μάλιστα.

Scripsi *ἀστερόεντος ἀπ᾽ οὐρανοῦ*, cum codicibus plurimis, pro eo, quod vulgo legitur, *ὑπ᾽ οὐρανοῦ*, quod quum alii sub caelo, alii in caelo interpretati sint, hoc quidem pugnat cum praepositionis *ὑπό* significatione, alterum ad sententiam non aptum esse apparet. Quod autem Wolfius voluit *ὑπ᾽ Οὐρανοῦ*, sub Urani imperio, hoc refutatur, ne alia afferam, vel versu 423 sqq., ubi Hecate honorata esse dicitur sub Titanibus, *ὡς τὸ πρῶτον ἀπ᾽ ἀρχῆς ἔπλετο δασμός*, quum primum munera distribuerentur, id quod manifestum est non ante fieri potuisse, quam Urano deiecto Titanes imperio potiti essent. Quid? quod ne connubia quidem Titanum, ex quorum uno parentes Hecates nati sunt, ante illud tempus contracta cogitari possunt. Recte igitur Wolfio Goettlingius obloquutus est, qui tamen quod reponi vult *ἐπ᾽ οὐρανοῦ*, non satis me intelligere fateor. Nisi forte idem hoc significare voluit, atque *ἐν οὐρανῷ*: quod probari nullo modo potest. *Τιμὴ ἀπ᾽ οὐρανοῦ* autem dici potuit is honor, qui de caelo, h. e. ex ea parte potestatis redundat, quam in caelo Hecate habet. Fatendum est tamen aliquanto concinniorem orationem evasuram fuisse, si ad similitudinem versus 427 etiam hoc loco scriptum esset *μοῖραν ἔχειν γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἠδὲ θαλάσσης*. Nam ut nunc est, subita haec structurae mutatio in tam arcta rerum coniunctione habet aliquid offensionis, neque eius aliam causam fuisse credo, quam quod poeta iam proximum quoque versum, *ἀθανάτοις δὲ θεοῖσι τετιμένη ἐστὶ μάλιστα*, in mente haberet, qui quidem sic ut est adiungi absque structurae mutatione non potuit. Est hoc sane non magnae artis do-

cumentum: non tamen eiusmodi est, ut propterea exterminandos hos duos versus Hermanno concesserim, diss. de theog. form. ant. p. 12.

Quae autem sequuntur, v. 416—418:

καὶ γὰρ νῦν ὅτε πού τις ἐπιχθονίων ἀνθρώπων
ἔρδων ἱερὰ καλὰ κατὰ νόμον ἱλάσκηται,
κικλήσκει Ἑκάτην.

haec non apte cum superioribus per causalem coniunctionem *καὶ γάρ* necti manifestum est. Neque enim propterea Hecate terrae, maris, caeli partem habere et apud deos in maximo honore esse dici potuit, quod ab hominibus in omni deorum sacrificio invocaretur, sed contra, quia tam ubique potens tamque apud omnes deos honorata esset, propterea etiam ab hominibus hanc ei venerationem contigisse, ut in re divina facienda semper ipsam quoque invocarent. Itaque Goettlingius hos versus, una cum proximis usque ad 420, qui arctissime cum iis cohaerent, loco alieno scriptos esse statuit, transponendosque post v. 428. Sed ne illo quidem loco apta videri potest causalis coniunctio, et leniore medicina vitium removebimus, *τοίγαρ* pro *καὶ γάρ* rescribendo. — Ad *ἱλάσκηται* e superioribus, v. 415, subaudiri debet *ἀθανάτους θεούς*. Nam quod Heynius ap. Wolf. p. 151 *αὐτήν* potius subaudiendum suasit, „ut non in quibusvis etiam quae aliis deis fiant sacris invocetur Hecate, sed ut tantum illa invocata in suis largiatur quae quis precatus fuerit“, hoc ego fieri non posse arbitror, neque Wolfius aut quisquam ceterorum, quos quidem ego noverim, arbitratus est.

Cultoribus autem Hecates, si preces eorum exaudiuntur, et honor facile et opes deae beneficio contiugunt, quippe cui potestas non desit, v. 418—420:

πολλή τέ οἱ ἕσπετο τιμὴ
ῥεῖα μάλ', ᾧ πρόφρων γε θεὰ ὑποδέξεται εὐχάς,
καί τέ οἱ ὄλβον ὀπάζει, ἐπεὶ δύναμίς γε πάρεστιν.

Τιμή versu 418 possit pro praemio cuiusvis generis accipi, quo cultores suos Hecate remuneretur: malo tamen de honore interpretari, quem dea conciliare illis apud homines dicatur, sicut apud Homerum *ἐκ Διὸς τιμὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ*, Il. XIX, 251. — In proximo versu dativum pronominis *ᾧ*, quem et codices longe plurimi habent, et scholia agnoscunt, non video cur spernamus prae genitivo *οὗ*, a paucis quibusdam codicibus oblato. Nam quod Goettlingius alterius structurae, *δέχεσθαί τινί τι*, non alia exempla extare autumat, nisi ut ali-

quis rem quasi manibus ab altero porrectam accipere dicatur, id ego, si verum sit, casu accidisse dixerim, ut non etiam diversi generis exempla servarentur. Nam vis quidem dativi haec est, ut ubivis recte usurpari possit ad indicandum, referre alicuius ut alter aliquid a se accipiat, sive id corporeum est et quod manibus quasi porrigatur, sive alius generis [1]). Sed ne verum quidem esse arbitror. Certe apud Pindarum, thren. fr. IV p. 623 Boeckh., *οἶσι δὲ Φερσεφόνα ποινὰν παλαιοῦ πένθεος δέξεται*, vix verendum est, ne quis *ποινὰν* de poena manibus oblata, quasi multaticia quadam pecunia, accipiendam esse dicat.

His igitur de potestate Hecates in universum propositis subiungitur deinceps accuratior singulorum explicatio. Ac primum quidem docemur, omnium eam deorum sociam atque consortem honorum iam inde ab antiquissima illa distributione fuisse, quae sub Titanibus instituta sit, eandemque dignitatem postea etiam sub Iove retinuisse, v. 421—425.

ὅσσοι γὰρ Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο
καὶ τιμὴν ἔλαχον, τούτων ἔχει αἶσαν ἁπάντων,
6 *οὐδέ τι μιν Κρονίδης ἐβιήσατο, οὐδέ τ' ἀπηύρα*
ὅσσ' ἔλαχεν Τιτῆσι μέτα προτέροισι θεοῖσιν,
ἀλλ' ἔχει ὡς τὸ πρῶτον ἀπ' ἀρχῆς ἔπλετο δασμός.

Recte Vossius ad hymn. Hom. in Cer. v. 85 adversus Ruhnkenium monuit, non confundendam esse veterem hanc munerum distributionem cum altera, quam iuniores dei sub Iove fecisse dicuntur, et quidem Meconae, ut est in theog. v. 536, h. e. Sicyone, cuius frequentior memoria est [2]). Illius antiquioris etiam supra mentio fit v. 393, ubi Iupiter, bellum contra Titanes parans, convocatis deis pollicetur, *ὅς ἂν μετὰ εἷο θεῶν Τιτῆσι μάχοιτο, μήτιν' ἀποῤῥαίσειν γεράων, τιμὴν δὲ ἕκαστον ἑξέμεν ἣν το πάρος γε μετ' ἀθανάτοισι θε-*

1) Similiter Hermannus ad Soph. Electr. v. 434: „*Δέχεσθαί τινος* dicitur quum quaeritur, a quo quis accipiat quid; *δέχεσθαί τινι*, quum is, qui accipit, accipiendo facit quod gratum sit alteri.“ Ceterum grammatici hanc verbi *δέχεσθαι* cum dativo structuram doricam aut siculam dixerunt. Vid. Ps. Plutarch. (quem Porphyrium esse non improbabiliter R. Schmidt statuit in progr. gymn. gallic. Berol. 1850) de vita et poesi Hom. c. 13 p. 479 Tauchn., et Lesbonact. p. 181.

2) *Κλῆρος ὁ μυθευόμενος ἐν Σικυῶνι.* Heraclid. alleg. Hom. c. 41 p. 139. Cf. Pindar. Ol. VII, 55 (101) et all. ap. Voss. epist. mythol. II, 38 p. 304 et Weisk. Prometh. p. 241 not. 2 et p. 253 not. 6. 7.

οἶσι. Eandem Aeschylus memorat Eumenid. v. 697, ubi Furiae Apollinem deceptis Parcis *παλαιὰς διανομάς*, vetustae distributionis iura conculcasse criminantur. Nam *διανομάς* ibi pro *δαίμονας* legendum est cum schol. Vatican. ad Eurip. Alcest. v. 12 [3]). Eiusdem distributionis iura significat v. 775, *ἰὼ θεοὶ νεώτεροι παλαιοὺς νόμους καθιππάσασθε κὰκ χερῶν εἵλεσθέ μου*, et v. 370, *θεσμὸν τὸν μοιρόκραντον, ἐκ θεῶν δοθέντα τέλεον*, h. e. ius olim fato constitutum ratumque a deis habitum.

In proximis tribus versibus, 426—428,

οὐδ' ὅτι μουνογενὴς ἧσσον θεὰ ἔμμορε τιμῆς,
καὶ γέρας ἐν γαίῃ τε καὶ οὐρανῷ ἠδὲ θαλάσσῃ,
ἀλλ' ἔτι καὶ πολὺ μᾶλλον, ἐπεὶ Ζεὺς τίεται αὐτήν,

eum, qui secundo loco positus est, et supervacaneum et structurae incongruum esse apparet. Quamquam huic quidem accommodari sic possit, ut aut *καὶ γεράων ἐν γῇ τε* scribatur, aut omissa praepositione *καὶ γεράων γαίῃ τε*, quemadmodum Lennepius voluit p. 280. Sed praestat, opinor, transponere versum post 422, *τούτων ἔχει αἶσαν ἁπάντων*, quo facto nulla amplius mutatione opus est, et aptissime *αἶσα* illa *ἁπάντων* quam late patuerit statim significatur. Transponi versum etiam Goettlingius voluit: sed post 425, ut verba construerentur in hunc modum: *ἀλλ' ὡς τὸ πρῶτον ἀπ' ἀρχῆς ἔπλετο δασμός, (οὕτω) καὶ γέρας ἔχει:* quo vix quidquam inprobabilius excogitari potuisse credo. Denique Hermannus, dissert. p. 13, versum ab aliquo interpolatore in margine adscriptum esse statuit ad v. 425, neque tamen *καὶ γέρας*, sed *ὃν γέρας*. Scilicet interpolatori eum quam ipsi compositori theogoniae tribuere maluit, ne stropha, quam constituit, a versu 421 ad 425, quinarium numerum excederet. — Versu primo si cui *θεά* non rectam sedem habere videatur, ut Goettlingio visum est, possit is *θεῶν* reponere: sed equidem ista collocatione non magis offendor, quam v. 221, *αἵτ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε παραιβασίας ἐφέπουσιν οὐδέ ποτε λήγουσι θεαὶ δεινοῖο χόλοιο*, aut v. 431, *ἥ δ', ὁπότ' ἐς πόλεμον φθισήνορα θωρήσσωνται ἀνέρες, ἔνθα θεὰ παραγίγνεται οἷς κ' ἐθέλῃσι*. — 7

3) Vid. Cobet orat. de art. interpr. p. 112 et in Geelii ed. Eurip. Phoeniss. p. 275. Eandem emendationem nuper Bergkius in Ind. schol. Marburg. hibern. 1850—1851 p. X adhibuit Alcmanis versiculo apud schol. Il. I, 222, ubi legitur: *ὅς ἔθεν πάλους ἔπαλε δαίμονάς τ' ἐδάσσατο.*

Sententiam autem poetae plane pervertit vetus interpres, cuius haec est annotatio: *οἱ γὰρ μονογενεῖς πλεονεκτοῦσι πάντοτε. διὰ γὰρ τὸ μὴ ἔχειν ἀδελφοὺς ὁ μονογενὴς πλείονος τετύχηκε τιμῆς.* Is igitur pro causali enuntiatione accepit quae concessiva est. id quod ipse poeta docet, eandem sententiam paullo infra repetens v. 448: *οὕτω τοι καὶ μουνογενὴς ἐκ μητρὸς ἐοῦσα πᾶσι μετ' ἀθανάτοισι τετίμηται γεράεσσι.* Scilicet filiae unigenitae nulloque fratrum subsidio adiutae difficilius ius suum obtinere apud alios poterant, quamobrem etiam leges Graecorum harum praecipuam quandam curam magistratibus iniungebant, quominus aut a cognatis aut ab extraneis laederentur. Talem igitur mortalium conditionem hic poeta etiam ad immortales transtulit: quod quam recte fecerit, quaerere nolo. Hoc ipsum vero, quod unigenitam Hecaten fecit, utique laudandum est, qua de re infra dicemus. Vocatur autem ea *μονογενής* vel *μονογένεια* etiam ab Apollonio Rh. Argon. III, 847 et 1035, eodemque epitheto Proserpina ornatur hymn. Orph. XXIX, 2, Oppian. Halieut. III, 489 (quamquam ibi Schneiderus lectionem mutavit), et in inscriptione Thessalica apud Ussing. Inscr. ined. p. 1, et solemnem hanc huius deae appellationem apud Orphicos fuisse Proclus testatur in Platonis Timaeum p. 328 Schn. Etiam Minerva *μονογενής* dicitur hymn. Orph. XXXII, 1, deflexa scilicet vocabuli significatione, ut ab solo patre sine matre genitam denotet. Denique Ceres uno eodemque versiculo hymn. XL, 16 *μουνογενής* et *πολύτεκνος* est, videturque activa vocabulo significatio tribui, ut una parens multorum liberorum esse dicatur[4].

Exponuntur deinceps varia beneficiorum genera, quibus Hecate homines afficiat. Primum enim et concionantibus adesse et bellum gerentibus et ius dicentibus, v. 429—434.

ᾧ δ' ἐθέλει μεγάλως παραγίγνεται ἠδ' ὀνίνησιν,
ἔν τ' ἀγορῇ λαοῖσι μεταπρέπει ὅν κ' ἐθέλῃσιν.
ἠδ', ὁπότ' ἐς πόλεμον φθισήνορα θωρήσσωνται
ἀνέρες, ἔνθα θεὰ παραγίγνεται, οἷς κ' ἐθέλῃσι
νίκην προφρονέως ὀπάσαι καὶ κῦδος ὀρέξαι.
ἔν τε δίκῃ βασιλεῦσι παρ' αἰδοίοισι καθίζει.

Componit poeta, quae ab Homero quoque componi solent, civilem in conciliis praestantiam cum bellica virtute, ut sint *ἐν πολέμῳ τ' ἐνα-*

4) Longius etiam progressi recentiores quidam Proserpinam *μονογενῆ* interpretantur unum omnium rerum creatricem: *die alleinige Schöpferin.*

ῥίθμιοι ἠδ᾽ ἐνὶ βουλῇ simulque *μύθων τε ῥητῆρες πρηκτῆρές τε ἔργων*, Il. II, 202. IX, 443. Sed regum in iure dicendo prudentiam minus recte post bellicam demum virtutem commemorari iudico: debebat ea statim post concionantium laudem poni, ut quae genere affinia sunt, etiam loco coniungerentur. Nam illud quidem vix verendum erat, ne quis in tali versuum collocatione, si post 430 sequeretur 434, de subiecto verbi *καθίζει* erraret: et potuit etiam huiusmodi error caveri versu illo statim initio ante 430 posito. — Hermannus autem, diss. p. 13, ex tribus versibus, qui de bello sunt, duos, qui sunt 432. 3, plane damnat, ut ab interpolatore assutos, unum autem, 431, transponi vult post 435. „Displicuerat" inquit „interpolatori, 8
quod poeta, belli mentione interposita, ad ludos rediret: quare exempto versui 431 duos alios adiecit." Profecto si post inchoatam versu 435 ludorum mentionem poeta subito bellum immiscuisset, tum autem, nulla amplius belli mentione facta, de ludis quod inchoaverat absolvisset, tam perversus ordo sententiarum nemini non potuit vehementer displicere. Et tamen summus criticus hanc perversitatem emendatione sua poetae obtrudit: ideo scilicet, ut aliquam certe causam interpolationis suspicioni praetexere, eiectisque duobus versibus, uno autem transposito, strophas componere possit duas quinarias. Nam eiecto etiam versu 427, de quo supra diximus, restant inde a v. 426 ad 438 haud amplius decem versus, qui duarum stropharum mensuram explent. — Verbum *παραγίγνεσθαι*, quod v. 429 et 432 itemque 436 legitur, Goettlingius ab antiquorum epicorum dictione abhorrere ait. Nempe hanc eius significationem, ut sit adesse ad opem ferendam. Tamen non longe diverso sensu Homerus dixit Od. XVII, 173: *καί σφιν παρεγίγνετο δαιτί*, de eo, qui epulantibus aderat ad ministrandum: *παρεῖναι* autem, *παρίστασθαι* ac similia de opem ferentibus tam saepe dicuntur, ut *παραγίγνεσθαι* quoque sic usurpatum vix offensionem habere possit. Magis offendat adverbium *μεγάλως*, ad *ὀνίνησι* quidem aptissimum, minus autem ad *παραγίγνεται*, cui *κρατερῶς* potius aut *πρόφρων* aut simile quid convenire videtur.

Etiam in ludicris certaminibus non minus quam in bello victoriam et honorem Hecate largitur, v. 435—438:

ἐσθλὴ δ᾽ αὖθ᾽, ὁπότ᾽ ἄνδρες ἀγῶνι ἀεθλεύωσιν,
ἔνθα θεὰ καὶ τοῖς παραγίγνεται ἠδ᾽ ὀνίνησι,
νικήσας δὲ βίῃ καὶ κάρτεϊ καλὸν ἄεθλον
ῥεῖα φέρει, χαίρων τε τοκεῦσιν κῦδος ὀπάζει.

Horum versuum postremus aliquid offensionis habet propter productionem ex positione syllabae postremae in *τοκεῦσιν*, cum littera paragogica, quod genus productionis in quarti pedis thesi a bonis poetis non admitti solere Gerhardus observavit, Lectt. Apollon. p. 155 [5]). Is igitur corrigi versum in hunc modum voluit,

ῥεῖα φέρει, παισίν τε τοκεῦσί τε κῦδος ὀπάζει.

improspere, ut Mützellius ait, de emend. theog. Hes. p. 23. Ego quidem, qui in bonis poetis hunc theogoniae compositorem non habendum esse iudicem, etiam versum minus recte factum haud aegre tolerarem, nisi me moveret, quod *τοκεῦσιν* cum littera paragogica in nullo codice scriptum est, sed comparet primum in editione Trincaveli, unde in ceteras manavit. Codices plerique *τοκεῦσί τε*, duo autem *τοκεῦσι δέ* exhibent, quamobrem verum esse puto, quod cum H. Stephano Lennepius dedit,

ῥεῖα φέρει χαίρων τε, τοκεῦσι δὲ κῦδος ὀπάζει.

Subiectum enuntiationis solo participio *νικήσας* indicatur: is, qui vicit: quemadmodum participia sine articulo etiam in pedestri oratione nonnunquam usurpari videmus, velut apud Lysiam in Andoc. §. 14: *καὶ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, ἐν τῷ σεμνοτάτῳ δικαστηρίῳ, ὁμολογῶν μὲν ἀδικεῖν ἀποθνήσκει —*. Plutarch. de amore prol. c. 4: *ἄμπελον ἰσημερίας ἐαρινῆς σκάψας, μετοπωρινῆς ἐτρύγησε.* Id. de invid. et od. c. 2: *καὶ ἀδικεῖσθαι δόξαντες αὐτοὶ πεφύκασι μισεῖν.* Cf. Matth. gr. gr. §. 271 not. et quae Welckerus congessit ad Theognid. v. 164 p. 95.

9

Porro iis quoque Hecate prodest, qui aut equis vehuntur, aut in mari victum quaerunt, aut venatui operam dant, v. 439—443:

ἐσθλὴ δ' ἱππήεσσι παρεστάμεν οἷς κ' ἐθέλῃσι,
καὶ τοῖς οἳ γλαυκὴν δυσπέμφελον ἐργάζονται,
εὔχονται δ' Ἑκάτῃ [6]) *καὶ ἐρικτύπῳ Ἐννοσιγαίῳ.*
ῥηϊδίως δ' ἄγρην κυδρὴ θεὸς ὤπασε πολλήν,
ῥεῖα δ' ἀφείλετο φαινομένην ἐθέλουσά γε θυμῷ.

Ἐσθλή hic, ut v. 435 et 444, eodem sensu dicitur, quo apud Homerum Od. XVI, 263, *ἐσθλώ τοι τούτωγ' ἐπαμύντορε*, et cum infini-

5) Cf. C. A. I. Hoffmann. quaestt. Homer. I p. 106.

6) Qui digamma oblitteratum aegre ferat, possit rescribere *εὐχόμενοι Ἑκάτῃ*, ut v. 418 *κικλήσκει Ἑκάτην*. Cf. Heyn. ad Il. tom. VII p. 743 Dawes. Misc. crit. p. 253. 4 Kidd., et ex altera parte Spitzner de vers. her. p. 119.

tivo hoc vocabulum construitur etiam in O. et D. v. 774, *ἀμφώ γε μὲν ἐσθλαί, ἡ μὲν ὄϊς πείκειν, ἡ δ' εὔφρονα καρπὸν ἀμᾶσθαι,* et v. 812: *ἐσθλὴ μὲν γάρ θ' ἥδε φυτεύεμεν ἠδὲ γενέσθαι*: quamobrem nescio, cur Goettlingio hic usus vocabuli non epicus visus sit. — Sed *ἱππῆες* sic separatim memorati quales maxime intelligendi sint, non satis liquet. Nam neque de iis cogitari potest, qui curribus aut equis insidentes [7]) proeliantur, quoniam de bellatoribus iam ante dictum est, neque de iis, qui in ludicris certaminibus decurrunt, ludorum quoque mentione iam absoluta. Restant igitur quicunque alii equis vectantur, quos quidem non unius generis esse apparet, alios aliam ob causam equis utentes. — De proximo versu Wolfius se non repugnaturum esse ait, si quis eum de praedatione maritima illa aetate non infami accipiat. Atqui veteres illi praedones sic latrocinari solebant, ut descenderent in aliquam terram, praedasque ab incolentibus agerent, quemadmodum de semet Ulixes narrat ap. Hom. Od. IX, 40. In alto mari autem eos aliorum naves capere solitos nusquam legimus. Cf. Od. XIV, 86: *καὶ μὲν δυσμενέες καὶ ἀνάρσιοι, οἵτ' ἐπὶ γαίης ἀλλοτρίης βῶσιν, καί σφιν Ζεὺς ληΐδα δώῃ, πλησάμενοι δέ τε νῆας ἔβαν οἰκόνδε νέεσθαι.* Thucyd. I, 5: *ἐτράποντο πρὸς ληστείαν — — καὶ προσπίπτοντες πόλεσιν ἀτειχίστοις καὶ κατὰ κώμας οἰκουμέναις ἥρπαζον.* Recte igitur ceteri interpretes poetam de piscatoribus loqui censuerunt, aut in universum de omni genere nautarum, qui apud posteriores quoque non raro *ἐργάζεσθαι τὴν θάλασσαν* dicuntur. *Ἄγρην* autem versu 442 de utrovis genere capturae intelligere licet, terrestri et maritimo, venatorum et piscatorum. *Γλαυκὴν* maris epitheton Homerus semel habet, Il. XVI, 34, *γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα,* ad quem locum haec a schol. A notantur: *ἡ διπλῆ, ὅτι ἅπαξ τὴν θάλασσαν ἐπιθετικῶς γλαυκὴν εἶπεν· ὁ δὲ Ἡσίοδος χωρὶς τοῦ θάλασσα φησίν· καὶ τοῖς κτλ.* [8]). Sic alia quoque epitheta omissis substantivis usurpari ab He-

7) Hoc genus equestris proelii, Homero ignotum, primus memorat auctor Scuti v. 286: nisi prior hoc Arctinus fuit, apud quem Amazones equitantes fuisse demonstravit Welckerus, de Cycl. II p. 216.

8) Citatur hic theogoniae versus etiam in schol. ad Il. XVI, 748, ubi quum ante Bekkerum scriptum esset *καί τοί σοι Γλαυκὸν δυσπέμφελον ἐργ.*, Heynius tom. VII p. 263 versum ex aliquo deperdito carmine esse credidit, et ne Schneiderus quidem ad Orph. Arg. 340, licet corrigeret scripturam, theogoniae memor fuit.

siodo videmus ad res designandas, quibus illae maxime proprieque conveniunt, velut φερέοικος cochleam significat O. et D. v. 573, ἀνόστεος polypum ib. v. 526, πέντοζος manum v. 744, ἴδρις formicam v. 756, nec aliter ὑγρή apud Homerum aliquoties de mari dicitur.

Postremo Hecates auxilio homines etiam in re pecuaria indigent. v. 444—447:

> ἐσθλὴ δ' ἐν σταθμοῖσι σὺν Ἑρμῇ ληΐδ' ἀέξειν,
> βουκολίας τ' ἀγέλας τε καὶ αἰπόλια πλατέ' αἰγῶν
> ποίμνας τ' εἰροπόκων ὀΐων, θυμῷ γ' ἐθέλουσα,
> ἐξ ὀλίγων βριάει κἀκ πολλῶν μείονα θῆκεν.

Βουκολίας, vocabulum Homero inusitatum, fuerunt qui pro substantivo acciperent, velut Lennepius, qui conferri iubet hymn. Hom. in Merc. v. 489, ubi de Apolline dicitur Ἑρμῇ δ' ἐγγυάλιξεν ἔχειν μάστιγα φαεινήν, βουκολίας τ' ἐπέτελλεν, et Apollon. Rh. I, 627, ubi Lemniis mulieribus βουκολίαι βοῶν cordi fuisse dicuntur. Est sane utroque loco pro substantivo, neque tamen armenta, sed curam potius boum significare videtur, id quod in hunc locum non convenire apparet, in quo, si substantivum est, non poterit nisi armenta significare, ut apud Herodotum I, 114, ἐν τῇ κώμῃ ταύτῃ, ἐν τῇ ἦσαν αἱ βουκολίαι αὗται. Sic igitur quattuor gregum nomina habebimus, primum βουκολίας, deinde ἀγέλας, porro αἰπόλια, postremo ποίμνας ὀΐων, in quibus quid sibi velint ἀγέλαι difficile dictu sit. Nam ne quis aut equos aut sues intelligi iubeat, vix verendum est. Necesse est igitur βουκολίας pro adiectivo accipi cum substantivo ἀγέλας coniungendo: nam natura sua adiectivum esse, licet non raro sine substantivo ponatur, in aperto est. Atque sic demum etiam connexio huius versus cum praecedente constabit. Nam prior copula, post βουκολίας posita, nectit orationem cum superiore versu, altera autem, τε καί, coniungit βουκολίας ἀγέλας et αἰπόλια αἰγῶν. Quamquam fatendum est, paullo planius hoc fieri potuisse ἠδὲ copula pro τε καί posita: sic enim minus errari potuisset, aut etiam lacunae suspicio moveri, quod ab Hermanno factum est. Is enim versum ante 447 excidisse credidit, tanto fortasse libentius, quia uno versiculo addito stropha evasura erat quinaria, a 444 ad 447. — Αἰπόλια πλατέ' αἰγῶν ex Homero sumpta sunt Il. II, 474. XI, 678. Od. XIV, 101. 103: βριάειν autem, verbum Homero inusitatum, in O. et D. v. 5 bis legitur et transitivo et intransitivo significatu. Neque Ἑρμῇ forma disyllaba ab Homero frequentatur, cuius in Iliade nullum exemplum est,

pauca in Odyssea; in theogonia autem etiam infra legitur, v. 938, *Μαίη τέκε κύδιμον Ἑρμῆν.* Mercurium deum pastoralem fuisse nemo ignorat. Atque sicut huius in hoc munere socia esse Hecate dicitur, et paullo ante in navigantium tutela Neptuni, sic etiam in ceteris, quae 11
supra commemorata sunt, omnibus alii quidam dei nominari potuissent, quorum illa munerum societatem haberet, velut in concionibus Mercurii, qui *ἀγοραῖος* appellatur, in iudiciis Themidis aut Iovis, in bellis Martis ac Minervae, in ludicris certaminibus rursus Mercurii *ἐναγωνίου*, in re equestri Neptuni aut Minervae, in venatu Dianae, quae quidem ne ab equestris quidem rei cura abhorret[9]), ut sunt omnino deorum munera non nimis certis finibus circumscripta et inter se disterminata. Sed uni Hecatae hoc datum est, ut particeps sit omnium, habeatque *αἶσαν ἁπάντων, ὅσσοι Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο.*

Finem deae laudandae poeta facit his versibus, 448. 449:

οὕτω τοι καὶ μουνογενὴς ἐκ μητρὸς ἐοῦσα
πᾶσι μετ' ἀθανάτοισι τετίμηται γεράεσσι,

quibus quum omnis hic locus aptissime conclusus videri possit, adiiciuntur tamen adhuc duo versus, 450. 451:

θῆκε δέ μιν Κρονίδης κουροτρόφον, οἳ μετ' ἐκείνην
ὀφθαλμοῖσιν ἴδοντο φάος πολυδερκέος Ἠοῦς,

scilicet ne unum de maximis muneribus desideretur, cuius in superioribus nondum mentio facta est: ac postremo his rursus clausula additur, v. 452:

οὕτως ἐξ ἀρχῆς κουροτρόφος, αἱ δέ τε τιμαί,

qui versus plerisque adeo displicuit, ut eum obelo notare non dubitaverint. Neque mihi placet; sed tamen cur interpolatori potius quam ipsi compositori theogoniae tribuendum dicam, nullam satis gravem causam esse video. Hermannus vero ex his quinque versibus duobus tantum pepercit, 450. 451, reliquos tres prorsus abiecit: atque illos quoque alieno loco insertos esse ait, in antiquiore autem theogonia positos fuisse statim post v. 413. Nam fuisse inde a v. 411 usque ad 415 duas diversas recensiones: harum alteram habuisse versum 411 sic scriptum,

ἡ δ' ὑποκυσαμένη Ἑκάτην τέκεν, ἣ περὶ πάντων

---

9) Cf. Pindar. Pyth. II, 7. Boeckh. explic. Ol. III, 26. Voss. epist. myth. III p. 71.

post hunc autem unum nunc deperditum huiusmodi,

θνητοῖς τ' ἀνθρώποισιν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν,

ac deinde eum, qui nunc est 415,

ἀθανάτοις τε θεοῖσι τετιμένη ἐστὶ μάλιστα,

qui tres versus cum 409. 410 stropham efficiunt quinariam. Alteram autem recensionem habuisse stropham horum quinque versuum, qui nunc sunt 411. 412. 413. 450. 451. Erat autem in huius alterius recensionis restitutione longius etiam progrediendum, quam ab ipso Hermanno factum est, ne versibus 409. 410, quos abesse non posse apparet, nullus in hac recensione locus relinqueretur, id quod accidit, si praecedentem stropham cum Hermanuo his quinque versibus 404—408 constare dicimus. Erant igitur ex his duo eximendi, quorum in locum illi, quos dixi, 409. 410 succederent. Neque id factu difficile.
12 Nam uni quidem, qui est 408, obelus dudum ab aliis appositus est; alterum, qui hunc antecedit, necessarium esse nemo dicet; et damnavit hunc quoque elegans Gruppii iudicium, p. 78, cui quin Hermannus, si attendisset, assensurus fuerit, dubium esse non potest. Equidem non diffiteor istam diversarum recensionum stropharumque quinariarum descriptionem ingeniose excogitatam magnaque cum arte exornatam esse, ut fallere non raro probabilitatis quadam specie possit: attamen ad restituendam veram atque genuinam theogoniae formam his artificiis perveniri posse nego. — Neque illud viro immortali concedere possum, *ἴδοντο* v. 451 non tolerandum, sed cum *ἴδωσι* permutandum esse[10]). Nempe non tolerandum est, si refertur ad illud tempus, quo Iupiter Hecaten *κουροτρόφον* fieri iussit, ut aoristus pro plusquamperfecto sit: iussit eam altricem fieri eorum, qui lucem adspexerant. Hoc enim absurdum esse apparet: nam excludentur sic omnes, qui tunc nondum nati erant. Atqui potuit *ἴδοντο* etiam pro perfecto accipi, referrique ad hoc tempus, quo poeta loquitur: fecit eam Iupiter altricem omnium, qui postea nati sunt: atque

10) Leniore mutatione *ἴδοιντο* reponi potuisse dixeris: neque credo Hermanno optativum alienum visum esse ab eiusmodi enuntiatione relativa, quae rem futuram, sed praeterito tempore alicuius menti obversantem indicaret. Sed nolebat nimirum insolitam formam veteri epico obtrudere, *ἴδοιντο* pro *ἰδοίατο*. Neque ego me vetustius illius formae exemplum invenisse memini, quam hoc Thebaidis Cyclicae apud Athenae. XI p. 465: *ὡς οὔ οἱ πατρώϊ' ἐνηείῃ φιλότητι δάσσαιντ', ἀμφοτέροισι κτλ.* et Asii apud eundem XII p. 525 E: *ὅπως πλοκάμους κτενίσαιντο.* Nam Il. I, 344, *μαχέοιντο*, quam incertae fidei sit satis constat.

sic locum interpretes omnes accepisse videntur. Sed *μετ' ἐκείνην* tamen v. 450 vix verum est[10]). Nam quod Vossius, epist. myth. III, p. 192, eos significari ait, qui post adventum Hecates a parturientibus invocatae, h. e. Hecates ope et auxilio, in lucem editi sint, hanc sententiam in ipsis poetae verbis nullo modo inesse manifestum est. Hermannus scripsit *σὺν ἐκείνῃ*, non addita explicatione: sed voluit sine dubio: illa adiuvante. Mihi in mentem venit *μετέπειτα*, quod nec longius a librorum scriptura distat, et sententiam habet haud ineptam: fecit eam Iupiter altricem omnium, qui postea h. e. post traditum Hecatae hoc munus, lucem adspexerunt. — In eodem versu apparet *οἵ* pronomen referri ad notionem ex contextu subaudiendam, quod genus loquendi, etsi paullo fortasse durius, non tamen sine exemplo est, eoque facilius hoc loco admitti potuit, quod notio illa in ipso vocabulo *κουροτρόφος* quodammodo inest, quippe quod nihil aliud sit quam *κούρων τροφός*. Ceterum etiam hoc munus *κουροτροφίας* non proprium Hecatae fuit, sed commune cum aliis, velut cum Apolline fluviorumque deis ac nymphis, de quibus ipsa theogonia testatur v. 346. 7, aut cum Tellure, cum Cerere, cum Diana, cum Venere, quae passim ab aliis *κουροτρόφοι* vocantur[11]).

Iam si horum omnium, quae de Hecate praedicantur, quasi summam colligimus, eam nobis deam ab hoc poeta proponi videmus, cuius potestas omnium latissime pateat, neque unius alicuius muneris atque officii genere contineatur, sed pariter ad omnia pertineat et in omni- 13
bus plurimum valeat, ut hactenus quidem non inepta sit veterum quorundam notatio, in Eudociae violario p. 144 relata: *εἴρηται δὲ Ἑκά-*

10b) Ratio in aperto est, nec latuit Naegelsbachium, Die Nachhomerische Theologie etc. p. 12; quo magis miror, tamen illud *μετ' ἐκείνην* ab eo defendi. „Eine Untersuchung“ inquit „wie sich Hekate's Geburt zu Zeus' Regierungsantritt chronologisch verhalte, wird wohl Niemand verlangen.“ Sane nemo postulabit quaeri, quod ex ipsius carminis tenore cuivis non caecutienti statim se ipsum in oculos ingerit, dudum natam Hecaten fuisse quum Iupiter regno potiretur, v. 423 sqq. Sed propter hoc ipsum illud *μετ' ἐκείνην*, utpote rei manifestissimae repugnans, ab homine non prorsus incogitante scribi potuisse mihi quidem parum credibile est.

11) De Tellure vid. Pausan. I, 22, 3. Aristoph. Thesm. v. 300; de Cerere Hesych. s. v. *κουροτρόφ.* et all. apud Preller. Demet. u. Perseph. p. 110; de Diana Diodor. V, 73, schol. ad Odyss. XX, 71; de Venere Sophocl. apud Athenae. XIII p. 592 A. Anthol. Palat. VI, 318. Etiam Vesta, schol. Arist. Thesm. v. 300, et Latona, Theocrit. XVIII, 50, *κουροτρόφοι* sunt.

τη οἱονεὶ ἑκάστη τις οὖσα, ἢ εἰς ἕκαστα παραλαμβανομένη, πανταχοῦ βοηθοῦσα, ἢ ὅτι ἑκάστου θεοῦ τιμῶν μετέχει. Nam dicitur sane Hecate omnium deorum socia consorsque munerum, adeo ut nihil divini beneficii ad homines absque illa permaneat, sitque ea proinde in omni deorum sacrificio simul invocanda. Iam vero ut afficiantur homines deorum beneficiis, duabus rebus opus esse apparet, ut et velint iis dei bene facere, et ut possint: quamobrem aut voluntatem divinam Hecate significari dicemus, aut potestatem. Ac voluntatis quidem significationem etiam in ipso nomine Hermannus inesse statuit, quippe quod cum *ἑκών*, *ἕκητι* cognatum sit, interpretaturque *Ἑκάτην* Voluminiam[12]). Quamquam is non de divina sed de humana potius voluntate cogitavit: nam Hesiodeae fabulae hanc sententiam esse ait, ut ex agendi studio et sollertia, addicentibus etiam signis caelestibus, prosper eventus prodire dicatur. Signa caelestia propter Persen admiscuisse videtur, Hecates patrem, quem ipse Zodiacum, h. e. signiferum orbem, esse credit, qua de re posthac dicendum erit. Sed confusam sic et permixtam voluntatis humanae signorumque caelestium significationem, ut una Hecates persona utrumque repraesentetur, vix probari posse arbitror, quamobrem, etiam si quis illam nominis notationem non spernat, rectius tamen sine dubio divinam voluntatem significari iudicabit, quum praesertim saepissime, quod deorum voluntate fit, *θεῶν ἕκητι* fieri dicatur. Verum longe tamen probabilior est altera nominis notatio, quae et veteribus plerisque[13]) et recentiorum longe pluribus placuit[14]), ut *Ἑκάτη* eiusque geminum

12) De mythol. Gr. antiq. in Opusc. II p. 185 et diss. de Apoll. et Dian. Opusc. VII p. 306.

13) Vid. Hesych. s. v. *ἑκάτοιο*. Heraclit. alleg. Hom. p. 23. Schol. ad Il. I, 385, Etymol. M. p. 320, 9. Zonar. p. 651. Eudoc. p. 8 et all. — Nonnullis tamen *Ἑκάτη* dicta videbatur a numerali *ἑκατόν*, sive quod centum h. e. multas potestates haberet, sive quod segetes multiplices redderet, scilicet quum eadem ac Proserpina esse statueretur. Vid. Fulgent. I, 9 p. 42 Munk. et Mythogr. Rom. II, 15. III, 7. Similiter Apollinem *ἕκατον* dictum voluerunt propter centum sagittas in Pythonem coniectas, cuius rei auctorem Simonidem citant Iulianus ep. 24 p. 395 D. Eustath. ad Il. I, 75 p. 52, 15. Tzetz. exeg. Il. p. 117.

14) Fuerunt tamen qui ex Phoenicum lingua nomen repeterent, velut Clericus ad theog. v. 411 et Bochartus, quibus assentitur Hug. de myth. p. 110. Nuper autem a sanscritica radice vas, quae velle significet, *ἕκατον* factum statuerunt Sonnius in epilegom. ad Benfeii lex. rad. (vid. Curt. in Mützell. Zeitschr. f. das

Ἕκατος ab eo, quod est ἑκάς, descendere dicantur, pariter atque *Ἑκατηβόλος*, *Ἑκατηβελέτης*, *Ἑκηβόλος*, *Ἑκάεργος*, quae nomina quin aut iaculantem e longinquo aut operantem e longinquo significarent nemo, quod sciam, infitias ire conatus est, praeter Hermannum. Is enim, ut haec quoque voluntatis significationem haberent, appellari his cognomentis Apollinem ac Dianam non propterea statuit, quod eminus tela coniicerent, sed propter ἀγανὰ βέλη, quia mortem placidam et sine doloribus propitia voluntate ac favore hominibus immitterent[15]: quae sententia quantopere non modo cum grammaticorum auctoritate, sed cum optimorum ac vetustissimorum scriptorum 14
usu pugnet, in aperto est. Nam Homerus quidem ἑκηβόλον et ἑκάεργον Apollinem etiam ibi dicit, ubi telis irati numinis pestilentiam Achaeis immissam esse narrat, Il. I, 75. 96. 110. 147, Pindarus Musarum τόξα ἑκηβόλα appellat, Ol. IX, 9, Timotheus Solem invocat, ut ἑκηβόλον βέλος adversariis immittat[16], Aeschylus denique et Euripides ἑκηβόλα τόξα Furiis, Herculi, Atalantae, Scythis, Amazonibus tribuunt[17], quae omnia exempla nullam nisi longe iaculandi significationem demonstrant. Quod autem addit Hermannus, si vera et genuina haec sit illorum vocabulorum significatio, mirum esse et prorsus inexplicabile, cur nunquam tamen similia cognomina a τῆλε facta deis imponantur, hoc mihi facillimum explicatu videtur. Nimirum illis semel receptis usuque tritis nova fingi nihil opus erat[18].

Tenebimus igitur Hecates nominis hanc notationem, ut ab eo, quod est ἑκάς, dictam esse statuamus, cui notationi quoniam voluntatis significatio non convenit, restat alterum de duobus, quae supra posuimus, ut potestatem significet divinam, eam scilicet, quae maxime deis propria, hominibus autem negata est, ut ἑκάς h. e. e longinquo facile quod velint solo mentis divinae motu ac numine efficere valeant[19]. Nam fingebantur quidem dei corporibus ad hominum simi-

---

Gymnasialwesen ann. II p. 219) et Böttieherus, Aricorum p. 12; Pottus contra, Etymol. Forsch. I p. 234 a witseh, quod separandi significationem habeat.

15) Hermann, Ueber das Wesen und die Behandlung der Mythologie p. 99.

16) Apud Macrobium, Sat. I, 17 p. 297 Zeun.

17) Aeschyl. Prometh. v. 713. Eurip. Orest. v. 273. Phoen. v. 1108. Herc. fur. v. 472. Aesch. Eum. 598.

18) Cf. etiam Nitzsch. ad Odyss. tom. II p. 197 de discrimine significationis inter τῆλε et ἑκάς subtiliter monentem.

19) Sie iudicavit etiam Klausenius, d. Abenteuer des Odysseus, p. 28: „He-

litudinem induti; vis tamen eorum ac potestas talis esse credebatur, quae non utique egeret corporis ac membrorum usu ad res movendas efficiendumque quod vellent. Neque recentiorem hanc opinionem et ab Homerica aut proxima huic aetate alienam dicere licet. Nam quamvis saepe apud Homerum deos videamus de Olympo in terram descendere, ipsosque praesentes hominum rebus immixtos corporis membris operari, non desunt tamen ne apud hunc quidem contrarii generis exempla, unde appareat, quemadmodum de Iove et Minerva disertis verbis dicitur Od. XVI, 263, esse eos, *ὕψι περ ἐν νεφέεσσι καθημένους*, nihilo minus tamen *ἐπαμύντορας ἐσθλούς*, sic etiam ceteris deis, quum quid fieri in terris volunt, non opus esse propterea de caelo descendere, sed posse eos etiam e longinquo quod velint quodque ipsis fas sit numinis sui vi ac potestate efficere[20]). Quod quum tamen plerumque Homerus eos in terram devocet, cursitantes, laborantes, voce aut manibus utentes inducat, facit hoc suo iure fun-

kute, Versinnlichung einer wesentlichen göttlichen Eigenschaft. Das Vermögen der Götter aus der Ferne zu helfen, preist das ganze griechische Alterthum u. s. w." Cf. Id. in Museo Rhen. vol. III (ann. 1835) p. 452. Sed operae pretium est Rinckium audire, sapienter scilicet nos castigantem, de relig. Gr. II, 1 praef. p. V.: Der Theogonie ist Hekate die zeugende und segnende Glücksgöttin, die Aschera (Gad) der Phoenizier, die Nortia der Etrusker; Hn. S. ist sie nach Klausen die aus der Ferne wirkende Göttin, von *ἑκάς* abgeleitet, wozu er die Hauptsache, die Wirksame, als ausgelassen hinzudenkt"!! Magis fortasse placebit viro perducto Hecaten ex Aegypto arcessere, ubi commenticiam quandam Hekten Röthius invenit p. 50. 73. 92.

20) Velut Il. V, 23 Vulcanus Idaeum ex discrimine erepturus nube involvit, nec tamen propterea ipse praesens adfuisse dicitur, non magis quam Apollo, quum eius auxilio Hector servaretur, Il. XI, 363 coll. v. 75. Neque Minerva adest, quum de ea dicitur, v. 437, *οὐδέ τ' ἔασε μιχθήμεναι ἔγχος ἔγκασι φωτός*; nec legati ad Achillem quum invocant Neptunum, IX, 183, ut contingat sibi *ῥηϊδίως πεπιθεῖν μεγάλας φρένας Αἰακίδαο*, emergere propterea Neptunum ex aequore volunt: neque Diomedes, V, 118, Minervam precans, *δὸς δέ τέ μ' ἄνδρα ἑλεῖν καὶ ἐς ὁρμὴν ἔγχεος ἐλθεῖν*, hoc postulat, ut ipsa manu sua aliquem ex hostibus Diomedi obiiciat et intra teli ictum collocet. Neque vero Od. XIV, 312, quum Ulixes Iovem ipsum sibi navis malum in manus dedisse ait, quisquam hoc ita accipiet, ac si Iovem ad sese descendisse de caelo voluerit. Item quum deus aliquis *χεῖρα ὑπερέχειν τινός* dicitur, ut Il. IX, 419. 686. XXIV, 374 non proprie hoc, sed figurate dici in aperto est: neque aliter iudicabitur de Il. XII, 37. XIII, 812, ubi *Διὸς μάστιγι* Achaei afflicti dicuntur, aut XV, 693, ubi Iupiter Hectorem impellit *χειρὶ μάλα μεγάλῃ*.

giturque boni poetae officio. Nam hoc genus imaginum maxime ornat poesin, animosque auditorum capit ac delectat, quamobrem etiam posteriorum aetatum poetae eo carere noluerunt, ne nostri quidem christiani in iis carminibus, in quibus Deum O. M. angelosque caelestes agentes inducunt, quamvis hos incorporeos esse persuasum habeant. Veteres autem illi tanto libentius liberiusque his imaginibus utebantur, quod deos vere *ἀνθρωπομόρφους* esse credebant: neque tamen hoc sic accipi debet, ac si omnem vim et naturam deorum tanquam inclusam corporis finibus putaverint, ut non possent etiam absque membrorum usu res terrestres movere. Fuerit illa ante Homerum rudiorum hominum opinio; Homerus deos suos utroque modo operantes fecit, prout aut maiestati eorum aut poeticis suis rationibus convenientius esse videretur: quo in genere si qui libertatem poetae certis regulis adstringere certaque ratione definire conantur, quaenam res a deis etiam absentibus effici potuerint, quae non potuerint, hos equidem argutari et inutili quadam subtilitate intempestive abuti censeo. Quamquam de Homero ne opus quidem est contendi, quum de Hecate agamus, cuius nulla apud illum mentio fit. Theogoniae autem compositori, quem diu post Homerum scripsisse certum est, cur illam, quam exposui, de numine ac potestate deorum sententiam abiudicemus, nulla profecto causa est. Neque offendet, opinor, vis haec divini numinis sic tanquam propria persona induta ceterisque deis ut *πάρεδρος* quaedam addita, siquidem pari modo etiam *Κράτος* et *Βίαν* Iovi satellites adiunctos videmus, Metin autem et Themidem ei uxores datas, aut Heben deis pocula ministrantem, multasque alias personas deorum simili ratione confictas, quas enumerare longum est[21]). Neque illud non conveniens esse dicemus, quod Hecate iam apud antiquiores deos pollens potensque fuisse dicitur. Nam divina illa vi et potestate, quam sub eius persona significari statuimus, nullo tempore deos caruisse consentaneum fuit. Denique etiam parentes Hecates ad hanc eius significationem plane accommodati sunt. Matrem enim Asteriam qualis sit, nomen ipsum declarat, ab *ἄστρασι* factum: latine Stellinam aut Sideream dixeris, naturamque interpreteris caelestem in sideribus insitam aut aliquo certe modo ad sidera pertinentem. Haec patrem

21) Ad instar huiusmodi prosopopoeiae Pindarus Pyth. III, 27 etiam mentem Apollinis omnium rerum gnaram sociam eius dixit integerrimam: *ἄϊεν Λοξίας κοινᾶνι παρ' εὐθυτάτῳ — πάντα ἴσαντι νόῳ.*

Coeum, matrem Phoeben habet, quorum nominibus ardorem et lucem significari alibi nobis probasse videmur[22]), sororque eis Latona datur, cuius nomen quin Latentem significet, numenque indicet nocturnum, vix dubitari potest. Persae, qui pater Hecates dicitur, nomen quidem minus apertam originem habet; tamen huius quoque naturam caelestem esse praeter uxorem Asteriam etiam fratrum,
16 Astraei et Pallantis, comparatio demonstrare posse videtur. Alterum enim Sidereum s. Stellinum esse manifestum est, diciturque ab Arato, Phaenom. v. 99, *ἄστρων ἀρχαῖος πατήρ*[23]). Pallantis autem nomen, a verbo *πάλλειν* factum, eam vim et naturam significare credo, qua sidera per caelum vehuntur ac pelluntur, quemadmodum verbum illud apud Euripidem, Ion. v. 1166, de Nocte usurpatur per caelum vecta: *μελάμπεπλος δὲ Νὺξ ἀσείρωτον ζυγοῖς ὄχημ' ἔπαλλεν*: et de aquilae volatu apud Pindarum, Nem. V, 21: *καὶ πέραν πόντοιο πάλλοντ' αἰετοί*. Et caelestem Pallantis naturam etiam hinc agnoscas, quod, sicut Astraeus ab Arato siderum, sic ille ab auctore hymni Hom. in Mercur. v. 100 Lunae pater esse dicitur. Parentes autem horum trium *Κρεῖον* et *Εὐρυβίην*, quid aliud esse dicemus, quam ingentes quasdam naturae vires, unde quum aliarum mundi partium, tum caelestium corporum motus originem habeant? Sic igitur nostro iure etiam Persen his caelestibus naturis adnumerabimus, quamvis dubia nominis notatione, quod veteribus a *πέρω*, *περάω* descendere visum est, ut significaretur *ἡ τῶν ἄστρων διαπεραίωσις ἢ κίνησις ἀπὸ ἀνατολῆς εἰς δύσιν*, ut ait theogoniae scholiastes ad v. 377[24]), a qua notatione non dissentiens Hermannus Persen inter-

22) In diss. de Titanibus Hesiodeis p. 18. 19.

23) Pausanias I, 35, 5 Milesiorum fabulam memorat, in qua Asterius Anactis, Anax autem Terrae filius dicebatur. Huius fabulae auctoribus Anactem Caelum fuisse suspicor, qui Terrae filius etiam apud Hesiodum est. Sed etiam in Cretensium fabulis Asterius aut Asterion celebrabatur, in quem qui paullo subtilius inquirat, facile ipsum Iovem Caelestem sub hac forma delitescere agnoscat. Sed haec persequi ab hoc loco alienum est.

24) Cf. Eustath. ad Od. p. 1651, 52, qui Persen, Oceani filiam, quam Hesiodus Perseiden dicit, Soli uxorem datam esse ait *διὰ τὴν ἀεικίνητον αὐτοῦ περαίωσιν, ἤγουν ἐκ περάτης εἰς περάτην κίνησιν*. — Aeoles ut *φέρρω*, *κέρρω*, *φθέρρω*, *σπέρρω* pro *φείρω* etc. dixerunt (vid. Ahrens dial. Aeol. p. 53), sic etiam *πέρρω* pro *πείρω*. Hinc *Περρεύς* et *Πέρρος*, quae forma nominis subest gentilicio *Περρίδαι*, quod nomen fuit pagi Attici tribus Antiochidis. *Πείρειν* au-

pretatur Trameum, sed significari Zodiacum credit; alii autem ab obsoleta quadam forma eius verbi, quod est *πίμπρημι*[25]), cuius aoristum *ἔπρεσε* habet theogonia v. 856, repetere nomen maluerunt, ut esset *Περσεύς* per transpositionem litterarum pro *Πρεσεύς*, significaretque solis aut stellarum ardorem; ne de eis dicam, qui nomen non graecae sed barbarae originis esse volunt, lucisque significationem ei asserunt[26]). Utut est, ad caelum Persen pariter cum uxore Asteria pertinere manifestum est. His autem parentibus quod Hecate nata dicitur, nihil aliud significari arbitror, nisi vim illam caelitum, qua, quod volunt, etiam e longinquo efficiunt, caelestem habere originem. Sed accedebat fortasse etiam haec opinio, ut non sine caelestium signorum interventu vis illa deorum res terrestres atque humanas movere putaretur, abs qua sententia etiam veteres theogoniae interpretes non magnopere abhorrent. Nam in Asteriae, matris Hecates, interpretatione 17
scholiastes ad v. 409 ait: *διὰ γὰρ τῆς κινήσεως τῶν ἄστρων τὰ πράγματα περαιοῦνται*, et disertius etiam Ioannes Diaconus p. 471 Gaisf.: *ταύτην τὴν Ἀστερίαν ὁ Πέρσης λέγεται ἀγαγέσθαι ἄκοιτιν, παρόσον τῆς τῶν οὐρανίων σωμάτων δραστικῆς καὶ ἐνεργοῦς κινήσεως ἐξήρτηται τὰ ἀνθρώπινα πράγματα.* Quamvis enim longe a Chaldaeorum opinionibus astrologicis illa aetas, qua haec theogonia composita est, sine dubio abfuerit, vim tamen quandam astrorum ad res terrestres et humanas pertinentem dubitari non potest quin satis mature Graeci suspicati sint, unde *ἀστέρας λαμπροὺς δυναστὰς ἐμπρέποντας αἰθέρι* Aeschylus dixit, Agamemnonis initio[27]).

---

tem eodem sensu quo *περᾶν* apud Homerum aliquoties usurpatum est. Cf. et Ahrens in Diurn. antiquar. ann. 1836 p. 812.

25) Fuit in his O. Muellerus. Vid. eius opusc. II p. 174.

26) Hi velim Pottum audiant severe monentem in praef. libri bonae frugis plenissimi, Etymol. Forschungen etc. tom. I p. LXXV. Sed gratior sine dubio orientis amatoribus erit Pickii annotatio apud Potterum in Lycophr. v. 1428, *πέρραν* in Aegyptiorum sermone solem significare testantis, quod confirmavit nuper Seyffarthus apud Bachmann. p. 287. Quamquam magnus horum mysteriorum epopta, Roethius, histor. philos. occid. I p. 310, Perseo nihil cum sole aut caelo commune esse vult, sed ventum esse calidum et pestilentem, non alium quam Typhonem, cuius cognomentum Bore-Seth Graeci in Persen aut Peraeum corruperint.

27) Constat Hesiodo quoque astrologicum carmen adscriptum fuisse: quamquam de eius argumento et quantum ex mathematicorum opinionibus complexum sit, non liquet. De Orphicorum astrologicis vid. Lobeck. Agl. p. 425. 6.

Adhuc id unum egimus, ut Hecates personam, qualem Hesiodi theogonia describit, illustraremus, nulla eorum ratione habita, quae de eadem dea ab aliis tradita sunt, quorum plurima tantopere non modo cum Hesiodo, sed inter se ipsa discrepant, ut hoc etiam exemplo, sicut aliis innumerabilibus, patefieri possit, quam vagae fere atque instabiles veterum de diis suis opiniones fuerint, quantumque in eis vel locorum ac temporum diversitate variatum, vel poetarum licentia temeratum, vel interpretantium studiis diffictum sit. Neque placet nunc nobis aut licet illa omnia singulatim persequi; sed summa tamen rerum capita delibanda sunt, si forte vera ac genuina Hecates significatio certius cognosci, et quatenus eam theogoniae compositor immutaverit, intelligi possit.

Iam primum satis constat, Hecaten per omnem Graeciam magna cum religione publice privatimque cultam esse. Nam et arae ei atque delubra passim consecrata erant [28]), et pro foribus aedium privatarum *Ἑκατεῖα* posita, h. e. aediculae cum deae imagine, quam et introeuntes aut exeuntes venerari homines religiosi, et omina quoque rerum gerendarum ab ea petere solerent, id quod colligimus ex Aristophanis verbis, Lysistr. v. 64, *ἡ γοῦν Θεαγένους δεῦρ' ἰοῦσα θοὐκατεῖον ἀνήρετο.* Nam sic hunc versum verissime emendavit Bentleius ad Callimachi fragm. 227, Suidae loco fretus, apud quem legitur: *Ἑκατεῖον, Ἑκάτης ἄγαλμα. καὶ παροιμία Θεαγένους Ἑκατεῖον, οὗ ἐπυνθάνετο πανταχοῦ ἀπιών.* Apud eundem poetam in eadem fabula v. 699 etiam *παιγνιαί* quaedam memorantur a mulieribus Hecatae fieri solitae, quae videntur feriae privatae fuisse in eius deae honorem cum lusu atque hilaritate celebratae. Et probabile est, apud muliebrem sexum Hecaten in praecipuo honore habitam esse propterea, quod et *κουροτρόφος* esse [29]) h. e. natorum tutelam gerere, et in partu quoque matribus adesse putabatur. Certe Genetyllidem, parturientium deam, si minus eandem atque Hecaten, attamen eius consortem creditam esse sacrorum similitudo persuadet: utrique enim canes immolabantur [30]). Ad publicas autem religiones

---

28) Cicero d. N. D. III, 18, 46. Apud Porphyrium, de abst. II, 16 p. 129, Clearchus Arcas, homo religiosissimus, profitetur se *κατὰ μῆνα ἕκαστον ταῖς νουμηνίαις στεφανοῦν καὶ φαιδρύνειν τὸν Ἑρμῆν καὶ τὴν Ἑκάτην.*

29) Vid. schol. ad Aristoph. Vesp. v. 836. Huc pertinere credo Ps. Herod. vit. Hom. c. 30, de Samiis mulieribus *τῇ Κουροτρόφῳ* in triviis sacra facientibus. Nam haec *κουροτρόφος* quin Hecate sit, vix dubitari potest.

30) Hesych. s. v. *Γενετυλλίς· γυναικεία θεός, πεποιημένου τοῦ ὀνόματος*

pertinet maxime Hecate vialis et trivia, *ἐνοδία* et *τριοδῖτις*, cui in compitis urbium extraque in triviis sacella consecrata erant, ut praesidi viarum commeantiumque tutelae: morisque erat, ut quovis novilunio in triviis panes aliaque viliorum ciborum genera Hecatae apponerentur, *Ἑκάτης δεῖπνα*, quibus quum egenos homines famem sedare nulla religio vetaret, hanc ipsam eorum apponendorum causam fuisse non temere coniicias[31]). Sed maritimis quoque itineribus dea vialis praeerat ut *θαλάσσιος θεά*, quemadmodum a Melanthio dicitur, de Eleusin. myster. apud Athenaeum VII p. 325 C. Et credibile est, hanc praecipue causam fuisse, cur Aeginetae, homines insulani et rei maritimae praeter ceteros dediti, Hecaten apud se summopere colerent, cuius etiam mysteria apud eos erant, ab Orpheo, ut fama ferebat, instituta[32]), quae *Ἐνοδίας τελέται* vocantur a Luciano, Navig. c. 15. Fuisse autem cum his sacris etiam lustrationes coniunctas perquam probabilis est coniectura Lobeckii, Aglaoph. p. 242, quandoquidem apud Aristophanem in Vespis v. 122 Philocleo, ut ab insania liberaretur, primum Corybantibus initiatus, post Aeginam deductus dicitur. Et testatur etiam scholiastes Theocriti ad II, 36, pollutorum et piandorum procurationem ad Hecaten pertinuisse. Eadem porro medicaminum vires multiplices in potestate habere putabatur, eorum maxime, quae in veneficiis ac fascinationibus adhibebantur, omninoque omnes artes magicae incantationesque ad Hecaten referri solent[33]). Hinc ea, sicut salutare hominibus numen habebat promptumque ad opem ferendam, unde *Εὐκολίνη* a Callimacho dicta est[34]), sic non raro etiam malefica

---

παρα τὰς γενέσεις, ἐοικυῖα τῇ ἑορτῇ (scr. *τῇ Ἑκάτῃ*, cum Bentleio ad Horat. carm. saec. v. 13), *διὸ καὶ ταύτῃ κύνας προετίθεσαν.*

31) Cf. C. F. Hermann. antiquitt. relig. Gr. §. 15 not. 14—16.

32) Pausan. II, 30, 2. Cf. Liban. or. XIV tom. II p. 426: *Μένανδρος — φίλος Ἑκάτῃ καὶ Ποσειδῶνι, πλέων μὲν εἰς Αἴγιναν ὑπὲρ τῶν ἐκείνης ὀργίων ἐν τῇ νήσῳ κορυφαῖος ὢν τοῦ θιάσου.*

33) Cf. Eurip. Med. v. 397. Ion. v. 1065. Theocrit. II, 15. Schol. Apoll. Rh. III, 861. C. F. Hermann. l. l. §. 42 not. 9. 10.

34) Etym. M. p. 392, 27. *Εὐκολίνη ἡ Ἑκάτη λέγεται παρὰ Καλλιμάχῳ κατ' ἀντίφρασιν, ἡ μὴ οὖσα εὔκολος.* De antiphrasi gratiam facimus grammatico. Quidni enim beneficam deam, qualem Hesiodus proponit, etiam Callimachus praedicaverit? Comparabimus autem Mercurii cognomen *Εὔκολος*, quod huic apud Metapontinos inditum fuisse Hesychius s. v. testatur, quum praesertim etiam coniungatur cum Mercurio Hecate ab Hesiodo. Sed demonstrat tamen illud *κατ' ἀντίφρασιν*, non esse *Ἑκαλίνη ἡ Ἑκάλη* legendum, quod in Etym. mapt. bibl. Ultrai.

erat atque terribilis, id quod *Ἀνταίας* et *Βριμοῦς* cognomina significant [35]). Quumque invaluisset apud Graecos paullatim ea opinio, ut daemones quosdam malignos esse crederent [36]), circa sepulchra va-
19 gantes aut apud inferos habitantes, infestos mortalibus cupidosque nocendi, horum Hecatae principatum assignabant [37]), ab eaque homines exagitari immissis terriculamentis et spectris [38]), mortuorumque etiam animos ex orco excitari credebant: qualia quum nocturno tempore maxime fierent, non mirum etiam numen deae praecipue nocturnum habitum esse [39]), infernum autem propter magnam apud inferos potestatem [40]). Apparet autem hinc, quam affinis Hecate quum Lunae,

---

extare Ruhnkenius refert apud Ernestium ad Callimachi fr. p. 437. Cf. Lobeck. Proleg. pathol. p. 217, qui recte vulgatum tuetur. Nam quod nonnemo obiecit, verba *Χαῖρ' Εὐχολίνη*, quae ab Etymol. afferuntur, non esse versui heroo apta, nullius ponderis esse apparet, siquidem Callimachum non solum heroo metro usum esse constat.

35) De *Ἀνταία* vid. Hesych. s. v. Longe frequentius est *Βριμοῦς* nomen, Hecatae cum Cerere et Proserpina commune, de quo vid. Clem. Alex. Protr. c. 2, 15. Etymol. M. p. 213, 49. Schol. Apoll. Rh. III, 861. Tzetz. ad Lycophr. v. 1176 et qu. cit. C. G. Mueller. ad Tz. tom. II p. 745.

36) De malignis daemonibus primum Empedoclem dixisse ex Plutarcho colligas de def. orac. c. 17. Quales in universum ille daemones statuerit, quantum quidem ex monumentis cognosci potest, videre licet apud Karsten. Emped. p. 507 et Mullachium, virum praestantissimum, in disput. de Empedoclis procemio, qua superiore anno philologos Berolini congressos salutans excepit, p. 11 sqq. Apud posteriores ea superstitio aliquanto longius progressa multifariamque variata est, qua de re nunc accuratius disputari nihil attinet. In universum cf. Eudoc. Viol. p. 41. Pfanner. theolog. gentil. cap. 6. Creuzer. Symbol. III c. 1. Wachsmuth. Die Zauberkunst bei den Griechen und Römern, in Günth. et Wachsm. Athenaeo II p. 237 sqq. Ukert. de daemonibus, heroibus, geniis, in Actt. societ. litt. Saxonic. tom. II p. 139 sqq. H. Grote, history of Greece I p. 565 sqq.

37) Porphyr. *περὶ τῆς ἐκ λογίων φιλοσοφίας*, apud Eusebium praep. ev. IV, 23, 6. cf. 22, 10. Theodoret. Therap. III p. 132 Gaisf.

38) Hippocr. de morbo sacro p. 16 Diez.: *ὁκόσα δὲ δείματα νυκτὸς παρίσταται καὶ φόβοι καὶ παράνοιαι καὶ ἀναπηδήσιες ἐκ τῆς κλίνης καὶ φόβητρα καὶ φεύξιες ἔξω, Ἑκάτης φασὶ εἶναι ἐπιβουλὰς καὶ ἡρώων ἐφόδους.* Cf. Eurip. Helen. v. 570. Dio Chrysost. or. IV p. 83 Emp. Schol. Apoll. Rh. III, 861. Add. Lobeck. Agl. p. 19, qui hinc *Ὠπήτειραν* Hecaten cognominatam esse suspicatur.

39) *Νυκτιπόλος Ἑκάτη*. Apoll. Rh. IV, 829.

40) Poet. inc. ap. Plutarch. de superst. c. 3: *ἀλλ' εἴτ' ἔνυπνον φάντασμα φοβεῖ, χθονίας θ' Ἑκάτης κῶμον ἐδέξω.* Quos versus Aeschyli credit Porson. ad Eur. Orest. v. 401, Euripidis Casaubonus ad Pers. sat. V, 46. Cf. Aristoph. fr. Tagenist. ap. schol. Ran. v. 295: *χθονίας Ἑκάτης σπείρας ὀφέων ἐλελιζο-*

tum etiam Proserpinae fuerit, quarum altera nocturno tempore dominari multarumque noxiarum effectrix esse[41]), altera autem regnare apud inferos credebatur: quamobrem factum est, ut vulgo Hecate aut arctissime cum his duabus coniuncta aut plane non diversa ab eis esse videretur, quae numinum aut consociatio aut confusio quam vetusta fuerit, sciri a nobis iam non potest; sed testes rei antiquissimos poetas tragicos habemus[42]), apud quos etiam cum Diana Hecate confundi solet, propterea scilicet, quod hanc quoque non diversam a Luna esse putabant, cuius opinionis primus, quod sciam, testis est Aeschylus, Latonae filiam Lunam appellans[43]). Ab eodem etiam Ἑκάτης vocabulum Dianae pro cognomento imponitur[44]). Sed antiquius huius cum Hecate coniunctionis testimonium ex Hesiodeo mulierum catalogo Pausanias protulit, I, 43, 1: *οἶδα δὲ Ἡσίοδον ποιήσαντα ἐν καταλόγῳ γυναικῶν Ἰφιγένειαν οὐκ ἀποθανεῖν, γνώμῃ δὲ Ἀρτέμιδος Ἑκάτην εἶναι.* Fuit igitur, credo, apud hunc poetam Hecate, quam ex Iphigenia factam dicebat, diva quaedam famula Dianae; re vera

μένης. et Eudoc. viol. p. 11. — Neque illud mirum, formam Hecatae ab hominibus superstitiosis tributam esse terriculamentis ab ea immissis consentaneam, h. e. terribilem et monstrosam, qualem describit mendax ille Luciani in Philopseud. c. 22: *γυναῖκα ὁρῶ προσιοῦσαν φοβεράν, ἡμισταδιαίαν σχεδὸν τὸ ὕψος, εἶχε δὲ καὶ δᾷδα ἐν τῇ ἀριστερᾷ καὶ ξίφος ἐν τῇ δεξιᾷ ὅσον εἰκοσίπηχυ· καὶ τὰ μὲν ἔνερθεν ὀφιόπους ἦν, τὰ δὲ ἄνω Γοργόνι ἐμφερὴς τὸ βλέμμα καὶ τὸ φρικῶδες τῆς προσόψεως, καὶ ἀντὶ τῆς κόμης τοὺς δράκοντας βοστρυχηδὸν περιέκειτο εἱλουμένους περὶ τὸν αὐχένα καὶ ἐπὶ τῶν ὤμων ἐνίους ἐσπειραμένους.*

41) Huc pertinet schol. Soph. Aiac. v. 172: *τοὺς πολλοὺς γὰρ τῶν μαινομένων ἐκ σελήνης νοσεῖν ὑποτίθενται διὰ τὸ νυκτερίνων δεσπόζειν φασμάτων.* Cf. Suid. s. v. *Ἑκάτην.* Eudoc. Viol. p. 143 sq. Intt. ad Horat. art. poet. v. 454. — Macrob. Sat. 1, 17 p. 296: „feminas certis afflictas morbis *σεληνοβλήτους* vocant.“ Schol. Lucan. Phars. VI, 669: „Spumam luna de se effundit in terram . . . si quod animal hanc spumam comederit, in rabiem vertitur.“

42) Eurip. ap. schol. Arist. Vesp. v. 754: *τὸν ὑπὲρ κεφαλῆς αἰθέρ' ἰδέσθαι σπεύδω, τίν' ἔχει στάσιν Εἰνοδία.* Verba sunt Bellerophontis lunae in caelo stationem quaerentis, quam quum *Εἰνοδίαν* dicit, proprio Hecatae epitheto, eandem sibi hanc et Lunam videri ostendit. Cf. Phoeniss. v. 108 et Soph. fr. Rhizotom. ap. Schol. Apoll. Rh. III, 1214.

43) In Xantriis, apud Galen. ad Hippocr. Epidem. IX p. 385 Chart.: *ὧς οὔτε πέμφιξ Ἡλίου προσδέρκεται, οὔτ' ἀστερωπὸν ὄμμα Λητῴας κόρης.*

44) Supplic. v. 661: *Ἄρτεμιν δ' ἑκάταν γυναικῶν λόχους ἐφορεύειν.* — Hecaten, Latonae filiam, non diversam a Diana dixerunt etiam Orphici, sec. Procl. in Plat. Cratyl. p. 112. Cf. Lobeck. Agl. p. 543.

20 autem ipsam Dianam Iphigeniam fuisse dicendum est [45]), illique hoc cognomen diutissime apud Hermionenses haesisse ex eodem Pausania discimus, II, 35, 2. Nam ex cognominibus deorum varias potestates et functiones indicantibus quam saepe in fabulari historia propriae quaedam personae factae sint, neminem latet paullo peritiorem [45b]). Non multum autem absimili ratione coniungi cum Diana Hecaten videmus etiam in Ephesiorum quadam fabula ab Eustathio memorata ad Od. XII, 84 p. 1714, 41: „Dianam ab Epheso, Caystri filio, hospitio acceptam, sed ab eius uxore expulsam esse: quare hanc primum in canem mutatam esse; mox, quum per misericordiam deae pristinam formam recuperasset, prae pudore ipsam se suspendisse, a Diana autem proprio ornatu indutam Hecatenque appellatam esse." Causam fabulae comminiscendae fortasse sacra quaedam praebuerunt *Ἑκάτης ἀπαγχομένης*, quemadmodum ipsam Dianam *ἀπαγχομένην* apud Arcades cultam esse Pausanias memorat VIII, 23, 5 [46]), addita simul explicatione cognominis, qualem scilicet exegetarum acumen excogitaverat.

Proserpinae cum Hecate confusionis nullum apud vetustiores scriptores testimonium satis disertum extare videtur. Affertur quidem Orphei versus ab interprete Apollonii Rh. ad III, 467:

καὶ τότε δὴ Ἑκάτην Δηὼ τέκε εὐπατέρειαν,

unde intelligitur Orphicis Hecaten *Δηοῦς* h. e. Cereris filiam fuisse; sed utrum eadem ac Proserpina an diversa fuerit, non liquet. Docet enim nos scholiastes Theocriti ad II, 12, fuisse, qui illam sororem Proserpinae esse perhiberent, matre ac patre iisdem; quam opinionem si cui placeat Orphicis asserere, refutari certe non poterit. Quamquam probabilius tamen arbitror, has deas ab illis confusas esse, quum propter Proclum, Orphicorum studiosissimum, qui unitatem trium personarum, Hecates, Dianae, Proserpinae testatur, ad Plat. Cratyl. p. 112, tum propterea, quod huiusmodi theocrasia Orphicorum theologiae maxime conveniens esse videtur. Etiam apud tragicos, quum Cereris filiam Hecaten aut *Ἐνοδίαν* dicunt, ambigi potest, utrum ipsa Proserpina, an eius germana intelligenda sit [47]). Apud recentiores vero con-

---

45) Cf. Müller. Dor. I p. 383.

45b) Ab Euphorione (ap. Etymol. Gud. s. v. *Ἰφιγένεια*, Etym. M. s. v. *Ἶφις*) Iphigenia Helenae filia dicta erat ex Theseo. Tenendum est autem Helenam primitus Lunam fuisse.

46) Memorat *Ἄρτεμιν ἀπαγχομένην* etiam Clem. Al. Protr. II, 38 p. 22 Klotz.

47) Velut apud Euripidem, Ion. v. 1065. — Etiam apud Sophoclem Antig.

fundi cum Proserpina Hecaten non minus quam cum Diana tam liquido videmus, ut satis appareat, quantopere haec opinio pervagata fuerit[48]). Non opus est testimoniis in re manifesta dudumque ab aliis demonstrata: sed illud potius cavendum, ne nimis huic confusioni tribuamus, propriamque ac genuinam Hecates personam prorsus nobis quasi 21
elabi e manibus patiamur, quod nonnullis accidisse video, qui illam nihil aliud nisi speciem quandam Dianae personamque ex antiquo huius cognomine fictam esse crediderunt. Scilicet quum Apollinem ab antiquissimis poetis ἕκατον appellari viderent, etiam sororem eius, Dianam, ἑκάτην appellari debuisse pro certo statuerunt. Atqui iidem illi poetae antiquissimi, quum aliquoties κασιγνήτην Ἑκάτοιο Dianam dicant[49]), ipsam tamen Ἑκάτην dicere tam constanter defugiunt, ut non immerito dixeris, noluisse eos Dianam in alieni nominis possessionem immittere, donec mutatis paullatim opinionibus confundi hae duae inter se coeperunt, id quod non mirum est in tanta utriusque numinis similitudine[50]). Verum tamen notionem illam, quae utrique earum sub-

---

v. 1184 Hermannus Proserpinam intelligi vetat: nescio quam recte. Eichstadium in Quaestt. philol. spec. c. 8 p. 78 Hecaten et Proserpinam a tragicis confundi negare ex Lobeckio didici, Agl. p. 79, qui contrarium doceri ait exemplis a Sprengelio collectis in Symbol. ad histor. medic. III p. 25. Sed Sprengelii exempla nihil docent. Ed. Muelleri dissertationem de Euripide deorum popularium contemptore, in qua hanc quaestionem copiosius tractari Lobeckius ait, inspicere nunc non potui.

48) Pertinet huc etiam Δαείρας s. Δαΐρας nomen, quo Hecate appellatur ab Apollonio Rh. III, 847. Nam non debuisse ibi a Wellauero κούρην reponi recte Bachmannus iudicat ad Lycophr. p. 160. Δάειραν autem Proserpinam esse multi testantur. Vid. impr. Preller. Demet. u. Perseph. p. 8. Lobeck. Agl. p. 158. Boeckh. Staatshaush. II p. 137 ed. 2.

49) Homer. Il. XX, 73. hymn. in Dian. IX, 1.

50) Consimile nomen, Ἑκαέργη, Dianae in Branchidarum cultu impositum, ut Apollini Ἑκαέργῳ, Apollodorus Cyrenensis testatur apud Clem. Al. Strom. V, 8, 49. Idem nomen etiam in Deliorum religionibus celebrabatur, sicut alterum Οὖπις, quo in aliis quoque Graeciae partibus plurimis Dianam appellatam legimus, sive quod parturientes tueretur, ut veteres aiunt (Etym. M. p. 641, 55), sive quod inspiceret res humanas et male facta vindicaret, ut Müllerus censuit, Dor. I p. 369: quae sententia eo confirmari possit, quod idem cognomen etiam Nemesi inditum fuit. Vid. Cornut. p. 42 et Fiorill. ad Herod. Attic. p. 54. Apud Delios autem Hecaergen et Upin ut κουροτρόφους cultas esse hinc apparet, quod comas eis a virginibus nupturis puerisque adultis consecrari solitas esse legimus. Pausan. I, 43, 3. Callimach. h. in Del. v. 296. Sed factum est etiam in his, ut ex cognominibus

erat, non uno modo primitus ab omnibus conceptam, sed ab aliis Dianae, ab aliis Hecates specie informatam, propria igitur persona utramque ab initio praeditam fuisse, non alteram ex altera quasi derivatam, mihi quidem persuasit diligentior fabularum de ortu Hecates consideratio, de quibus nunc dicendum, ratioque earum, quantum fieri poterit, aperienda est.

Primum igitur Bacchylides Hecaten Noctis, Orphicus autem Argonauticorum scriptor Tartari filiam dixit[51]): quae sic fortasse conciliari posse videantur, ut Tartarum patrem, Noctem autem matrem fuisse statuamus, qui parentes quantopere conveniant nocturno numini, et cuius maxima apud inferos potestas esset, in aperto est[52]). Alii patrem Iovem, matrem aut Latonam aut Cererem dixerunt: ii scilicet, qui non diversam Hecaten a Diana aut a Proserpina esse putabant. Verum eos quoque, quibus non ipsa quidem Proserpina esse, sed pariter tamen cum hac apud inferos degere videbatur, parentes utrique eosdem dedisse non mirabimur. Testem autem huius opinio-
22 nis unum habemus eum, cuius paullo ante mentionem feci, Theocriti scholiastam ad II, 12: *τῇ Δήμητρι μιχθεὶς ὁ Ζεὺς τεκνοῖ Ἑκάτην διαφέρουσαν ἰσχύϊ καὶ μεγέθει· ἣν ὑπὸ γῆν πεμφθῆναί φασιν ὑπὸ τοῦ πατρὸς πρὸς Περσεφόνης ἀναζήτησιν.* Alii contra infernam hanc Hecaten non Cereris sed Iunonis filiam esse voluerunt, de cuius ad inferos relegatione alter Theocriti scholiastes ad l. l., Sophronem auctorem nominans, fabellam affert huiusmodi: „Iunonem ex Iove Hecaten peperisse, cui cognomen *Ἄγγελον* impositum. Hanc a patre nymphis educandam datam, postquam adoleverit surripuisse matri unguentum, quo illa faciem suam lucidam perungere so-

novae quaedam personae fierent. Nam Hecaergen et Upin virgines dixerunt Hyperboreas, quae aut una cum Apolline et Diana Delum advectae essent, aut primae omnium donaria ex Hyperboreis eo attulissent. Cf. Spanhem. ad Callim. h. in Del. v. 291. Alii mares fuisse dixerunt, si non utramque, certe Hecaergen, ab iisque educatos deos postea nomina eorum ascivisse (Serv. ad. Verg. Aen. XI, 532. 858. cf. Axioch. §. 19 p. 44 Fisch.), et fuerunt etiam, qui Upin patrem Dionae dicerent, matrem Glaucen (Cic. d. N. D. III, 23, 58), quod nomen ad splendorem pertinet. significatque Dianae cum Luna coniunctionem.

51) Bacchyl. ap. Schol. Apoll. Rh. III, 467. Orph. Arg. v. 980.

52) Incertissimam tamen hanc coniecturam esse, non est quod moneam. Nam fieri potuit, ut Bacchylides Noctis appellatione Latonam aut etiam Asteriam significaret.

lita esset, idque Europae dedisse. Iuno autem re comperta quum castigare filiam vellet, hanc primum in mulieris puerperae domum confugisse, deinde ad viros quosdam mortuum efferentes. Sic Iunonem a persequendo destitisse; illam autem Iovis iussu a Cabiris ad lacum Acherusium lustratam, dehinc autem ad mortuos ablegatam infernamque factam esse." Videor equidem mihi hanc fabulam, quamvis absurdam, non tamen absurde interpretari posse; sed quum res longa sit neque hoc loco necessaria, hoc tantum significabo, esse eam confictam ad explicandum, qui factum sit, ut eadem dea et in caelo partes haberet, cum luna scilicet coniunctas, — quo pertinent quae de Iunone et Europa dicuntur, — et in terra parturientibus adesset, — unde cum Genetyllide eam componi supra vidimus, — postremo apud inferos quoque poteus esset. — Fuerunt porro alii, qui, quum patrem Hecates Iovem dicerent, matrem tamen neque Iunonem neque Cererem aut Latonam, sed Pheraeam quandam perhiberent, Aeoli filiam, abs qua illam in trivio proiectam, a Pheretis autem pastoribus inventam et enutritam esse, unde institutum, ut sacra ei in triviis offerrentur. Hanc fabulam, a Theocriti scholiasta ad II, 36 et a Tzetza ad Lycophr. v. 1180 relatam, Thessalicam esse apparet. Nam et Aeolus, Iovis aut Hellenis filius [53]), et Pheres, cognominis oppidi conditor, Thessali erant, colebaturque apud Thessalos dea quaedam Pheraea, quam alii Proserpinam, alii Dianam, alii Hecaten esse credebant [54]), propterea scilicet, quod uni cuique harum aliquo modo similis esset. Ei igitur a

53) Hellenis filium pleriqoe dixeruot, Iovis Eoripides, Ion. v. 63.

54) Callimachos Diaoam Pheraeam appellat h. io Dian. v. 259: *πότνια Μουνυχίη, λιμενοσκόπε, χαῖρε Φεραίη.* Item Pausao. II, 23, 5: *τῆς δὲ Ἀρτέμιδος τῆς Φεραίας (σέβουσι γὰρ καὶ Ἀργεῖοι Φεραίαν Ἄρτεμιν κατὰ ταὐτὰ Ἀθηναίοις καὶ Σικυωνίοις) τὸ ἄγαλμα καὶ οὗτοί φασιν ἐκ Φερῶν τῶν ἐν Θεσσαλίᾳ κομισθῆναι.* et c. 10, 6: *ἔστιν ἐν δεξιᾷ* (loquitur de urbe Sicyoniorum,) *Φεραίας ἱερὸν Ἀρτέμιδος, κομισθῆναι δὲ τὸ ξόανον λέγουσιν ἐκ Φερῶν.* Apparet deae cultum ex Thessalia apportatom esse. Etiam in Issa iosula maris Adriatici *Ἄρτεμιν Φεραίαν* cultam esse docet inscriptio C. I. oo. 1837 tom. II p. 12. Lycophro autem v. 1175, quum dicit *Περσέως δὲ παρθένος Βριμὼ τρίμορφος θήσεταί σ' ἐπωπίδα, κλαγγαῖσι ταρμύσσουσαν ἐννύχοις βροτούς, ὅσοι μεδούσης Στρύμονος Ζηρινθίας δείκηλα μὴ σέβουσι λαμπαδουχίαις, θύσθλοις Φεραίαν ἐξακούμενοι θεάν,* ostendit eandem a se haberi Brimo et Zeriothiam deam h. e. Hecaten, et Pheracam. Cf. Tzetz. ad h. l. et Spanhem. ad Callim. h. io Diao. — Io Pheraeorum nummis mulier coospicitur taedifera, haec ipsa, opioor, Pheraca, qoam Eckhelius, D. N. II p. 147, Cererem esse putat.

nonnullis, qui ipsam Hecaten esse nollent, filiam certe hanc datam esse non mirum est. Ipsam cur Aeolo natam dixerint, non libet nunc quaerere; proiectam autem in trivio Hecaten sine dubio non aliam ob causam commenti sunt, quam ut Triviae cognomen cultumque expli-
23 carent. Et simili quadam ratione etiam alterum cognomen, *Ἐνοδίαν*, apud Argivos explicatum esse Stephanus Byzantius docet s. v. *Τρίοδος*: dictam enim propterea, quod in via ab Inacho inventa esset. — Sequitur Cretensium fabula ex Neanthe relata ab Etymol. M. p. 214, 25: „Praedictum fuisse Iovi, si nasceretur ex Hecates matre filius, fore ut is ipsum imperio exueret. Mox quum illa pro filio Hecaten peperisset, mulieres, quae aderant in partu, *βρίτον* exclamasse, h. e. *ἀγαθόν*: inde illam *Βριτόμαρτιν* appellatam [55]).“ Hoc saltem ex hac narratione discimus, Britomartin, quam plerique Dianam interpretabantur, nonnullis etiam Hecaten visam esse. Quae autem eius mater fuerit, et qua ratione Iupiter fatum declinaverit, non docemur, nec lubet nunc coniecturis ludere, quales cuivis facile suggerat recordatio similis cuiusdam de Thetidis partu praedictionis. — Denique a Pherecyde Aristaeum, Paeonis filium, patrem Hecates dictum esse scholiastes Apollonii docet ad Arg. III, 467. Vix autem dubitari potest, quin Aristaeus hic non diversus habendus sit ab eo, quem in plurimis Graeciae partibus, maximeque in Ceo insula, summo in honore fuisse constat, qui quum a plerisque Apollinis filius putaretur [56]), Paeonis haberi a Pherecyde potuit, sive quod eundem Paeonem atque Apollinem esse iudicaret, quam pervetustam et maxime pervagatam opinionem fuisse pro

---

55) Verba Etymologi vulgo sic scribuntur: *Νεάνθης ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τελετῶν φησὶ χρησμὸν Διῒ δοθῆναι, ὅτι ἐκ τῆς μήτρας τῆς Ἑκάτης γεννησόμενος παῖς μεταστήσει τῆς βασιλείας αὐτόν. Γεννηθείσης δὲ τῆς Ἑκάτης τὰς συμπαρούσας κόρας τῇ λεχοῖ ἀναβοῆσαι βρίτον, τουτέστιν ἀγαθόν. παρὰ τοῦτο δὴ τὸ ἐπίφθεγμα ὀνομάσθαι τὴν θεόν.* Sed pro *μήτρας* legendum esse *μητρός* intellexit iam Muellerus, Aeginet. p. 169. Nam ipse tenor narrationis docet, non puerperam fuisse Hecaten, sed natam ex puerpera, cuius nomen ab epitomatore omissum est. Fallitur itaque Hoeckius, Cret. I p. 175, quum Hecaten a Neanthe matrem Britomartidis dici autumat, quae ipsa potius Britomartis esse dicitur. — Dictynnam, non diversam illam a Britomartide (vid. Hoeck. p. 161), pro Hecate habitam esse testatur etiam schol. Eurip. Phoen. v. 146, ab ipso viro doctissimo citatus.

56) Qualis Aristaeus apud antiquissimos Graecos fuerit, et quomodo eius personam posteriores immutaverint, peritissime Muellerus exposuit, Orchom. p. 348 et Dor. I p. 281 sqq. Add. Bröndsted. Reisen und Untersuch. in Griechenland I p. 42 sqq.

certo habeo[57]), sive quod aliam quandam fabulam sequeretur hodie ignotam. Quod quum Paeon deus medicus esset, Aristaeus autem et paterna arte[58]) et multis ad rem pecuariam utiliter institutis profuisse generi humano crederetur, non sine ratione his parentibus Hecate orta videri potuit, quippe quae et medicaminum perita esset, qua de re supra dictum est, et pecuariae quoque rei prospiceret, quod Hesiodum praedicantem audivimus.

Hactenus eos produxi testes, qui de ortu Hecates longissime a theogoniae poeta discedunt: nunc prodibunt, qui aut plane cum eo conspirant, aut ea tradunt, quae, quamvis primo adspectu dissimilia, tamen accuratius intuenti communem cum Hesiodea fabula causam rationemque facile prodant. Sunt autem in hoc numero ii omnes censendi, qui aut Persen Hecatae patrem dicunt, velut Apollodorus I, 2, 4, aut leviter deflexa nominis forma Perseum vel Persaeum (*Περσέα, Περσαῖον*), quarum formarum altera est in hymno Homerico in Cererem v. 24, altera apud Lycophronem v. 1175 duosque alios statim producendos, neque minus ii, qui a patris nomine Hecaten aut Perseida 24
aut Persaeam aut Perseam vocant, ut Apollonius Rh. III, 467. 478. 1035. IV, 1020. Orph. hymn. I, 4. Inscriptio apud Muratorium p. 1979, 2, quibus addi e Latinis possunt Ovidius Metam. VII, 74. Seneca Med. v. 814. Statius Theb. IV, 482. Valerius Flaccus Arg. VI, 495. Et plane quidem cum Hesiodea narratione conspirat Apollodorus l. l.; dissentit nonnihil is, qui Musaeo theogoniam supposuit, ex qua haec referuntur a schol. ad Apollonium Rh. III, 1039: *Μουσαῖος ἱστορεῖ Δία ἐρασθέντα Ἀστερίας μιγῆναι καὶ μιγνύντα [μιγέντα] δοῦναι τῷ Περσεῖ, ἐξ ἧς τεχθῆναι αὐτῷ τὴν Ἑκάτην.* Matrem igitur hic eandem dixit, quam Hesiodus; Persen s. Perseum ex patre vitricum fecit, satisfacturus scilicet hoc modo etiam eis, qui Iovis Hecaten filiam esse mallent. Longissime autem discessit Dionysius Milesius, e cuius Argonauticorum libro primo haec referuntur a Diodoro IV, 45 et scholiasta Apollonii Rh. ad III, 200[59]): „Solem genuisse duos fi-

57) Cf. Müller. Dor. I p. 297 et Schwalbe, Ueber die Bedeutung des Paean (Magdeb. 1847) p. 7.

58) Hanc ei diserte tribuit Apoll. Rh. II, 512.

59) Milesium Dionysium auctorem citat Apollonii scholiastes; sed ex eodem etiam Diodorum hausisse manifestum est, licet is eum hoc quidem loco non nominet. Alibi, in similibus narrationibus pragmaticis, Dionysium simpliciter laudat,

lios, Aeeten et Perseum, illum Colchidis, alterum Tauricae regem, utrumque feritate morum insignem. Perseo ex muliere quadam illius regionis aut ex nympha Hecaten filiam natam esse, ferioribus etiam quam patrem moribus, eandemque veneficiorum eximie peritam, quorum ope necato patre quum regnum occupasset, templum Dianae consecrasse, in quo pro victimis hospites immolarentur, si qui in has oras delati essent. Deinde Aeetae patruo nupsisse, filiasque peperisse Circen et Medeam, filiumque Aegialeum." Facile in his agnoscitur quum pragmaticorum studium, deorum fabulas in hominum res gestas convertentium, tum autem graecarum religionum cum peregrinis contaminatio. Nam Solem pariter atque eius liberos in hac narratione non deos sed homines habendos esse, neminem fallet Euhemeristicae rationis non prorsus ignarum. Pro deis autem Solem eiusque liberos Aeeten et Medeam antiquissima aetate ab eis maxime cultos esse, qui Corinthum s. Ephyram habebant, negari non posse arbitror[60]: quamobrem eodem haud cunctanter etiam Perseus, Hecate, Circe, Aegialeus referendi sunt. Hae autem religiones post occupatam a Doriensibus Peloponnesum obscuratae atque oppressae, quaeque de illis numinibus fabulae fuerant, multis modis a posterioribus mutatae ac diffictae sunt, ab iis praesertim, qui in Asiam et ad maris euxini littora

oon addita patriae desigoatiooe, III, 52. 66, dubitatumque a multis est, scriptor ille num vere Milesius, an Mitylenaeus, is quem *Σκυταβραχίονα* cognominatum esse Suidas docet, an fortasse Samius fuerit. Ad Milesium quod attinet, facile concedo Hoeckio, Cret. II p. 41, et Paoofkae, Rer. Samior. p. 95, pragmaticum istud genus mythologiae, quod ex Diodoro et scholiasta Apollooii cognoscimus, a vetere illo historico, quem Suidas Hecataei aequalem fuisse ait, alienum iudicari debere: neque tameo propterea, ubicumque talia ad Milesium Diooysiom referuntur, patriae oomen falsum, et pro Milesio aut Samium aut Mitylenaeum cogitandum esse crediderim. Quidni eoim etiam alterum Milesium receotiorem fuisse statuamus? cui tribueoda eruot quae a scholiasta Apollonii ad I, 1116. III, 200. 242. IV, 222. 228. 1153, item a Diodoro III, 52. 66 et ab Eudocia p. 108. 261 referuntur. Quumque etiam Mitylenaeus Dionysius aliquoties similium rerum auctor laudetur, ut a schol. Apoll. II, 1189. IV, 177, non assequor, cur probabilius sit, in patriae nomine erratum esse, quam fuisse duos Diooysios, Milesium et Mitylenaeum, quorum uterque fabularem historiam pragmatica ratiooe tractaverit. Atque sic etiam Weichertum statuere video, de vita et script. Apollonii Rh. p. 175 sqq.

60) Vid. imprimis Müller. Orchom. p. 269 sqq. Dor. 1 p. 396. Corinthum olim *Ἡλιούπολιν* dictam esse aiunt Steph. Byz. s. v. *Κόρ.* et Eustath. ad Il. II, 570.

delati non absimiles quosdam antiquorum illorum deos ibi coli a barbaris viderunt, unde fieri non potuit, quin magna religionum confusio fabularumque varietas nasceretur apud homines ad permiscenda et concilianda sua cum alienis ingenio et natura promptissimos. Sic igitur omnis illa Solis familia in istas ad Pontum terras translata, Hecate autem cum Taurica dea confusa est, quam plerisque Dianam visam esse constat. Pragmatici vero fabularis historiae enarratores, omnes illos deos re vera homines fuisse rati, Hecaten ex Taurica dea cultricem deae aut sacerdotem fecerunt. — Veram autem et genuinam harum fabularum rationem, qualis ab initio fuerit, quaerentes fugere non potest, omnibus his nominibus nihil aliud significari, quam caelestium corporum numina, hoc est vim quandam et naturam divinam in sole ac luna maxime conspicuam, et pro varietate formarum, quas subiret, vel rerum, quas efficeret, variis etiam nominibus appellatam et per varias quasi personas deorum distributam. Ac de Perse quidem supra diximus: qui quod in hac fabula non Crii et Eurybiae, ut apud Hesiodum, sed Solis filius esse dicitur, haec discrepantia haudquaquam eiusmodi est, quae etiam naturae ac significationis diversitatem arguat. Nihil enim frequentius fieri videmus, quam ut eis etiam divinis personis, quae unam eandemque significationem aut nomine aut aliis certis iudiciis prae se ferant, ortus tamen alius apud alios tribuatur, utque de earum vel sexu vel coniugiis vel liberis vel affinitatibus magna sit fabularum varietas. Neque id cuiquam mirum videri poterit, qui has opiniones et figmenta non unius hominis ingenio excogitata neque certa quadam disciplinae formula comprehensa fuisse reputet, sed a multis passim orta summaque semper cum libertate tractata. Atque hinc etiam aliud quid consequutum est, in mythologicis quaestionibus saepenumero animadvertendum. Nam quum existerent procedente tempore, qui varias illas ac multiplices fabulas, quae ubique ferebantur, colligere et ratione quadam et consilio inter se componere conarentur, id quod nostrae theogoniae compositorem fecisse manifestum est, non raro accidere necesse erat, ut plures unius significationis personae iis occurrerent cum aliqua levi formarum aut fabularum varietate, quae tamen pariter omnes locum sibi in illa compositione postulare viderentur. Sic dubitari non potest, quin eadem natura, quae Perses ab Hesiodo vocatur, Criumque et Eurybiam parentes habet, iterum apud eundem prodeat sub Perseidos persona, quae Oceani filia esse et Soli nupsisse dicitur v. 956. Nam Crium quoque et Eurybiam ad maris naturam

pertinere alio loco probavimus, hosque parentes Persae eiusque fratribus Pallanti et Astraeo propterea datos esse statuimus, quod sidera caelestia quum oriri ex mari, tum etiam nutriri maris exhala-
26 tione viderentur[61]). Eandem igitur ob causam etiam Perseis Oceani filia facta est, quam qui Soli uxorem dederunt, nihil aliud hoc coniugio significarunt, quam vim illam, quaecunque demum hoc nomine designabatur, arctissime cum sole coniunctam esse. In altera fabula, quae filium Persenm Solis fratremque Aeetae facit, matris nomen tacetur: sed nihil obstat, quominus eandem illam Perseidem fuisse sumamus, quae Aeeten certe peperisse etiam apud Hesiodum aliosque multos dicitur. Et firmat hanc coniecturam Hyginus, qui praef. p. 11 Munck. „ex Sole et Persa Circen, Pasiphaen, Aeeten, Persen" prognatos ait. Nam Persam a Perseide non diversam esse apparet, estque iam apud Homerum Perse pro Perseide dicta[62]). Fuerit igitur Perseus a matris nomine appellatus, cuius scilicet naturam referebat. Fratrem eius Aeeten plerique ab *Αἶα* dictum volunt, quum praesertim is etiam regnasse in Aea dicatur, quam terram, initio fortasse in Utopia sitam, posteriores Colchidem esse crediderunt[63]). Nescio tamen an verior sit Welckeri sententia[64]), qui nomen illud ab eo potius ductum esse statuit, quod est *ἀΐσσω*, unde etiam *αἰετός* s. *αἰητός* aquila dicta est, scilicet propter volatum, quia alis per aerem vehitur, quemadmodum nuper Doederlinus noster, et iam ante eum veteres etymologi censuerunt[65]). Quod si ita est, sub Aeetae persona vim solis per aethera vecti repraesentatam esse dicemus, poteruntque *Αἰήτης*, *Πέρσης*, *Περσεύς*, *Περσαῖος* pro antiquis Solis cognominibus haberi, post in filios Solis conversis. Similiter Hecate, quoniam hoc nomine nihil nisi vis quaedam e longinquo operans denotatur, potuit quidem et ipsa solare numen significare, quum vis illa in sole maxime saue

61) Dissert. de Titanibus Hes. p. 20. — Eadem de sideribus opinio induxit nonnullos, ut *ἥλιον* quasi *ἅλιον* dictum esse vellent, *ὡς ἐξ ἁλὸς ἤγουν τῆς θαλάσσης τὴν γένεσιν ἔχοντα*. Eudoc. Viol. p. 206.

62) Odyss. X, 136 sqq. Persen etiam Apollon. Rh. dicit IV, 591. Perseidem Apollodor. I, 9, 1. III, 1, 2. Cic. de n. d. III, 19, 48.

63) Recentiore aetate etiam urbs in Colchide fuit, Aea nominata, Dioscuriensium fortasse colonia. Vid. Steph. Byz. s. v. *Διοσκουριάς*. Lehnert. de foed. Ionico p. 40.

64) In additam. ad Schwenckii librum, Etymol. mythol. Andeutungen, p. 325.

65) Doederlin. Glossar. Hom. I p. 2. Eustath. ad Il. p. 87, 18. Eudoc. Viol. p. 31.

conspicua sit; potuit autem non minus etiam lunare numen eo nomine appellari, Hecateque Perseo, solari numini, filia dari, eadem ratione, qua etiam Lunam ipsam Solis filiam a nonnullis dictam esse videmus[66]). Et ad lunam potius quam ad solem Hecaten pertinere plane manifestum est. Lunam ipsam dicere nolim, quandoquidem certum est, de omni hoc genere caelestium corporum eam fuisse veterum opinionem, ut non tam dei ipsi esse viderentur, quam divina, hoc est divino quodam spiritu mota deorumque naturis parentia, quas naturas, quemadmodum supra dixi, pro varietate vel formarum, quas induere, vel rerum, quas efficere viderentur, variis nominibus appellabant et in varias deorum personas, alii aliter, dispescebant, ita tamen, ut nullam harum non humana specie, sicut ceteros deos, praeditam esse crederent. — De connubio Hecates cum Aeeta deque liberis hinc procreatis longius disputari nunc nihil attinet. Ab Hesiodo v. 960 Aeetae uxor datur Idyia, Oceani filia, unaque ex hoc matrimonio filia Medea. Harum nomina ad medicaminum peritiam artesque veneficas pertinere 27
videntur, quas non sine lunae auxilio perfici veteres credebant, quamobrem utraque persona lunae potestates significari dicemus[67]). Aegialeum, qui a plerisque Absyrtus dicitur, hoc loco intactum praetermitto, quum praesertim nulla eius apud Hesiodum mentio sit. Circae nomen a circulari cursu impositum est: naturam eius significationemque Medeae similem fabulae demonstrant. Hanc Hesiodus v. 957 non filiam Aeetae sed sororem facit, Hecatae autem, quae apud eum plane ab hac Solis familia separata est, neque fratres aut sorores neque coniugem et liberos dat, sed unigenitam nobis proponit et innuptam: sapienter utrumque, et ad eam deae vim ac naturam, quam in theogonia descriptam videmus, prorsus accommodate. Nam quae vim haberet plane singularem et cum nullo alio deo comparandam, ei fratres aut sorores dari non conveniebat: et quae omnium deorum adiutrix et consors esset, hanc nulli eorum uni uxorem dari potuisse manifestum est.

Non minus autem hoc quoque manifestum esse arbitror, talem

66) Eurip. Phoen. v. 179: ὦ λιπαροζώνου θύγατερ Ἀλίου Σελαναία: od quem locum scholiastes etiam ab Aeschylo Lunam Solis filiam dictam esse memorat. Cf. schol. Arat. v. 455.

67) Ad lunam pertinent etiam Chalciopae et Iophossae nomina, quas nonnulli Aeetae filias dixerunt. Vid. Apollon. Rh. II, 1149. Schol. ad II, 1123 (ex Hesiodi Eoeis) et ad 1149, ubi falso Ὀφιοῦσα pro Ἰοφῶσσα scriptum est. Cf. et Eudoc. Viol. p. 79.

esse hanc Hesiodeam Hecaten, qualis si vulgo credita esset, vix fieri potuerit, ut aut cum Luna aut cum Diana aut cum Proserpina sic, ut a plerisque factum est, confunderetur. Nihil enim ei illorum munerum, quae harum cuique assignata erant, tanquam proprium tribuitur, sed maior quaedam potestas, eaque tam late patens, ut nihil ei neque in caelo, neque in mari, neque in terra non una cum ceteris deis competat. De orco tantum et inferis tacetur, quamobrem huc eius numen Hesiodo non pertinere visum esse conieceris: quod si ita est, vel hinc apparet, plane eam a Proserpina seiungendam esse. Lunae autem et Dianae non minus quam ceterorum deorum socia quidem munerum et consors haberi potuit, confundi autem cum utravis earum propter ipsam illam potestatis amplitudinem non potuit, quae tanta esse ab Hesiodo dicitur, ut propterea in omnibus ceterorum deorum sacris etiam Hecate ab hominibus invocanda sit, id quod in deam Lunae aut Dianae similem profecto non cadit, sed ne de Hecate quidem ab alio quoquam traditum est. Testatur quidem vetus theogoniae interpres, apud Boeotos, Hesiodi populares, hanc deam religiose cultam esse eiusque religionis vestigia studiose I. H. Vossius persequutus est, Epist. mythol. III p. 192 sq. Verum nec multa haec sunt, nec talia, quae diversas apud Boeotos quam apud ceteros Graecos de Hecate opiniones fuisse persuadeant. Neque ex popularibus opinionibus Hecaten ab Hesiodo descriptam esse crediderunt, qui ante nos hunc locum tractarunt, sed mysticum quendam atque Orphicum odorem in illa descriptione sibi olfecisse visi sunt. Contra Vossius, idoneus harum rerum arbiter, ullum mysticae doctrinae vestigium aut mysteriorum vocabulum in his Hecatae laudibus inesse negat, Ep. myth. III p. 15, miraturus profecto magnopere, si illud *μουνογενής*, quod v. 426 et 448 legitur, tanquam manifestum Orphicae theologiae indicium sibi obiici vidisset.
28 Neque tamen aliud ullum istius opinionis argumentum prolatum est. — Novimus Hecates mysteria apud Aeginetas fuisse, ab Orpheo, ut aiebant, instituta: sed qualem Aeginetae Hecaten crediderint, nemo nos docuit. In Eleusiniis quoque Hecatae locum fuisse agnoscimus: nempe talem, qualem hymnus Homericus in Cererem indicat, v. 441, *πρόπολον* eam et *ὀπάονα* Proserpinae dicens, quod quantopere ab Hesiodeae Hecates persona abhorreat, neminem fugit. Denique in Samothracia Hecaten a periclitantibus invocatam esse legimus[68]); sed quae praeter-

68) Schol. Aristoph. Pac. v. 277. Suid. s. v. *ἀλλ᾽ εἴ τις* et s. v. *Σαμοθράκη*.

ea de eius cultu deque antris ei Zerinthi et alibi consecratis memorantur[69]), infernum potius quam caeleste numen prodere videntur. Eo igitur res redit, ut, nisi hariolari malimus, fatendum sit, hanc theogonicam Hecaten ab omnibus, quae aliunde nobis vel de publicis religionibus vel de mysteriis huius deae innotuerunt, multis modis discrepare et theogoniae plane propriam esse videri: cuius praedicatio utrum ab ipso compositore carmini inserta, an postea demum ab aliquo interpolatore assuta credi debeat, haec quaestio, sicut initio diximus, in aliud tempus differenda est.

Scrib. Gryphiswaldiae, prid. Non. Quinctil. a. MDCCCLI.

---

69) Scholl. et intt. ad Lycophr. v. 77. Cf. Klausen., Aen. u. d. Penat. p. 340. Engel., Kypros II p. 246 sq.

DE IOVIS INCUNABULIS.

3 Antiqui theologi, quum de singulis deis multa tradi viderent prorsus inter se diversa atque pugnantia, neque haberent, qua tanquam nota quae in his vera, quae falsa et commenticia essent, certo dignoscerent, hanc denique rationem inierunt, ut plures deos nominibus iisdem, sed diversis temporibus, parentibus rebusque gestis fuisse statuerent, qua ratione fabulari historiae adhibita, quae in unius personam non quadrarent, apte inter plures dispesci atque sic illam fabularum diversitatem explicari pugnamque dirimi posse putabant[1]). Ab his igitur etiam Ioves tres numeratos esse legimus: primum et secundum in Arcadia natos, alterum patre Aethere, ex quo Proserpinam natam et Liberum, alterum patre Caelo, genitorem Minervae; tertium Cretensem, Saturni filium, cuius in illa insula etiam sepulcrum ostendi[2]). Sed

1) Theologos hos dixi Ciceronis exemplo de N. D. III, 21, 53. 54: ab eodem interiorum et reconditarum litterarum scrutatores dicuntur c. 16, 42, ratio eorum autem *ὁ ἡρωϊκὸς καὶ μεριστικὸς λόγος* a Ioanne Lydo de mens. IV, 48, scilicet *ἡρωϊκός*, quia deos omnes reapse homines aetatis heroicae fuisse crediderunt, postea consecratos, *μεριστικός* autem, quia fabulas ad eum quem dixi modum dispescuerunt. Adhibita autem haec ratio fabulis est maxime ab Euhemero, ac deinde eius exemplo a compluribus eruditis aetatis Alexandrinae; sed quaedam eius initia admodum mature apud logographos deprehenduntur, de quibus conf. Lobeck. Agl. p. 987 sqq.

2) Refert haec Cicero de N. D. I. l., quem Arnobius sequitur IV, 14. Paullo aliter rem proponunt Clemens Alex. Protr. c. 2, 28 et Ampelius c. 6, de numero tamen non dissentientes. — At „Varro“, inquit Tertullianus Apol. c. 14, „trecentos Ioves, sive Iupiteres dicendum, sine capitibus introduxit.“ Sed Varronis theologia longissime abhorruit ab Euhemerismo: neque enim ex hominibus deos factos

vulgaris mythologia, qualem e superstitibus hodie poetis et fabularis historiae scriptoribus cognoscimus, nec Aetheris Iovem nec Caeli, sed solum Saturni et Rheae filium habet; est tamen etiam de hoc magna fabularum dissensio, ex quibus quae ad natalia eius et incunabula pertinent, paullo accuratius hoc loco persequi decrevimus. — Primum igitur Hesiodus, cuius auctoritatem plurimi sequuti sunt, haec fere tradit[3]): Genuisse Saturnum ex sorore sua Rhea tres filias, Vestam, Cererem, Iunonem, totidemque filios, Plutonem, Neptunum, Iovem; sed quum accepisset a parentibus, Caelo et Terra, fore ut ab uno liberorum suorum regno spoliaretur, ipsum, quo fatum eluderet, omnes, ut quisque in lucem editus esset, statim devorasse. Id Rheam graviter ferentem, quum Iovem in utero gestaret, petiisse a parentibus, ut viam sibi monstrarent fallendi mariti, partusque, quem editura esset, servandi. Horum igitur consilio, quum partus instaret, abiisse eam in Cretae oppidum Lyctum[4]), ibique clam Iovem enixam esse. Hunc Terram occultasse in specu montis Aegaei, Saturno autem pro filio lapidem tradidisse fasciis involutum, quem quum ille deceptus devorasset, hac arte Iovem servatum esse. Eum mox adultum viribusque et consilio praepollentem coegisse Saturnum, ut quos devoraverat omnes rursus evomeret. Sic igitur lapidem, quem ille postremum hauserat, primum eiectum esse; eumque a Iove Delphos translatum ibique positum esse pro monumento ad posteritatis memoriam. — Haec est He-

esse statuit, neque humanam formam ac membra iis tribuit, quo pertinet fortasse illud apud Tertullianum: sine capitibus: quamquam de hoc non liquet, siquidem non temere Meinekius, Vindic. Strab. p. 235, illos Iupiteres in satira Menippea a Varrone introductos esse suspicatur.

3) Theog. v. 453—500.

4) In hac, quae extat, theogoniae recensione Lyctus bis nominatur, primum v. 477, ubi Rhea a parentibus eo ablegata esse dicitur, iterumque v. 482, ubi Terra acceptum ab illa puerulum defert πρώτην ἐς Λύκτον. Apparet haec inter se pugnare: nam propter v. 477 non possumus quin Lycti puerum natum esse credamus: non potuit igitur is postea demum a Terra eo deferri. Meursius, Cret. lib. II c. 3 p. 74, priore loco scribendum censuit πέμψαν δ' ἐς Δίκτην, neque displicuisse hoc videtur summo Hemsterhusio, apud Gaisford. tom. III p. 545. Sed possit aliquis alterum potius versum corrigendum dicere: πρώτην ἐς Δίκτην. Nam alterius formae, Δίκτον, non satis certa auctoritas est. Legitur Δίκτῳ ἐν εὐώδει apud Aratum, Phaen. v. 33, neque aliunde grammatici, schol. Arat. et Etym. M. p. 276, 15, hanc formam compertam habuisse videntur. Sed apud Aratum Vossius perquam probabili coniectura Λύκτῳ scribendum esse statuit.

siodea fabula, cuius antiquiorem auctorem ex iis quidem, qui super-
5 sunt, nullum habemus. Nam Homerus non modo nihil simile tradit,
sed quaedam etiam memorat, quae conciliari cum illa narratione non
possint. Primum Vestam nec nominat usquam nec nosse videtur:
Cererem nominat quidem aliquoties, sed quos ea parentes habeat, non
significat. Quodsi hanc illi quoque Saturni et Rheae filiam fuisse su-
mimus, non tamen ante Iunonem, ut apud Hesiodum, sed post eam
nata videri potest, quandoquidem hanc alicubi gloriantem facit, sese
πρεσβυτάτην a Saturno genitam esse[5]). Quamquam fatendum est,
huius vocabuli significationem ambiguam esse. Iovem vero disertissime
non minimum de fratribus, sed maximum natu esse testatur[6]), pror-
sus contra Hesiodeae fabulae rationem. Nam huius quidem cardo in
eo vertitur, ut, quamvis Saturnus fatum eludere conatus sit liberis suis
devorandis, existat tamen filius, qui conatum eius irritum faciat fatum-
que exsequatur. Hunc igitur non ante ceteros a patre devoratos, sed
postea demum nasci conveniebat, quum mater, illorum interitu per-
mota, maritum fallere constituisset. Itaque posteriores scriptores, qui
in reliqua fabula Hesiodum sequuntur, etiam ordinem liberorum ab
eo traditum servant[7]). Dissentiunt autem nonnulli in rebus minoris
momenti. Sunt enim, qui fatum Saturno impendens non ab eius pa-
rentibus, Caelo et Terra, sed a Themide aut a Prometheo praedictum
velint[8]). Alii non utriusque sexus liberos a Saturno devoratos statue-
6 runt, sed masculos tantum; scilicet quod a filiabus ille nihil periculi
timeret. Id cognoscitur e grammatici cuiusdam relatione[9]): Rheam

5) Il. IV, 60, de quo loco conf. quae dicta sunt in comparat. theog. Hes. e. Hom. ann. 1847 edita, p. 20(47).

6) Il. XIII, 355. XV, 166. 187. 8.

7) Unus Hyginus, praef. p. 8 Munck., eosdem, quos Hesiodus, liberos Saturni et Rheae (s. Opis) enumerans, Iovem fratribus anteposuit. Sed id casu magis quam consilio factum est; et alio loco, fab. 139, ordinem ab Hesiodo traditum servat.

8) De Themide testis est Servius ad Verg. Aen. III, 104; de Prometheo Clemens Rom. Homil. VI, 2 p. 664 Cotel., iam a Goettlingio et Lennepio citatus. Sed Promethei nomen restituendum etiam Mythographo Rom. II, 16, ubi Protei scriptum est, itemque Lactantio Plac. ad Stat. Theb. IV, 785, ubi in codic. Protheus extat. — De simili vaticinio, Iovi, quum Thetin ducturus esset, aut a Prometheo aut a Themide edito nota est fabula ex Pindaro, Isthm. VII (VIII), 27 (60). Apollod. III, 13, 5, 2 aliisque.

9) Schol. Ven. ad Il. XXIV, 615.

cum filiabus ad Sipylum confugisse ibique latuisse propter Saturni minas, h. e. propterea, quod ille filiis, si qui nascerentur, interitum minabatur. Itaque filias, maternae fugae socias, non interemptas esse apparet. Ac fuerunt etiam, qui uni harum, Iunoni, parvulum Iovem a matre traditum esse dicerent occultandum et enutriendum[10]). Euhemerus autem, qui hanc fabulam suo more in rerum ab hominibus gestarum similitudinem diffingebat, pepigisse cum Saturno fratrem eius Titanem dixit, ut, si quid liberorum virilis sexus natum esset, ne educaret: igitur filias quidem, Iunonem et Glaucam, palam educatas; filiorum autem unum primogenitum ex pacto necatum, ceteros, Iovem, Neptunum, Plutonem, occultatos et clam enutritos esse[11]). Iovem ille ante Neptunum et Plutonem posuit: sic enim pragmaticae rationi convenientius erat, ut, qui maiestate fratribus superior esset, etiam natu maior haberetur. — Porro de lapide, quem Saturnus pro filio deglutiverit, plerique cum Hesiodo conspirant, exceptis dumtaxat pragmaticis, qui cur hanc fabulam spreverint, nemo non intelligit. Inter ceteros fuerunt, qui simili ac Iovem fraude etiam Neptunum Saturno subtractum dicerent, equi pullo pro partu uxoris exhibito: idque factum esse in Arcadia apud fontem quendam, Arnen propterea vocatum, quod ibi Neptunus inter agnos, qui graece ἄρνες dicuntur, occultatus sit[12]). Alii Boeotiae urbem Arnen appellatam volunt ab Arne, Neptuni nutrice, quae requirenti filium Saturno abnegaverit[13]). Levior dissensio haec est, quod in Musaei theogonia Iupiter recens natus non Terrae, ut apud Hesiodum, sed Themidi tradebatur[14]): item quod, 7
quum Hesiodus lapidem Saturno a Terra porrectum dicat, ceteri id ab ipsa Rhea factum esse dixerunt, in quibus etiam Orpheus fuisse videtur, si quid Tzetzae credimus, Orphicam fabulam ab Hesiodo compilatam et corruptam esse criminanti[15]). Unde autem lapidem illum Rhea sumpsisset, unus, quod sciam, Agathocles memoriae prodidit, antiquitatum Cyzicenarum scriptor. Is enim lapidem de Proconneso

---

10) Hygin. fab. 139 p. 205.

11) Haec ex Euhemeri sacra historia ab Ennio conversa referuntur a Lactantio D. I. lib. I c. 14.

12) Pausan. VIII, 8. 2.

13) Tzetz. ad Lycophr. v. 644.

14) Eratosth. cat. c. 13. schol. German. Arat. p. 53 Buhl.

15) Ad Lycophr. v. 399.

insula sublatum esse narravit[16]). Sed Delphos eum transportatum esse ipsi quoque Delphi testes erant. Nam venerabantur hunc lapidem etiam Pausaniae aetate, oleo quotidie perunctum, festisque diebus lana succida velatum[17]). Vix autem dubitari potest, quin Delphicus hic lapis ex eorum numero fuerit, qui antiquissimis temporibus pro signis deorum colebantur, quales multi olim in Graecia aliisque locis fuerunt[18]), et plerique, ut fama ferebat, de caelo delapsi, unde aliquid divini in iis inesse videbatur[19]). Neque facile quisquam sibi persuadebit, consecrandi eius causam Delphis hanc fuisse, quod eum devoratum a Saturno rursusque eiectum crederent, sed potius ipsum hunc lapidem fabulae in istum modum conformandae ansam dedisse apparet. Nempe ad fallendum Saturnum necesse erat, aliquid ei pro filio tradi: igitur percommode se lapis ille obtulit, qui quum pro signo Iovis coleretur, facile etiam substitutus olim pro Iove credi potuit. — Ce-
8 terum posteaquam semel haec forma fabulae nata est, extitisse etiam alii videntur, qui lapidem illum apud sese potius quam Delphis servari vellent. Certe inter Romanos fuerunt, qui Terminum in Capitolio, lapidem rudem et informem, pro eo haberent, quem Saturnus olim devorasset[20]).

Iam vero de loco, ubi Iovem Rhea peperisset, permagna fuit hominum dissensio, quum plurimi eum apud sese natum atque educatum contenderent, quos omnes enumerare longum Pausanias ac difficile negotium esse profitetur[21]). Hesiodus quidem, cuius narrationem supra

16) Schol. ad Hes. theog. v. 485. — De Agathocle Babylonio aut Cyziceno vid. J. Marquardt., Cyzicus u. sein Gebiet, p. 170.

17) Pausan. X, 24, 5.

18) De re notissima satis est C. F. Hermannum laudare, gottesdienstl. Alterth. p. 78, §. 18 not. 12.

19) Posteriores Graeci huiusmodi lapidibus *βαιτύλων* nomen indiderunt, ex Phoenicum aut Syrorum sermone sumptum, qui Bethel dixerunt, quod nomen etiam in Genesi aliquoties legimus, cap. 28, 18. 35, 7. 14. 15. Ex hoc genere Delphicum illum lapidem fuisse patet ex Hesychio: *Βαίτυλος· οὕτως ἐκαλεῖτο ὁ δοθεὶς λίθος τῷ Κρόνῳ.* Eundem etiam Abbadir, item peregrino nomine, dictum esse Priscianus ait, p. 647 Putsch. Cf. Bod. ad Mythogr. Rom. p. 36. — De universo hoc genere lapidum meteoricorum multi satis accurate dixerunt, quorum praecipuos laudant Böttiger. Kunstmyth. II p. 16 sqq. Hermann. l. l. p. 79, §. 18 not. 13. Besnard. ad Arnob. p. 578.

20) Lactant. I, 20, 37.

21) In Messeniacis c. 33, 2.

posuimus, Cretae insulae hanc gloriam tribuit: Callimachus[22]) contra Arcadibus fidem adiungere maluit, ita tamen, ut aliquid etiam Cretensibus concederet. Nam natum quidem Iovem in Arcadia, mox autem Cretam delatum ibique nutritum esse. Ipsi autem Arcades natum Iovem dicebant in monte Lycaeo, quem etiam Olympum et ἱερὰν κορυφήν, partemque eius Creteam appellabant. Deceptum autem a Rhea Saturnum lapide porrecto in monte Thaumasio, qui haud procul a Lycaeo est, prope urbem Methydrium, et in cuius cacumine etiam antrum Rheae consecratum erat, quo nemini nisi feminis sacerdotibus accedere liceret. Ablutum a Rhea puerulum in flumine Lusio, qui Gortynen urbem alluit non longe a Lycaeo sitam. Matris ipsius purgamenta in Lymacem fluvium abiecta, qui apud Phigaliam in Nedam influit. Denique enutritum Iovem a nymphis Thisoa, Neda, Hagno, quarum prima oppido nomen dederit ad Lycaeum sito, altera flumini ex eodem monte decurrenti, tertia fonti in ipso Lycaeo[23]). — Sed aemulabantur Arcadibus vicini eorum Messenii, apud quos quum sanctissima esset Ithomatae Iovis religio, etiam incunabula dei sibi vindicabant[24]). Documento erat Clepsydra fons in summo monte Ithome, 9
dictus ob celatum Rheae partum. In eo fonte ablutum Iovem, educatumque a nymphis Ithome et Neda: nam Neda flumen etiam ad Messeniam pertinet, fines eius ab Arcadia et Elide dirimens. Porro Elei propter solemnium Olympii Iovis sanctimoniam etiam de natalibus dei non concedendum aliis rati, Idaeum antrum, in quo ille aut natus aut educatus crederetur, apud se esse volebant[25]), accitosque ex Creta Curetes ad custodiam puerուli[26]). In Achaia autem et Aegienses et Olenii eandem gloriam affectabant, utrique nomine confisi. Nam Aegienses urbem suam ab Aege nominatam dicebant, cuius Iupiter lacte nutritus esset; alteri hanc a suae urbis nomine Oleniam dictam esse autumabant[27]). Praeter hos Thebani commemorandi sunt, qui arcem

22) Hymn. in Iov. v. 6 sqq.

23) De his omnibus vid. Pausan. VIII, 38, 2. 3. 36, 2. 28, 2. 41, 2. 3. et de monte Thaumasio Steph. Byz. s. h. v.

24) Pausan. IV, 33, 2.

25) Demetr. Sceps. ap. schol. Pind. Ol. V, 42 (18). cf. Boeckh. explic. p. 150.

26) Pausan. V, 7, 4, qui non diversos ab his Idaeos Dactylos fuisse memorat.

27) Strab. VIII p. 387 (224 Tauchn.). Veriorem causam, cur αἴξ ὠλενία dicta sit, Theo ad Arat. v. 164 memorat, scilicet quod capellae sidus in ulna, ἐπὶ τῆς ὠλένης, Aurigae conspiciatur. Sed falsa epitheti interpretatio effecit, ut Ae-

suam antiquitus *μακάρων νήσους* dictum ibique Iovem natum esse asserebant veteris inscriptionis testimonio,

> *αἵδ' εἰσὶν μακάρων νῆσοι, τόθι περ τὸν ἄριστον*
> *Ζῆνα θεῶν βασιλῆα Ῥέη τέκε τῷδ' ἐνὶ χώρῳ* [28]).

Itaque etiam locum quendam ibi fuisse legimus *Διὸς γονάς* dictum[29]), et Lycophronis Cassandra v. 1194 Thebas *γενεθλίαν πλάκα*, h. e. natale solum Iovis nuncupat. Denique Chaeronenses in suo agro, si minus Iovem natum, at certe lapidem Saturno a Rhea porrectum esse narrabant[30]). — Sed his omnibus, et si qui forte alii in Graecia similia iactabant, Asiani populi adversabantur, Lydiae maxime et Mysiae s. Phrygiae minoris incolae. Ac de Lydia testem habemus Ioannem Laurentium[31]), ipsum natione Lydum, qui sua adhuc aetate, h. e. sexto p. Chr. saeculo, apud Sardes in monte Tmolo locum esse dicit, olim *γονὰς Διὸς ὑετίου*, mox corrupto nomine *Δευσίου* appellatum. Idem Eumelum, unum de antiquioribus poetis, in Lydia Iovem natum dixisse memorat, ac recentioris cuiusdam poetae, Macedonii, hodieque versiculi extant[32]), quibus ipsa Sardianorum urbs de se gloriatur,

> *Τμώλῳ ὕπ' ἀνθεμόεντι ῥοὴν παρὰ Μαίονος Ἕρμου*
> *Σάρδιες ἡ Λυδῶν ἔξοχός εἰμι πόλις.*
> *Μάρτυς ἐγὼ πρώτη γενόμην Διός· οὐ γὰρ ἐλέγχειν*
> *Λάθριον υἷα Ῥέης ἤθελον ἡμετέρης.*

Finitimi Sardianis Smyrnaei sunt, in quorum antiqua gloria Iovis partus Curetumque saltatio ab Aristide numerantur[33]). Et ad Sipylum, propinquum Smyrnae montem, Rheam cum filiabus fugisse Saturni metu iam supra vidimus. In Mysia autem Scepsis oppidum, ad Idae montis

---

tolis quoque incunabula Iovis vindicarentur, propter urbem eorum Olenum, ut e Statii versibus Theb. IV, 104 Spanhemius observavit ad Callim. h. in Iov. v. 7. — Aegae erant etiam in Cilicia, in cuius urbis nummis aut capra expressa est aut mulier stans, dextra cornu, sinistra puerulum ferens, quam Eckhelius D. N. III p. 37 Amaltheam Iovis nutricem esse putat. Tamen hinc non consequitur, etiam Aegeaeos — sic enim vocabantur — natum apud se Iovem dixisse.

28) Tzetz. ad. Lycophr. v. 1194. Cf. Forchhammer, Topograph. Thebar. (Progr. Kil. 1854) p. 8, qui has b e a t o r u m i n s u l a s v. rectius peninsulas Ismeno, Strophia et Dirce rivulis effectas esse docet.

29) Schol. Hom. Il. XIII, 1.

30) Pausan. IX, 21, 3.

31) De mensibus IV, 48 p. 84 Bonn.

31) In Antholog. Palat. IX, 645. Brunck. Anal. III p. 120.

33) Orat. XXII p. 440 Dindf. cf. or. XIV p. 372.

radices, nomen accepisse dicebatur ἀπὸ τοῦ σκήψασθαι, h. e. a simulando, quod ibi se Rhea pro puero lapidem enixam esse simulasset[34]). Et civis Scepsiorum Demetrius[35]) pro patria sua adversus Cretenses hoc maxime argumento pugnabat, quod Rheae cultus ab initio illi potius quam Cretae proprius fuisset. Addebat etiam, quae nomina locorum in fabulis de Iovis infantia maxime celebrarentur, Idam et Dicten, ne haec quidem Cretae propria sed alterum eorum montis esse in Troade, alterum loci cuiusdam in agro Scepsiorum. Sunt autem e recentioribus quoque viri doctissimi[36]), qui fabulam illam de 11
Iovis natalibus, ipsamque adeo religionem huius dei, non a principio Cretensibus propriam, sed ex Asia advectam fuisse credant, hac maxime ratione permoti, quod Curetes, quorum magnae et in pueruli Iovis nutricatione et in religionibus partes sint, ab origine non Cretes sed Phryges fuisse videantur. Mihi tamen accuratissima Lobeckii disputatione[37]) tantum certe effectum videtur, ut de Phrygia Curetum origine dubitare liceat, pronniorque sum in eam sententiam, ut in Asiam translata Iovis incunabula tum demum esse credam, postquam Rhea Graecorum cum Cybele s. magna matre a Lydis et Phrygibus culta, Curetesque Cretici cum Phrygiis Corybantibus confundi coepti sint. Ceterum Curetes etiam in Elide et Messenia Iovis parvuli custodes fuisse dicebantur, sed acciti a matre ex Creta: sic enim Elei narrabant[38]), nec Messenios aliter statuisse credibile est. Sed illud custodiae munus quis primus Curetibus adscripserit, non habeo dicere. Hesiodus quidem in theogonia mentionem eius non facit, neque antiquiorem rei auctorem citari memini, quam Orphicae theogoniae poetam: quamquam ne de hoc quidem satis liquet[39]). Sed frequens Curetum custodiae mentio apud recentiores est inde ab Arato: neque quisquam horum illos non Cretae insulae assignat. Omnino autem Creticas de Iovis infantia fabulas maximam apud omnes auctoritatem nactas esse videmus. Reliquis, si ab unis Arcadicis discesseris, vix alibi quam apud suos quosque populares fides habita est: et sunt sane pleraeque

34) Steph. Byz. s. v. Σκῆψις.
35) Apud Strabonem, X p. 472 (365. 6).
36) Hoeck. Cret. I p. 230 sqq. Cf. et Voss. epist. myth. III p. 19 et p. 24.
37) Aglaoph. p. 1111—1129.
38) Pausan. V, 7, 4.
39) Vid. Lobeck. Agl. p. 515. 541 et 1117.

eiusmodi, quas facile intelligas recentiore demum tempore sacerdotum aut periegetarum studio compositas esse.

Restat, ut de nutricibus quoque Iovis paullo accuratius dispicia-
12 mus. Notissima est fabula de capra, cuius aut uberibus Iupiter admotus aut certe lacte nutritus sit. Eam Hesiodus non memorat; tamen quum in Aegaei montis antro Iovem educatum dicat, fuerunt qui in hoc montis nomine etiam nutricantis caprae indicium sibi deprehendere viderentur. *Σημείωσαι*, inquit scholiastes, *ὅτι καὶ οὗτος αἰγίοχον ἤκουσε τὸν Δία, ἐπεὶ αἶγα ἐθήλασεν, ἀφ' οὗ ἐν Κρήτῃ καὶ Αἰγὸς ὄρος καλεῖται καὶ Αἰγαῖον, τὸ ὑπ' ἐνίων Ἔκδικον καλούμενον*[40]). Postremum nomen sine dubio corruptum est, rescribendumque *Αἰγιδόκον*, quo nomine locum in Creta fuisse Euphorio testatur apud schol. Ven. ad Il. II, 157. Post Hesiodum autem plerique capram Iovis nutricem celebrarunt, non tamen sine magna fabularum varietate. Nam in ea theogonia, quae Musaei nomine inscripta fuit, Iupiter recens natus a matre Themidi, a Themide Amaltheae nymphae tradebatur, quae puerulum caprae uberibus admovebat. Erat autem haec capra Solis progenies, adeo terribili specie, ut Titanes adspectum eius reformidarent, quamobrem horum rogatu Terra eam in antro Cretae abdebat, ubi Iupiter ab ea nutriretur. Is quum adolevisset bellumque Titanibus faceret, oraculi monitu aegide, h. e. eiusdem caprae pelle sese armabat: erat enim ea impenetrabilis ac terrifica, et

---

40) Negat Hoeckius, Cret. I p. 70 et 174, apud Hesiodum recte scribi *Αἰγαῖον ὄρος*, reponique vult *Ἀργαῖον* ex aliquot veteribus editionibus. Nam alterum montis nomen a nullo memorari, sed quum apud Ps. Plutarchum, in libello de fluminibus c. 16, 3, nympha quaedam Cretica Arge a Iove ex urbe Lycto rapta esse dicatur, ab huius nymphae nomine montem Argaeum appellatum esse autumat. Hoc argumentum quam debile sit, nemo non intelligit. Nam ne Argaei quidem montis ulla apud quemquam mentio fit, neque ex nymphae nomine consequitur, montem quoque ab ea nominatum fuisse. Sed *Αἰγαῖον* codices Hesiodi, quotquot collati sunt, omnes tuentur, praeter unum Parisinum, in quo est *Ἰδαίῳ ἐν ὄρει*: ut *Ἀργαίῳ*, quod in Aldina aliisque veteribus editionibus impressum est, ex aliquo errore ortum videri debeat. Et agnoscitur Aegaeus mons non modo a schol. Hesiod., sed etiam a Theone in comm. ad Arat. Phaen. v. 33, quo loco pro vulgata lectione *ὄρεος σχεδὸν Ἰδαίοιο* a quibusdam *Αἰγαίοιο* scriptum fuisse docemur, unde hoc saltem intelligitur, grammaticos veteres de veritate nominis apud Hesiodum non dubitasse. Accedit, quod cognatum nomen alterum eiusdem montis ex Hesiodi scholiasta cognoscimus, *Αἰγιδόκον*: nam sic pro *Ἔκδικον* scribendum esse pro certo habeo.

in tergore Gorgonium habebat[41]). Haec fabulae forma mihi quidem prae ceteris genuina esse et verae significationis indicia servare videtur. 13
Constat enim inter omnes, aegidem Iovi propterea tribui, quia fulminis, imbrium, procellarum aliarumque tempestatum potestatem habeat. Nam *αἰγίς*, itidem ut *καταιγίς*, dicitur *φοβερά τις κίνησις ἀέρος*, ipsoque *αἰγός* nomine non solum caprae appellantur, sed *ἐκ πυκνότητος ἀέρος ποιὰ πάθη οὐράνια*, ut Eustathii verbis utar[42]). Apparet igitur, quid caprae imagine in fabulis significetur, et cur Iupiter a capra nutritus eiusque pelle s. aegide armatus dicatur, quippe quum vim suam ac potestatem ab iis maxime rebus habeat, quae illa imagine denotantur. A Sole autem cur capram illam natam dicerent, eiusdem Eustathii verbis explicari potest paullulum immutatis[43]): *τὰ γὰρ κατὰ τὸν ἀέρα ἐπαιγίσματα καὶ φόβητρα ἐξ ἀναθυμιάσεων εἰσὶν, ἃς ὁ ἥλιος* (apud Eustathium est *Ἀπόλλων ἥλιος*) *ἀνάγων δοκεῖ τὴν αἶγα γεννᾶν* (apud illum: *δοκεῖ τὴν αἰγίδα κοινοῦσθαι τῷ Διί*). — Sed displicuit tamen nonnullis bestia summi dei nutrix. Hi igitur pro capra nympham substituerunt, cui *Αἴξ* s. Capra nomen fuerit[44]). Alii contra non modo non spreverunt illam, sed Amaltheam, quae apud Musaeum nympha fuit caprae uberibus Iovem admovens, ipsam nihil aliud quam capram fuisse crediderunt adhibitam puero aut a Themide[45]), aut a nymphis Adrastea, Ida[46]) aliisque, quae communi nomine Meliae dicuntur[47]), aut etiam a Curetibus[48]). De nomine Amaltheae multi multa protulerunt parum proba-

---

41) Haec e Musaei theogonia referuntur ab Eratosth. cat. c. 13, item a schol. Iliad. XV, 229, quamquam is Musaeum auctorem non laudat, et caprae nomen Amaltheae fuisse ait, quod perperam factum arbitror. Nec est hoc apud Hyginum P. A. II, 13 p. 379, ubi eadem fabulae forma refertur.

42) Ad Iliad. V, 388 p. 602, 18. Eiusdem Eustathii est etiam superior aegidis interpretatio, ad Il. XV, 318. Cf. id. ad XVII, 593. Cornut. d. N. D. c. 9. Ioann. Lyd. de osteat. p. 340 Boan. Zenob. Prov. I, 26. II, 48. aliaque apud Blomfield. gloss. Aesch. Choeph. v. 583.

43) Ad Il. XV, 229 p. 1014, 5.

44) Anton. Lib. Metam. c. 36 p. 46 Koch.

45) Sic est apud schol. Il. XV, 229. Cf. Hygin. P. A. I, 13 et Mehler. ad Mnaseae fragm. p. 47 sqq.

46) Apollodor. I, 1, 6.

47) Callimach. hymn. in Iov. v. 46. — Meliae nymphae quales fuerint, demonstrasse mihi videor in dissertatione superiore p. 125 sqq.

48) Apollodor. l. l. Diodor. V, 70.

14 bilia[49]). Mihi vix dubitari posse videtur, quin a verbo *ἄλθειν* repetendum sit. Nam *ἄλθειν*, ut *ἀλθαίνειν*, est i. q. *αὔξειν*, *θεραπεύειν*; hinc *ἄλθα*, *θεραπεία*, et *ἀλθεύς*, quisquis alterum aliquo modo *θεραπεύει*, unde etiam medici significatio fluxit ab Hesychio commemorata. Prima pars nominis ex *ἄμμα* facta est, una littera elisa. Nam Amma apud Graecos, ut apud nostrates, nutricem aut matrem designat[49b]): quamobrem *Ἀμάλθειαν* non inepte almam matrem s. nutriciam interpretabimur. Et memoratur in fabulis Amalthea quaedam Oceani aut Haemonii filia, quae cornu taurinum possederit mirae virtutis, unde cibi potusque quod quisque cuperet ubertim manaret[50]). Apud Ciceronem autem aliquoties Amalthei mentio fit in Attici praediis Epiroticis, quod Orellius et Baiterus in Onomastico p. 33 recte interpretari videntur de sacello Amaltheae consecrato. Et fatidicam quoque Amaltheam inter Sibyllas numerari videmus, quae superfuisse adhuc Tarquinii Prisci aetate dicitur[51]): neque fortasse spernenda est Klausenii suspicio, eandem hanc esse, quae Iovem educaverit[52]). Quae omnia si reputamus, non possumus quin

49) Ioannes Lydus, de mens. IV, 48 p. 83, *Ἀμάλθειαν* sigoificare putat *δύναμιν* vel *ἀμαλακίαν*, ab eadem scilicet stirpe, unde est *μαλθακός*, *μαλακός*, cum *α* privativo. Sic etiam Suidas: *ἀμάλθεια παρὰ τὸ μὴ μαλάσσεσθαι*. Alia apud Io. Lydum explicatio est, *ἡ ἅμα καὶ ἀθρόως καὶ ἐνὶ χρόνῳ τὰ ὄντα τῷ Διὶ αὔξουσα· ἄλθειν γὰρ τὸ αὔξειν*, ex vero falsoqoe mixta. — Schwenckio, Etymol. myth. And. p. 41, oomen cum *ἀμέλγω* cogaatum videtur, quod qua ratione fieri possit uoa perspicio. Neque probabilius Welckerus, de Cretic. colou. p. 6, compositum oomea ex *ἀμαλός* et *θεία* statuit: quoniam scilicet *ἀμαλαὶ ἄρνες* apud Homerum suot, adiectivum illud etiam iustar appellativi, neque solum de agais, sed etiam de capris, nec de teaellis, sed de adultis atque robustis, qualem illam Iovis nutricem credi par est, usurpari potuisse ratus. Proxime ad verum accessit Hoeckius, Cret. I p. 190, aec tamea teauit, coaturbatus similitudiae terminationis cum adiectivo *θεία*.

49b) Hinc etiam Ceres apud Troezeaios *Ἀμαία* v. *Ἀμμαία* cognominabatur. Vid. Zenob. Prov. IV, 20 c. Schneidewinai not.

50) Apollod. II, 7, 5, 2. Tzetz. ad Lycophr. v. 50. Schol. Iliad. XXI, 194.

51) Lactant. I, 6, 10. Io. Lyd. de meas. IV, 34. Serv. ad Verg. Aen. IV, 72. Cf. Schol. Plat. Phaedr. tom. VIII p. 287 Taucbn. et Suid. s. v. *Σίβυλλα*.

52) Aeaeas u. d. Peaat. p. 299. — Ceterum ab Ungero, Theb. parad. p. 422, admonemor etiam alius cuiusdam Amaltheae, Phoci filiae, quam Iupiter ia ursum transformatus constuprasse dicitur a Clemeote Rom. Homil. V, 13. Nam ibi *Ἀμαλθείᾳ* pro *Ἀμαλθαῖς* legeadum esse, cum Cotelerio, non potest dubitari. Magis etiam corruptum nomen est in Recogn. Clem. X, 22, ubi Maatbea scribitur. Est autem haec fabula ab alio nullo memorata.

capram Amaltheam ab iis demum dictam esse credamus, qui quid capra Iovem nutricante significaretur non intelligerent. Primitus autem Amalthea nympha fuit [52b]), quae quod omnium bonarum rerum copiam haberet, etiam ad nutricandum talem puerum aptissima visa est. Concinnatis deinde duabus fabulis diversis factum est, ut aut ipsa in capram transformaretur, aut capram habuisse diceretur, cuius lacte Iovem aleret. Porro quum caprinum lac nec suave nec salubre haberetur, nisi melle admixto [53]), Iovem quoque non sine melle nutriri conveniebat. Hinc Melissa ascita est, Amaltheae soror, patre Melisseo, rege Cretensi [54]). Orphici Melissum Amaltheae coniugem dixerunt, ex eoque coniugio Adrasteam et Idam procreatas, quae Iovis nutrices factae sint [55]). Has etiam Apollodorus I, 1, 6 nominat, sed Amaltheam capram dicit. Hyginus [56]) tres sorores fuisse narrat, Amaltheam, Adrasteam, Idam, ab aliis Melissei, ab aliis autem Oceani filias dictas, easdemque etiam Dodonides nymphas perhiberi: unde non inepte aliquis coniiciat, fuisse etiam qui Dodonae Iovem nutricatum vellent. Et Amaltheae quidem in Epiro, ubi Dodona fuit, aliquam famam fuisse Amaltheum illud Epiroticum probare videtur, de quo supra diximus. De Adrastea autem dubitari non potest, quin ea primitus non ad Dodonam neque aliquam Graeciae partem pertinuerit, sed Phrygiae dea

---

52b) Nais Amalthea est ap. Ovid. Fast. V, 115.

53) *Οὐκ ἀσφαλὲς ἄνευ μέλιτος προσφέρεσθαι τὸ τῶν αἰγῶν γάλα*, loquit Galenus *π. εὐχύμ.* c. 4 tom. IV p. 766 Kühn., aliorumque medicorum idem praecipientium locos attulit Bochartus, Hieroz. P. I L. II c. 5 p. 630. Cf. Bünemann. ad Lactant. I, 22, 19. Schneider. ap. Boeckh. ad Pind. Ol. VI, 46.

54) Lactant. I, 22, 19: „Didymus in libris *ἐξηγήσεως Πινδαρικῆς* ait, Melissea Cretensium regem primum diis sacrificasse. — — Huius duas fuisse filias, Amaltheam et Melissam, quae Iovem puerum caprino lacte ac melle nutrierunt: unde poetica illa fabula originem sumpsit, advolasse apes atque os pueri melle complesse.“ Rem se contra habere, Melissamque et Melisseum ex poeticis illis apibus fictos esse, neminem latere potest. De his apibus cf. et Anton. Lib. Met. c. 19. Verg. Georg. IV, 150. Columell. IX, 2. Addiderunt alii columbas (*πελειάδας*) et aquilam, nectar Iovi et ambrosiam afferentes, et propter id meritum post in sideribus collocatos. Athenae. XI p. 491.

55) Vid. Lobeck. Aglaoph. p. 514.

56) Fab. 182 p. 254. Nympharum nomina in codicibus scripta sunt Idothea, Althaea, Adrasta, quae quin recte a Munckero cum illis, quae supra posui, mutata sint, nemo dubitabit.

16 fuerit, aut non diversa a magna matre, aut certe in eius comitatu [57]). Idaeam vel Phrygiam vel Creticam haberi licet, quoniam Ida mons utrobique est. Sed Creticae fuisse dicuntur duae nymphae Idaeae, Helice et Cynosura, quae et ipsae Iovem nutricaverint, sintque ab hoc postea inter astra collocatae, et quidem ursarum specie, quia Iupiter aliquando Saturnum fugiens se ipsum in draconem, nutrices autem in ursas transformaverit. Creticam hanc fabulam dicunt Theo in commentario Arati v. 46. et Leontius de sphaera, apud Buhlium, tom. II p. 266, fuitque in Creta locus quidam, Cynosura dictus, prope Istrum urbem [58]), unde altera illarum nympharum nominata videri potest; Helicen quoque locum in ea insula fuisse non traditur quidem, neque tamen incredibile est. Ceterum fuerunt, qui illam nutricum Iovis transformationem non Cretae accidisse dicerent, sed in Propontidis insula Arctoneso, quae vulgo Cyzicus vocatur [59]). Huic propinqua Proconnesus est, unde lapidem ad fallendum Saturnum a Rhea sublatum esse Agathocles scripsit: eundemque scriptorem etiam transformationem illam ad Arctonesum retulisse crediderim, ipso insulae nomine invitatum, ut Creticam fabulam huc transferret [60]). Aglaosthenes autem, qui Naxica scripsit, Iovem ob metum Saturni ex Creta Naxum amandatum ibique a Cynosura nutritum esse retulit [61]). Nempe Naxii quoque eius dei, si minus natalium, at certe nutrimentorum locum in sua insula
17 esse contendebant, antiquo huius nomine freti. Nam Dia olim appellata fuit, quasi Ioviam dicas [62]). A nonnullis, ut Hyginus ait [63]), Iovis

57) Conf. accuratam Marquardti dissertationem, Cyzic. p. 103 sqq., cui nunc quidem nihil addi opus est.

58) Apud Eratosth. cat. c. 2 scribitur *ἐν τῇ πόλει τῇ καλουμένῃ Ἰστοῖς* et apud Hygin. P. A. II, 2 et schol. Germ. Arat. p. 40 Buhl. Histoe, aut Istoe, Histica, Hesticu. Verum nomen Schaubachius p. 73 e Stephano Byz. posuit.

59) Schol. Apollon. Rh. I, 941.

60) Ex eodem Agathocle rem mirificam retulit Athenaeus IX p. 375, Iovem in Creta etiam scrofae uberibus nutritum esse, unde animal illud ab omnibus sacrum haberi, cuius carnibus vesci nefas sit. *Πραίσιοι δὲ*, addit, *καὶ ἱερὰ ῥέζουσιν ὑί, καὶ αὕτη προτελὴς αὐτοῖς ἡ θυσία νενόμισται. Τὰ παραπλήσια ἱστορεῖ Νεάνθης ὁ Κυζικηνὸς ἐν δευτέρῳ περὶ τελετῆς.* Olet haec sus aliquid mysticum, quod quid sit, aliis indagandum relinquo.

61) Eratosth. cat. c. 30. Hygin. P. A. II, 2 et 16. Schol. German. Arat. p. 73. Lactant. I, 11, 64. Ioann. Lyd. de mens. IV, 48 p. 83.

62) Etymol. M. p. 266, 44. *διότι ἐν αὐτῇ ἐτράφη ὁ Ζεύς.*

63) P. A. II, 13 p. 378.

nutrices Aega et Helice nominatae sunt, Oleni filiae: nimirum ab Achaeis, si ex nominibus coniecturam capimus, quae urbium in Achaia sunt. Item quae ab Arcadibus et Messeniis nutrices Iovis perhibebantur, Thisoa, Hagno, Neda, Ithome, harum unam ab oppido, alteram a fonte, tertiam a flumine, quartam a monte nomen habere supra vidimus. Ab loci nomine etiam Geraestiades nymphas appellatas crederem, — nam Geraestum Euboeae promontorium et oppidum novimus, — nisi obstaret Etymologi auctoritas, qui unus, quod sciam, harum mentionem facit, p. 227, 39. Is enim eas pro nutricibus Iovis apud Gortynios Cretenses habitas esse ait, causamque nominis addit ὅτι τὸν Δία τρέφουσαι ἐγέραιρον. — Denique non praetermittendae sunt duae Iovis nutrices a Romanis scriptoribus memoratae, Graecis ignotae, Fortuna et Anna Perenna. Ac de Fortuna quidem testatur Cicero, de divin. II, 41, 85, Praeneste esse Iovis pueri aedem cum imagine dei lactentis, qui una cum Iunone in Fortunae gremio sedens mammam appetat, eumque religiose a matribus coli. De Anna Perenna autem Ovidius, Fast. III, 657 sqq., nos docet:

Sunt quibus haec Luna est, quia mensibus impleat annum,
Pars Themin, Inachiam pars putat esse bovem;
Invenies qui te nymphen Atlantida dicant,
Teque Iovi primos, Anna, dedisse cibos.

unde apparet ipsi poetae non satis compertum esse, quonam haec dea loco habenda et quale eius numen ac munus sit[65]). Hoc tamen aliunde manifestum est, visam eam bonarum rerum copiam habere vitamque hominum tueri ac prosperare posse: quamobrem invocabant eam Romani in eius festo, quod erat Idibus Martiis, ut annare perennareque commode liceret[66]), h. e. ut et instantem annum et futuros bene ac feliciter agerent. Fuit igitur Anna Perenna non multum fortasse dissimilis Graecorum Amaltheae, quam almam matrem interpretati sumus, potuitque proinde et ipsa non indigna Iove nutrix videri.

Scrib. Gryphiswaldiae m. Octob. MDCCCLII.

---

65) Docte et laboriose, ut solitus erat, Klausenius de Anna Perenna disseruit, Aen. u. d. Penat. p. 717 sqq., sed in summa tamen re nobis non magis persuasit, quam Merkelio, Prolegg. ad Ovid. Fast. p. CCXIV sqq.

66) Macrob. Saturn. I, 12 p. 264 Zeun.

DE PANDORA.

3 Graecis veteribus pariter cum ceteris populis plerisque persuasum erat, fuisse quondam generis humani conditionem longe beatissimam deorumque vitae haud admodum dissimilem, donec procedente tempore in deterius mutata malisque et miseriis omnis generis, quibus nunc mortales conflictantur, obnoxia facta esset. Testes huius persuasionis Graecorum antiquissimos eos habemus, quorum carmina Hesiodi nomen praeferunt[1a]): nam et in Theogonia et in Operibus et Diebus de illa mutatione exponitur, et quomodo ea quave ratione acciderit per duas fabulas ostenditur, quarum una in utroque carmine, quamquam non prorsus eodem modo, altera in Operibus tantum narratur. Atque haec quidem, quae Operibus propria est, ubi quinque generis humani aetates referuntur, crescensque gradatim hominum depravatio et cum depravatione calamitas, alio tempore satis, ut putamus, accurate a nobis pertracta est[1]); de altera, quam utrique carmini communem esse diximus, hoc loco disserere placuit.

---

1 a) Verissime Nitzschius, Sagenpoes. p. 435: „Eigentlich populär ist die Vorstellung von einem friedseligen goldenen Zeitalter nie gewesen, und erst spät und isolirt in Hesiod's Zeit, d. h. in dem schon schuldbewussten Menschenalter von der Sehnsucht nach Unschuld und Frieden durch Rückdichtung erfunden. Die Spöttereien der Komiker über diese Vorstellung sind daher um so erklärlicher.“ De comicis vid. Th. Bergk. Reliq. com. Att. p. 188 sqq. — Pausanias V, 7, 4 Eleos Saturnum ut aurei saeculi regem veneratos esse ait; sed quam vetusta apud illos haec de aureo saeculo opinio fuerit, neque hinc cognosci potest, neque ex iis, quae alibi de Saturnalium s. *Κρονίων* festo eiusque causis traduntur, velut apud Macrob. Sat. I, 7, extr. Lucian. Sat. c. 7: et in his ne constat quidem, quantum ad Graecorum, quantum ad Romanorum religiones pertineat.

1) Vid. proxim. dissert. De aetatibus gen. hum.

In Operibus igitur v. 91 sqq. fuisse quondam tam praeclaram hominum conditionem legimus, ut viverent

νόσφιν ἄτερ τε κακῶν καὶ ἄτερ χαλεποῖο πόνοιο
νούσων τ' ἀργαλέων, αἵτ' ἀνδράσι κῆρας ἔδωκαν,

sed finem huic felicitati impositum esse per mulierem Iovis iussu a Vulcano fabricatam aliorumque deorum muneribus ornatam, unde Pandorae ei nomen inditum. Hanc enim quum deducta ad homines et ab Epimetheo, dissuadente licet fratre Prometheo, recepta esset, dolium quoddam in Epimethei domo repositum aperuisse, quo facto statim erupisse omne genus malorum antea dolio illo inclusorum, solamque spem intus remansisse, quum operculum satis mature a muliere repositum esset. Inde igitur ab hoc tempore, inquit poeta,

μυρία λυγρὰ κατ' ἀνθρώπους ἀλάληται·
πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα,
νοῦσοι δ' ἀνθρώποισιν ἐφ' ἡμέρῃ ἠδ' ἐπὶ νυκτὶ 4
αὐτόματοι φοιτῶσι κακὰ θνητοῖσι φέρουσαι.

Contra in Theogonia fabricatur quidem pariter Iovis iussu mulier a Vulcano et hominibus adducitur, at neque Pandorae nomen ei imponitur, neque dolii malorumque hinc emissorum mentio fit, sed dicitur illa omnium mulierum prima et universi sexus muliebris progenitrix facta esse, mala autem, quae per eam in genus humanum redundarunt, omnia repetuntur a pravis moribus mulierum. Nam has fucorum instar otiosas et inertes domi desidere, quaeque virorum labor et industria paraverit, avide absumere. Neque tamen careri mulieribus sine incommodo posse, quum caelibem vitam, si minus detrimentum rei familiaris, alia tamen mala satis gravia sequantur: postremo, etiam si cui forte probior mulier contigerit, huic tamen nihil amplius nisi compensari aliquatenus mala bonis posse; qui vero pravae copulatus sit, quales sine dubio plerasque poeta statuit, huic vix vitam vitalem fieri. — Causam autem, qua permotus Iupiter tot malorum segetem vitae hominum addiderit, hanc utrumque carmen refert: succensuisse illum propter ignem a Prometheo surreptum et ad homines se invito delatum: nam noluisse hominibus ignem impertiri propter fraudem ab eodem Prometheo adversus se commissam. Haec fraus qualis fuerit, Operum compositor indicare supersedit; alter autem exponit in hunc modum. Quondam pactione inter deos hominesque facta, quum Iovi sacrificium offerendum esset, Prometheum mactati bovis duas portio-

nes fecisse, alteram e carnibus visceribusque corio involutis, alteram ex ossibus cum arvina speciose compositis, Iovique optionem dedisse, utram partem sumere mallet, sperantem scilicet fore, ut is fallaci specie deceptus ossa et arvinam eligeret, carnes et viscera hominibus relinqueret. Iovem, quamvis dolum persentisceret, tamen, quo manifestius illum fraudis convinceret, ossa elegisse: tum vero iratum hominibus ignem impertiri noluisse, quem quum tamen Prometheus surripuisset ad illosque detulisset, non modo huic supplicium impositum esse gravissimum, ut ad columnam firmissimis vinculis alligatus iecur quotidie renascens lacerandum aquilae praeberet, sed hominibus quoque muliere creata eas, quas commemoravimus, poenas inflictas. Ac ne quis miretur, quo iure propter Promethei delictum non hic solum, qui deliquerat, sed illi quoque, quorum amore deliquerat, puniri a Iove potuerint: factum id propter arctissimam Promethei cum hominibus coniunctionem, quae eiusmodi est, ut ille non modo patrocinium hominum suscepisse causamque eorum adversus deos tueri, sed prorsus ipse generis humani personam sustinere dicendus sit, adeoque nihil intersit, utrum Prometheus an homines deliquerint. Est sane Prometheus, si de natalibus fabulas audimus, divino, non mortali genere natus: nam patrem habet Iapetum, fratrem Saturni, matrem Clymenen, Oceani filiam, Iapetus autem unus est de Titanibus, qui, quum parere et obedire Iovis imperio recusarent, victi ab eo et in Tartarum deiecti sunt, quorum personis manifestum est repraesentari quidquid in rerum natura Iovis optimi maximi numini et consiliis pertinaciter adversetur. In his autem, quae sic adversantur, non immerito a veteribus poetis etiam humani generis prava indoles numerata est, cui qui indulgent, hos debitam divino numini reverentiam denegare, pietatis officia negligere, sua consilia suasque rationes divinae voluntati ante-
5 ponere, impios denique et dei contemptores evadere videas. Neque mirabimur talem humani generis indolem Titanum h. e. divinarum personarum specie propositam, si meminerimus, quam diversa divinitatis notio apud antiquos illos fabularum auctores ab ea fuerit, quam vel nos, christiana religione imbuti, animis informatam habemus, vel apud Graecos posteriorum temporum ii certe, qui supra vulgus saperent, uno ore profitebantur. Primum enim deos illi non ab initio fuisse, sed pariter cum hominibus ortum habuisse credebant ex occultis quibusdam causis naturalibus ac lege fatorum. Porro, quum nobis itidem ut Graecorum sapientioribus divinitatis notionem a summa virtute, sa-

pientia, sanctitate seiungere nefas sit, illis eontra, quemadmodum inter homines alii boni et sapientes, alii stulti et improbi, alii inter virtutem et vitia, sapientiam et stultitiam medii sunt, sic etiam deorum alii aliis aut meliores aut deteriores, aut sapientiores aut insipientiores esse videbantur, et unus tantum eeteris omnibus ut viribus, sie virtute et sapientia tantum praestare, ut eius imperio omnes parere deberent. Denique divinam naturam ab humana praeter disparem virium mensuram hoc unum maxime discriminare videbatur, quod dei, posteaquam semel orti essent, vitam haberent sempiternam, quum homines, ut nascerentur, sie brevi tempore rursus interirent. Verum tamen haee ipsa hominum mortalitas tantum singulorum est, non generis universi: moriuntur enim singuli, genus autem humanum pariter cum diis semper vivit, quumque in eorum, qui obierunt, loeum novi semper suecrescant, vis quidem et natura humanitatis eadem manet in posteris, quae fuerat in maioribus, ut non immerito humanam naturam pariter cum divina, quamquam alio modo, immortalem dicere liceat. Quae quum ita sint, nihil obstabat profecto, quominus a veteribus illis fabularum auctoribus etiam humanae naturae locus inter deos immortales daretur, adeoque etiam ea, quae prava et vitiosa in hominum ingenio, et principi ac summo deo invisa atque infesta sunt, tamen divinarum personarum imaginibus repraesentarentur, quales sunt Iapetus eiusque filius Prometheus. Manifestum est autem, huius Promethei persona nihil aliud significari, quam eam humani ingenii vim et calliditatem, qua non modo res ad vitae usum aut necessariae aut iucundae sollerter comparatae artesque innumerabiles inventae sunt, sed saepenumero etiam, quum nimis ea homines confidunt plusque quam fas est sibi suaeque sapientiae arrogant, a religione et reverentia divini numinis animi eorum avocantur, eoque impietatis procedunt, ut vel fallere deos debitisque honoribus fraudare conentur. — Adiungit autem Theogonia Prometheo tres fratres, Epimetheum, Menoetium, Atlantem, quorum unius, Epimethei, significatio item satis aperta est. Nempe acies illa humani ingenii nimis saepe tamen hebes atque fallax est, neque raro aecidit, ut, quae optime et prudentissime eonsulta videbantur, reapse pessima et perniciosa fuisse cum sera poenitentia intelligamus. Hanc igitur seram suique poenitentem intelligentiam sub Epimethei persona repraesentatam quilibet facile agnoseit. Alterum fratrem, Menoetium, poeta v. 510 *ὑπερκύδαντα*, v. 514 autem *ὑβριστὴν* et a Iove in Erebum deieetum esse ait *εἵνεκ' ἀτασθαλίης τε καὶ*

6 ἠνορέης ὑπερόπλου[2]). Eius nomine significatur mortem oppetens h. e. oblatam intrepide excipere non recusans. Designari igitur arbitror eum animi habitum, qui ad audacia ac nefaria facinora homines impellit superbia viriumque fiducia elatos, et ne mortis quidem metu tardatos, quo fit, ut diis invisi et exosi non modo morte poenas luant, sed apud inferos quoque puniantur. Tertium, Atlantem, quam ob causam Iupiter supplicio affecerit, Theogoniae poeta non memorat. Posteriores eum una cum Iapeto ceterisque Titanibus bellasse contra Iovem dicunt, et sunt qui huius belli principatum ei tribuant[3]). Ceterum si quis omnia, quae de Atlante in fabulis traduntur, diligenter perpenderit, vix persuadere sibi poterit, huius quoque persona, itidem ut superiorum, iam ab initio nihil aliud quam habitum quendam animi humani significatum fuisse. Videtur potius cum illis postmodo demum coniunctus esse, quum nomen eius pariter aptum esset ad hoc genus allegoricae significationis: (designat enim patientem laboris et aerumnarum:) idque eo facilius fieri potuit, si et ipse ab initio unus ex Iapeti filiis esse creditus fuit, qui quam multi fuerint, mox videbimus. Equidem suspicor Atlantem, sicut alios, qui in Titanibus numerantur, complures[4]), vetustae cuiusdam et obsoletae religionis deum fuisse, custodemque creditum columnarum, quibus caelum sustineri veteres opinarentur[4 b]). Has columnas ubi terrarum illi statuerint, neque ego scio, neque a quoquam sciri posse arbitror; hoc autem video, sedem Atlanti, si minus perpetuam, at certe temporariam, in Arcadia fuisse. Ibi enim non modo filiae eius, Pleiades, natae esse dicuntur in monte Cyllene[5]), sed ipse etiam regnasse perhibe-

2) Quod Apollodorus ait, I, 2, 3, *Μενοίτιος δν κεραυνώσας ἐν τῇ Τιτανομαχίᾳ Ζεὺς κατεταρτάρωσεν*, ex aliis fortasse poetis haustum est: Hesiodus hoc non memorat.

3) Hygin. fab. 150. Mythogr. Rom. II, 53.

4) Cf. dissert. de Titanibus, p. 25 [114 sq.].

4 b) Nomen Ἄτλας comparari potest cum Ἄκμων, quod Coeli aut eius patris cognomen fuisse legimus, (vid. supra p. 37 not. 25,) non in eundem significans, quemadmodum nonnullis visum est (Voss. Krit. Bl. II p. 196), sed indefessum, propter cursum, opinor, conversionemque perpetuam (Cornut. c. 1 p. 5 cum Villois. comm. p. 225); Ἄτλας autem propter toleratum munus gravissimum dictus est.

5) Apollodor. III, 10, 1. — In Cyllene etiam Maia habitat, una de septem Pleiadibus, ibique Mercurium parit. Hymn. Hom. in Merc. 228. Ex eius sororibus ad Peloponnesum certe pertinent Taygete, quae monti nomen dedit et e Iove

tur[6]). Posteriores autem, quum Titanibus, Iovis adversariis, hunc quoque admiscuissent, illud columnarum tuendi munus, initio sine dubio honorificum, in poenam converterunt a victore iniunctam, ut ablegatus in ultimas oras caelum non iam columnis suppositis sed suo capite suisque manibus fulciret: mox vero montem de Titane fecerunt in extremis Libyae finibus, tantae altitudinis, ut vertici eius caelum incumbere videretur. — Difficilior est quaestio de Iapeto, cuius nomen qui ex Graecorum sermone interpretari conati sunt, coniecturas alii alias protulerunt, sed pariter omnes, ut equidem arbitror, leves atque improbabiles[7]). Verum vidisse eos censeo, qui illud ab origine pere- 7

Lacedaemonem peperit (Apollod. l. l. 3. Steph. Byz. s. v. *Ταΰγετον*), Sterope, quae Oenomai, Eleorum regis, aut uxor aut mater fuit (Apollod. l. l. Hellanic. ap. schol. Il. XVIII, 486 p. 507 a 3. Muncker. ad Hygin. f. 84), Merope, quam Sisyphus, Corinthi rex, in matrimonium accepit, ex eaque Glaucum genuit (Apollod. l. l. Hygin. P. A. II, 21), Electra, quae fluvio in Messenia nomen dedit, ut Pausanias quidem autumat, IV, 33, 6, peperitque e Iove Iasionem et Dardanum, quos multi de Arcadiae urbe Pheneo oriundos dixerunt. Serv. ad Verg. Aen. III, 167. — Ceterum Eleos quoque Atlantis filias et Dardani natalia sibi vindicasse e Strabone patet VIII p. 346.

6) Dionys. Hal. A. R. I, 61: *Ἄτλας γίνεται βασιλεὺς πρῶτος ἐν τῇ καλουμένῃ νῦν Ἀρκαδίᾳ· ᾤκει δὲ περὶ τὸ λεγόμενον Καυκάσιον ὄρος.* Montis nomen sine dubio corruptum est. Klausenius quidem, de Aen. et Penat. p. 367, quum a Cauconibus dictum putat, videtur *Καυκώνιον* legisse. Sed Cauconium montem in Arcadia nemo memoravit; et tamen Dionysii verba notam et usitatum nomen poscunt. Non incredibile est *Θαυμάσιον* scriptum fuisse, idque etiam Clintono placuisse video Fast. Hell. I p. 22, not. h.

7) Veteribus quibusdam allegoristis Iapeti nomen, ab *ἵημι* scilicet aut eius paragoge *ἰάπτω* factum, *τὴν βαρύτητα, τὸ βάρος* significare videbatur, velut schol. Cantabr. ad Theog. v. 134: *Ἰαπετὸς δὲ ἀπὸ τοῦ ἰέναι. ἐπεὶ γὰρ φύσιν ἔχει πάντα τὰ βάρη* (sic enim scribendum esse pro *τὰ μέρη* monui in diss. de schol. Hesiod. p. 12) *ἀφιέμενα πίπτειν ἄνω* (pr. *ἄνωθεν*), *τὸ τοιοῦτον εἶδος Ἰαπετὸν ἐκάλεσαν.* Cf. Etym. M. p. 523, 53. Similem rationem Hermannus amplexus *Ἰαπετόν* Mersinum interpretatur, de mythol. Gr. antiqu. in Opusc. tom. II, p. 175. et Epist. ad Creuzer. p. 82. Sed de omni illa viri summi disputatione de Titanibus quid iudicandum videretur, satis exposui in diss. de Titan. Hes. p. 13 sqq. Alii veteres *Ἰαπετόν* significare voluerunt *τὴν κίνησιν τοῦ οὐρανοῦ, παρὰ τὸ ἵεσθαι καὶ πορεύεσθαι,* ut est in schol. Cant. l. l., cf. Procl. ad O. et D. v. 50. Eustath. ad Il. I, 207. VIII, 479. Alii porro nomen ab *ἴπτειν* descendere voluerunt, h. e. *βλάπτειν* (vid. Etym. M. p. 462, 49. Lobeck. Pathol. I p. 404), unde etiam Völckerus, Mythol. Iapetid. p. 319, Iapetum significare vult, ut ipsius verba ponam, *das abgefallene, unglückliche, dem Verderben übergebene Menschengeschlecht.* Alii denique Iapeti nomine vacuum emissionem significari

grinum esse statuerunt, nihilque aliud quam Iaphetum[8]), quo nomine in Hebraeorum sacro codice eum appellari videmus Noae filium, qui progenitor esse perhibetur non quidem universi generis humani, sed tamen gentium earum, quibuscum Graecos proxima cognatione coniunctos esse constat[9]). Id autem eo factum videtur, quod ferretur in harum gentium fabulis deus quidam Iaphetus, unde originem suam repeterent; eiusque memoria apud eos quoque, qui ex Asia in Graeciam commigrarunt, licet obscurata, haudquaquam tamen tota oblitterata est. Nam numerarunt Iapetum in Titanibus, h. e. in diis antiquioribus, non horum modo deorum iuniorum, quorum Iupiter princeps esset, sed etiam humani generis progenitoribus, *Τιτήνεσσι θεοῖς, τῶν ἐξ ἄνδρες τε θεοί τε*, ut ait auctor hymni Hom. in Apollinem v. 337. Atque sicut iuniores dei plerique ab uno Saturno, quem *Κρόνον* Graeci dicunt, originem habere credebantur, sic dubitari non potest, quin humani generis auctor Iapetus habitus fuerit. Hanc ob causam Homerus, ubi de Titanibus loquitur in Tartaro inclusis, Il. VIII, 479, ex omni numero solos hos duos ut maxime insignes nominat, et

---

putarunt, ut Coroalus d. N. D. p. 91 Os.: *Ἰαπετὸς ὠνομάσθη ὁ λόγος, καθ' ὃν φωνητικὰ τὰ ζῶα ἐγένετο καὶ ὅλως ὁ ψόφος ἀπετελέσθη, ἰαφετός τις ὤν. ἰὰ γὰρ ἡ φωνή.* Scilicet poterat etiam sic Iapetus humanum genus repraesentare, cuius hoc maxime proprium, ut animi sensus voce promat, unde homines *αὐδήεντες*, et *μέροπες* quoque, vocari solent. Novissimae sunt opinationes Laueri, Mythol. p. 159, qui *Ἰαπετόν* de mari interpretatur, ab *ἰάπτω*, propter fluctuum verberationem, et Rückerti, Troia p. 133, Iapeti nomen, ut Iapygis, ab *ἰάω, ἰαύω, ἰάπτω* factum esse, in quibus verbis insit spirandi significatio: igitur Iapetum proprie nihil aliud quam ventum esse. Haec ergo horumque similia „tradam protervis in mare Creticum portare ventis".

8) In his, ut de prioribus taceam, praecipue memorandus Buttmannus est, cuius dissert. de Noae filiis extat in Mytholog. I p. 215. Nomen Iapheti s. Iapeti, quod ne ex Semitarum quidem lingua commode explicari posse periti fatentur, ille ex Ia = Iao, quod deum et pet, quod patrem significet, ortum esse suspicatur p. 224.

9) Enumerantur inter Iapheti posteros, praeter Iavan et Elisa (Iones et Aeoles), Togarma, Tarsis, Kittim, Dodanim, Tiras, quos Phryges, Tyrrhenos, Cares, Dardanos, Thraces esse statuit nuperrimus huius genealogiae interpres, A. Knobel, Die Völkertafel der Genesis. Gissae 1850. p. 55. 87. 98. 105. 123, cui in plerisque assentiendum esse arbitror, licet in nonnullis errasse videatur, velut in iis, quae de Thracibus disputat p. 125, non distinguens antiquos illos Graecorum cognatos, quibus Orpheus, Linus, Musaeus, Thamyris, Eumolpus accensentur, a barbaris, in quos postea nomen eorum translatum est.

apud recentiores item horum duorum nomina usurpari solent ad designandam summam vetustatem decrepitamque et imbecillam senectutem[10]. Prometheo autem eiusque fratribus, qui genus humanum eiusque indolem repraesentarent, nullum aptius quam Iapetum patrem dari potuisse quilibet intelligit. Ceterum fuisse praeter hos etiam alii ab Iapeto generati dicebantur, undetriginta numero[11], quorum omnium intercepta est memoria, praeterquam duorum. Nam Anchialen Iapeti filiam fuisse legimus, ab eaque urbem appellatam in Cilicia: novicium sine dubio commentum et a vetere fabula segregandum[12]. Plus tribuendum Buphago videtur, Iapeti et Thornacis nymphae filio ab Arcadibus memorato[13]. Thornacem enim montem in Laconia, Buphagum Arcadiae fluvium fuisse novimus; Iapeti autem eiusque filiorum memoriam in Arcadia potissimum et in propinquis Peloponnesi partibus servatam esse etiam aliis quibusdam indiciis docemur. Huc pertinet Atlantis in Arcadia habitatio, de qua paullo ante dictum est, porro Promethei monumentum apud Argivos[14], quodque is a quibusdam ex Asopide, h. e. ex nympha Sicyonia, procreatus dicebatur[15], item quod fratrem eius Epimetheum e Myrmece quadam genuisse Ephyram narrabant[16], cuius nomen urbi inditum, quae post Corinthus fuit, denique quod in Theogonia legimus, sacrificium illud, in quo Prometheus Iovem fallere conabatur, Meconae, h.e. Sicyone[17], oblatum esse.

---

10) Cf. Intt. ad Aristoph. Plut. 581. Nub. 932. 992. Hemsterhus. ad Lucian. D. D. II, 1 p. 253 Bip.

11) Procl. ad Hes. O. et D. v. 50 p. 66 Gaisf.

12) Unus fabulae testis est Steph. Byz. s. v. Ἀγχιάλη, qui auctores laudat Athenodorum et ab hoc citatos Diodorum regemque Ptolemaeum. Sed credibile est hos aliquam Iapeti famam in Cilicia servatam sequutos esse. Nam terrae huius incolae in iis sunt, qui in Mosaica genesi Iapheti posteri dicuntur. Nec indignum memoratu est, quod Iapeti filium Atlantem Phrygem dicit Clemens Alex. Strom. 1, 15, 73, quodque Atlantis filia Celaeno peperisse dicitur Chimurum et Lycum, quae nomina ad Phrygium et Lycium pertinent. Tzetz. ad Lycophr. v. 132. cf. Schol. Il. V, 64. Adoptasse hi Asiani Graecorum fabulas et cum suis contaminasse videntur.

13) Pausan. VIII, 27, 11.

14) Id. II, 19, 7.

15) Procl. ad O. et D. v. 48. Cf. Völcker. mythol. Iapet. p. 72.

16) Steph. Byz. s. v. Κόρινθος. Cf. schol. Apoll. Rhod. IV, 1212.

17) Nam Meconen antiquum nomen Sicyonis fuisse satis constat. Vid. Strab. VIII p. 382. Steph. Byz. s. v. Σικυών. Schol. Pind. Nem. IX, 123.

Sed de hoc sacrificio et quae eius instituendi causa fuerit, deque fraude Promethei iam accuratius dicendum est. Itaque Theogoniae poeta, posteaquam supplicium descripsit ab irato Iove Prometheo impositum, de causis, cur is Iovis iram meruerit, narrare incipit hoc modo, v. 535:

καὶ γὰρ ὅτ' ἐκρίνοντο θεοὶ θνητοί τ' ἄνθρωποι
Μηκώνῃ, τότ' ἔπειτα μέγαν βοῦν πρόφρονι θυμῷ
δασσάμενος προὔθηκε, Διὸς νόον ἐξαπαφίσκων.

in qua narratione tamen neque causam sacrificii indicatam videmus, neque apparet, quid significetur verbo *ἐκρίνοντο*. Fatendum est ergo poetam rem minus quam velles plane et perspicue exposuisse. Nempe, ut opinor, ea tantum disertius sibi commemoranda esse duxit, quae pertinerent ad demonstrandum, quam ob causam Prometheo Iupiter tam graviter succensuerit, tantasque poenas ab eo exegerit: cetera, minus ad hanc rem necessaria, breviter attingere satis habuit, apud auditores praesertim universae huius fabulae sine dubio non ignaros. Et brevius etiam rem significatam ab altero videmus, qui Opera et Dies concinnavit. Is enim nihil nisi fraudem Iovi a Prometheo intentatam esse dicit, qualis autem haec et quo modo intentata sit, silentio praetermittit. Nobis autem, quemadmodum huius brevitatem ex Theogonia, sic brevitatem Theogoniae ex iis compensare licet, quae aliunde comperta habemus. Primum enim admonemur a scholiasta pactionis
9 cuiusdam, quae post bellum Titanum Meconae facta sit de generis humani tutela inter deos distribuenda: *ἐν τῇ Μηκώνῃ*, inquit, *ἐκρίνοντο τίνες θεοὶ τίνας ἀνθρώπους λάχοιεν μετὰ τὸν πόλεμον* [18]). Eandem rem Pindari enarrator memorat, hunc ipsum Theogoniae locum afferens, ad Nem. IX, 123: *οἰκείως δὲ ἱερὰν τὴν Σικυῶνα ὁ Πίνδαρος προσηγόρευσεν. ἡ γὰρ Μηκώνη ἐπ' αὐτῆς ἐστίν, ἐφ' ἧς οἱ θεοὶ διεδάσαντο τὰς τιμάς. Ἡσίοδος· καὶ γὰρ ὅτ' ἐκρίνοντο κτλ.* Plures de hac munerum distributione testes citare super-

18) *Τίνας ἀνθρώπους* pro *τοὺς ἀνθρ.* scribendum esse recte Vossius monuit, Epist. myth. II p. 305 ed. 1.; sed ut cum eodem *μετὰ τῶν πόλεων* scriberetur pr. *μετὰ τὸν πόλεμον*, nulla causa erat. Res ipsa docet, bellum Titanum intelligendum esse, quo confecto deos munera inter se sortitos esse etiam alii tradunt, velut Apollodor. 1, 2, 1, 4 et ipse Theogoniae poeta v. 881—885. Et hanc sortitionem *κλῆρον τὸν μυθευόμενον ἐν Σικυῶνι* dicit Heraclit. allegor. Hom. c. 41 p. 139 Schow., quem respicit Porphyrius in schol. B ad Il. XV, 21, p. 412 b 12.

vacaneum est: sed poetae nostri verba, *ἐκρίνοντο θεοὶ θνητοί τ' ἄνθρωποι*, haud ambigue non deos inter se solos, sed deos hominesque pactionem fecisse significant, et talem quidem pactionem, qua iura adhuc aut controversa aut incerta nec satis definita sic dispescerentur, ut suum quisque acciperet: nam haec est vis verbi *κρίνεσθαι*[19]). Neque difficile est ad perspiciendum, quid ille in mente habuerit. Nimirum fuerat olim, antequam Iupiter rerum potitus est, communio quaedam vitae deorum hominumque, qualem, qui fabulam illam de diversis humani generis aetatibus retulerunt, aetati aureae assignant. *Ξυναὶ γὰρ τότε δαῖτες ἔσαν ξυνοί τε θόωκοι ἀθανάτοισι θεοῖσι καταθνήτοις τ' ἀνθρώποις*, ait Hesiodeus poeta[20]); *θνητῶν τ' ὑπῆρχε καὶ θεῶν ἑταιρείη*, inquit Babrius in fabularum prologo v. 13; *οἱ τότε ἄνθρωποι ξενοὶ καὶ ὁμοτράπεζοι θεοῖς ἦσαν*, refert Pausanias VIII, 2, 2; mixtos deis vixisse quos prima profuderit aetas Hippolytus testatur in Senecae tragoedia v. 525. Quamvis autem mixti deis, non tamen pares eorum haberi homines poterant, siquidem longe diversam utrisque sortem et conditionem ipsa natura et aeterna lex fatorum attribuit.

Ἓν ἀνδρῶν, ἓν θεῶν γένος, ἐκ μιᾶς δὲ πνέομεν
ματρὸς ἀμφότεροι· διείργει δὲ πᾶσα κεκριμένα
δύναμις[21]):

ideoque etiam in illa communione vitae necesse tamen erat, quanto dei hominibus et animo et corpore praestarent, tanto eos etiam loco et dignitate anteire, ipsos quasi praefectorum aut patronorum, alteros quasi subditorum et clientium loco esse[22]), quumque tutela deorum et praesidio carere non possent, etiam honorem eis et venerationem praestare. Haec autem munerum officiorumque mutua tributio quum diu libera utrimque nullisque legibus definita fuisset, placuit tandem Iovi, certum quendam ordinem ac modum describi, ut et dei haberent,

19) Cf. quae diximus ad Aeschyl. Prometh. p. 113. Baur. Symbolik. II, 1 p. 396 sqq.

20) Apud Orig. ctr. Cels. IV, 79 p. 123 Lommatsch. et schol. Arat. Phaen. v. 103, unde hos versus Operibus inseruit Spohnius post 120. Cf. dissert. nostr. de aetat. gen. hum. p. 4.

21) Pind. Nem. VI init.

22) Cf. Plat. Polit. p. 272 A: *θεὸς ἔνεμεν αὐτούς, αὐτὸς ἐπιστατῶν, καθάπερ νῦν ἄνθρωποι ἄλλα γένη φαυλότερα αὐτῶν νέμουσι.* Add. Legg. IV p. 713 C.

quid quibusque hominibus quisque eorum tribueret, et homines, quid honoris pro illorum beneficiis rependerent[23]. Haec est igitur pactio illa Meconensis, cuius poeta noster mentionem facit, in qua sine dubio etiam hoc fuit, ut sacrificia posthac deis ab hominibus offerenda essent, quae antea non fuerant. Nam Promethei illud sacrificium omnium primum fuisse, etsi non diserte in Theogonia dictum, significatum tamen quodammodo est iis versibus, ubi hoc genus sacrificandi inde ex illo tempore ab hominibus usurpatum esse dicitur, v. 556. 7, alios autem rem etiam disertius indicasse ex Plinii quodam loco colligas, H. N. VII, 56, ubi Prometheus primus bovem occidisse dicitur[24]. — Ut autem Meconae, h. e. Sicyone, haec gesta esse dicerentur, equidem iam supra significavi propterea mihi factum videri, quod omnis haec fabula de Prometheo eiusque fratribus ab initio Peloponnesi propria fuerit. Urbium autem in Peloponneso omnium antiquissima Sicyon esse a plerisque credebatur[25]. Sed aliam rei explicationem nuper Prellerus proposuit[26], vir egregius, et quicum consentire multo saepius quam

23) *Ἔνεστι γὰρ δὴ καὶ θεῶν γένει τόδε· τιμώμενοι χαίρουσιν ἀνθρώπων ὕπο*, inquit Venus apud Euripidem, Hippolyt. v. 7.

24) Aberrarunt igitur a vera fabulae sententia alii, quos sequutus Hyginus P. A. II, 15 haec scripsit: Antiqui, quum maxima cerimonia deorum immortalium sacrificia administrarent, soliti sunt totas hostias in sacrorum consumere flamma. Itaque quum propter sumptus magnitudinem sacrificia pauperibus non obtingerent, Prometheus dicitur ab Iove impetrasse, ut partem hostiae in ignem coniicerent, partem in suo consumerent victu.

25) Vid. Georg. Syncell. ex Castore tom. I p. 182 Dind. Plin. H. N. VII, 56. Cf. Clavier, hist. des prem. temps de la Grèce 1. 2. Larcher, Herodot. tom. IV, 294. VII, 565. *Μακάρων ἕδρανον* a Callimacho Meconea dictam esse propter illam pactionem Pindari scholiastes ait ad Nem. IX, 123: scilicet, ubi potissimum conversari cum hominibus dei consueverant, ibi etiam pactionem inter utrosque fieri consentaneum fuit. Atque etiam Titanes, h. e. deos antiquiores, in hac potissimum regione commorari creditos esse, e Pausaniae verbis, II, 11, 5, colligas, de Titane, monte et oppido Sicyoniae: *ἐνταῦθα λέγουσιν οἱ ἐπιχώριοι Τιτᾶνα οἰκῆσαι πρῶτον, εἶναι δὲ αὐτὸν ἀδελφὸν Ἡλίου, καὶ ἀπὸ τούτου κληθῆναι τὸ χωρίον.* Nam etiamsi nomen a *τιτάνῳ*, h. e. calce, ductum esse videatur, prima et secunda syllaba correpta, tamen fortasse altera originatio, quamvis falsa, nihilo minus ex aliqua antiqua Titanum memoria fluxit. — Ceterum de Sicyone hoc quoque addam perquam memorabile, quod, sicut graecarum urbium antiquissima credita fuit, sic etiam medio aevo *Ἑλλάδος* nomen omnium diutissime retinuit, qua de re cf. Curtius, Peloponnes. II p. 497.

26) In eruditissima dissertatione, germanice scripta, *Die Vorstellungen*

dissentire soleo. Fuisse enim coniicit apud Sicyonios *θεοξενίων* festum praecipua quadam religione celebratum, in memoriam scilicet antiqui illius deorum hominumque convictus, cuius in theoxeniis quasi quaedam imago repeteretur. Atqui, ut taceam de theoxeniorum apud Sicyonios insigniori celebritate nihil a quoquam traditum esse, habuit sine dubio genus hoc festorum rationem ab ea, quam Prellerus voluit, longe diversam. Nam, ut ipsius viri doctissimi verbis utar, olim in commentario de Polemone scriptis, p. 67, parabantur his festis epulae sacrae, quibus peculiariter uteretur is deus, cui templum aliquod et oppidum sacrum erat, sed accubabant etiam alii dei, qui ab illo tanquam invitabantur eiusque *ξένοι* erant, unde Hesychius: *θεοξένια, κοινὴ ἑορτὴ πᾶσι τοῖς θεοῖς.* Neque vero ex eo, quod apud Delphos Pindaro hunc honorem habitum legimus, ut in theoxe- 11
niis ipse, et post ipsius mortem eius posteri, si adessent in festo, partem de epulo acciperent, concludi debebat, etiam convivas deorum homines factos et sic antiqui convictus memoriam instauratam esse. Nam idem etiam in aliis sacris fieri moris erat, ut, qui sacrificium diis offerrent, aut partem de victima amicis honoris causa tribuerent[27]), aut etiam ipsos in communionem sacrorum et epuli adsciscerent[28]).

Sequitur dehinc apud Hesiodum, quomodo Prometheus fallere Iovem conatus sit, v. 538:

τοῖς μὲν γὰρ σάρκας τε καὶ ἔγκατα πίονα δημῷ
ἐν ῥινῷ κατέθηκε, καλύψας γαστρὶ βοείῃ,
τῷ δ' αὖτ' ὀστέα λευκὰ βοὸς δολίῃ ἐπὶ τέχνῃ
εὐτεθίσας κατέθηκε, καλύψας ἀργέτι δημῷ.

In primo versu pro *τοῖς μέν* vulgo *τῷ μέν* scribitur, quod tam diu ab editoribus toleratum esse miror. Nam quod dicunt *τῷ μέν — τῷ δέ* significare hic — illic, manifesto falsum est. Dicitur sic *τῇ μέν — τῇ δέ*, quod ipsum Guietus hoc loco reponi voluit, nunquam illud alterum. Veram lectionem duo saltem codices servarunt, testisque eius

der Alten, besonders der Griechen, von dem Ursprunge und den ältesten Schicksalen des menschlichen Geschlechts, in Schneidewini Philologo, ann. VII fasc. 1.

27) Cf. Theocrit. V, 139. Plutarch. Ages. c. 17 *extr.* Polyaen. Strat. II, 1 p. 119 Maasv. Plaut. Mil. v. 706.

28) Vid. *e. e.* decret. Piraeensium apud Boeckh. C. I. I, no. 101, et in univers. C. F. Hermann. Antiquitt. sacr. §. 28, not. 24.

etiam Aeschyli scholiastes est, ad Prometh. v. 1022, licet is sensum verborum non perspexerit[29]). Sententia poetae haec est: Prometheum ex duabus, quas fecerat, portionibus alteram, in qua carnes et viscera essent, illis, qui paullo ante nominati sunt, v. 535, *καταθνητοῖς ἀνθρώποις*, alteram, in qua ossa essent, Iovi, *ἐπερμενέϊ Κρονίωνι*, v. 534, destinatam habuisse. Quamobrem hanc artificiose composuit, *εὐτεθίσας κατέθηκε*, arvina ossibus superiniecta, sperans fore, ut hoc adspectu Iupiter illectus ipse deteriorem partem pro meliore sumeret. Iupiter, quasi ignarus doli, inaequabilem distributionem se mirari simulans interrogat, v. 543:

Ἰαπετιονίδη, πάντων ἀριδείκετ' ἀνάκτων[30]),
ὦ πέπον, ὡς ἑτεροζήλως διεδάσσαο μοίρας.

Ille dolosus (*ἀγκυλομήτης* v. 546) fraudem bene procedere credens, ideoque subridens (*ἦκ' ἐπιμειδήσας* v. 547) Iovi optionem dat:

Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε θεῶν αἰειγενετάων,
τῶνδ' ἕλευ ὁπποτέρην σε ἐνὶ φρεσὶ θυμὸς ἀνώγει.

Tunc Iupiter, non, ut ille, *ἀγκυλομήτης*, sed *ἄφθιτα μήδεα εἰδώς*
12 (v. 545), h. e. non astutus, sed sapiens divinaque consilia agitans, quamvis malitiam Promethei probe perspectam haberet (*γνῶ ῥ' οὐδ' ἠγνοίησε δόλον* v. 551)[31]), tamen deceptum se esse simulat, scili-

29) Ait scholiastes: *εἰς μὲν τὰς τῶν ἑτέρων θεῶν μοίρας ἔγκατα καὶ σάρκας παρέθετο, τῷ δὲ Διῒ μόνα τὰ ὀστᾶ πρὸς εὐωχίαν παρέθετο*, et apparet, sic scribi non potuisse nisi ab eo, qui *τοῖς μέν* legeret. Debebat autem *εἰς τὰς τῶν ἀνθρώπων μοίρας* dicere.

30) Hermann. de Theog. form. antiq. p. 14: „Removendus v. 543 vel propter insolitam appellationem *πάντων ἀριδείκετ' ἀνάκτων*, quam inseruit interpolator, quia nomine compellandum putabat Prometheum.“ Non equidem intercedam, quominus versus improbetur: removendum autem, ut ab interpolatore insertum, non ante credam, quam demonstratum fuerit, ab ipso Theogoniae compositore nihil nisi elegans aptumque acutis nostrorum criticorum naribus scribi potuisse. — Neminem offendit etiam neglectum digamma in nomine *ἀνάκτων*. De hoc vid. Diss. de interpolat. Th. I p. 12.

31) Huius loquendi generis, ubi, quod modo dictum est, confirmatur adiuncta negatione contrarii, aliquot exempla Goettlingius ad h. l. contulit; plura suppeditabant Lobeck. ad Soph. Ai. p. 211 ed. 2. Apitz. ad S. Trachin. 139. 244. Maetzner. ad Antiph. p. 157. Haase, lucubr. Thucyd. p. 58, et qui ab hoc citantur. Hoc autem loco poeta sine dubio adhibita hac formula tanto magis cavere voluit, ne quis Iovem reapse deceptum esse opinaretur, id quod tamen noviciis quibusdam criticis, velut Gruppio, de Theog. p. 122, accidere potuisse miror.

cet ut perpetrato facinore fraudeque palam facta etiam supplicium, quod hominibus impositurus erat, plane iustum esse appareret: *κακὰ δ' ὄσσετο θυμῷ θνητοῖς ἀνθρώποισι, τὰ καὶ τελέεσθαι ἔμελλεν.* Hominibus, inquit poeta: quoniam, ut supra exposuimus, inter homines et Prometheum nihil interest. Itaque Iupiter utraque manu arvinam apprehendit, atque tunc demum, detectis ossibus, iram suam erumpere patitur:

χώσατο δὲ φρένας ἀμφί[32]*, χόλος δέ μιν ἵκετο θυμόν,*
ὡς ἴδεν ὀστέα λευκὰ βοός, δολίῃ ἐπὶ τέχνῃ.

Fuit autem fraus illa Promethei maior, quam quis primo adspectu crederet: habuit enim hanc vim, ut inde ab eo tempore ad hoc primi sacrificii exemplum etiam postea homines hostiarum meliores partes sibi retinerent, viliora tantum, ossa cum arvina, diis adolerent. Id poeta ait v. 556. 7:

ἐκ τοῦ δ' ἀθανάτοισιν ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων
καίουσ' ὀστέα λευκὰ θυηέντων ἐπὶ βωμῶν[33]*.*

Reprehenderunt nonnulli hos versus, quum negarent unquam diis ossa tantum cremata: et constat profecto, cum ossibus semper aliquid non

---

32) Casu factum est, ut alterum huius loquutionis exemplum non extet, id quod viros doctissimos, Hermannum et Goettlingium, permovisse videtur, ut de veritate lectionis dubitarent. At est ea plane proba et incorrupta, neque offendere loquutio quemquam poterit, qui quid *χώεσθαι*, quid *φρένες* sint, reputaverit. Illud enim confusionem et perturbationem designat, quasi effusa bile ortam: quae quoniam in praecordiis, haec enim *φρένες* sunt, maxime existit, hinc rectissime, qui sic afficitur, dici potest praecordia tota, circumcirca, bile suffusa habere. *Ἀμφί* in hac loquutione adverbium est, item ut in simili loquotione Homerica *μένεος φρένες ἀμφὶ μέλαιναι πίμπλαντο* Il. I, 103, ubi recte schol. monet, *ἡ ἀμφὶ πρὸς τὸ πίμπλαντο.* In recentioribus editionibus *ἀμφιμέλαιναι* scribitur, tralaticio errore, inde ab Eustathio propagato, sed a doctioribus veteribus alieno. Eodem modo XVII, 83 scribendum *ἄχος πύκασε φρένας ἀμφὶ μελαίνας.* item 499 *ἀλκῆς καὶ σθένεος πλῆτο φρένας ἀμφὶ μελαίνας*, et 573 *θάρσευς πλῆσε φρένας ἀμφὶ μελ.*, ubi item schol. *ἡ ἀμφὶ πρὸς τὸ πλῆσε.* Comparari possunt *ἔρος φρένας ἀμφεκάλυψεν* ac similia, velut *ἔρος θυμὸν περιπροχυθεὶς ἐδάμασσεν.* Agnoscunt quidem adi. *ἀμφίμελας* Hesychius, Etymol. M. alii: sed ex Homero tamen non dubito quin ubique extrudendum sit.

33) Apparet apte hos versus hoc loco a poeta positos esse post iram Iovis commemoratam, ne scilicet ille propter unius sacrificii fraudem, sed propter eam, quae ad omnia in posterum sacrificia pertingeret, tam graviter irasci videretur. Non concedemus igitur Goettlingio versus post 561 transponendos, nedum eos cum aliis quibusdam criticis plane exturbandos esse credamus.

modo arvinae, maximeque omentum, sed etiam carnium extorumque prosecta adoleri solita; neque tamen hoc obstare poetae poterat, quominus ossa tantum nominaret, utpote quae, si non sola, longe certe
13 plura inessent[34]). Hoc ipsum autem, quod ea, quae nullius aut perexigui pretii essent, deis homines offerrent, plura autem et meliora sibi retinerent, pugnare multis sine dubio videbatur cum debita deis reverentia et pietate: quumque tamen hunc ritum sacrificandi non modo antiquitus traditum constanterque observatum, sed etiam patienter a deis toleratum viderent, huius rei causam ab eiusmodi vetere pactione repetebant, qualem supra proposuimus, in qua tamen quum homines ingratum erga deos immemoremque beneficiorum animum prodidissent, non immerito etiam poenam quandam iis imponi debuisse statuebant. Haec igitur qualis fuerit, docet poeta v. 562[35]):

Ζεύς, inquit, *δόλον μεμνημένος αἰεί,*
οὐκ ἐδίδου μελέοισι πυρὸς μένος ἀκαμάτοιο
θνητοῖς ἀνθρώποις, οἳ ἐπὶ χθονὶ ναιετάουσιν.

34) Cf. Hermann. ad Aeschyl. Prometh. p. 99 sqq. de *μηρίοις* accucatissime dissecentem. Impcimis ad nostrum locum pertinent quae p. 100 scripta sunt; sed ea quoque, qoae ad defendendam apud Aeschylum lectionem *ὀσφῦν μακράν*, a nonnullis addubitatam, a vico summo profecuntuc, etiamsi caudam addi ad *ὀσφῦν* vix opus fuecit, cetera tamen eiusmodi sunt, ut contra dici nihil posse videatuc, nisi focte ab Hactungo, et si qui sont Hactungo similes. Suot sane etiam in hoc uon coutemnendae ingenii et doctrinae dotes, sed officit tamen his unum maxime vitium, quod nimis sibi ipse placet, solusque recte sapere videci vult, quo fit nimio saepius, ut discere et oudire et melioci credece nolit.

35) Quae ante hos versus legituc Iovis oratio ad Prometheum, v. 560, *ὦ πέπον, οὐκ ἄρα πω δολίης ἐπιλήθεο τέχνης*, Hermaono in censuca ed. Goettl. Op. VI p. 177 pecmira videbatur, quippe quae vix aliter accipi posset, quam de novo aliquo dolo Promethei praeter illum in saccificio admissum, quum tamen alter dolus, ut ignem surripuerit, postea demum sequatur v. 565. Haoc ob causam in alia quadam ceceosione hos vecsus fuisse suspicatuc hoc ordine collocatos, 555. 562—569. 558—561. 570. Atqui non oblitus esse *δολίης τέχνης* recte etiam is dici potuit, quem, quo esset ingenio vecsuto et fraudulento, etiam alias, nec solum in illo sacrificio, ostendisse ccedibile sit. Nisi forte Hermannus sensum illorum verborum hunc esse ccedidit, ut ne tunc quidem, scilicet post impositam hominibus poenam, desistece Pcometheus a dolis dicecetur. Sed hic sensus tum demum inerit, si *οὐ—πω* accipiatuc esse nondum: constat autem *πώ* saepenumero nihil aliud esse quam *πώς*. Itaque recte Hermaono Goettlingius obloquutus est, et is ipse sententiam postea mutavit, quum in Dissect. de Th. focm. ant. p. 14 traditum versuum ordinem servavit, resectis tantum nonnullis, ut supecvacaneis: quia scilicet strophicae compositioni, quam in illa diss. omni modo efficere studebat, cepugnabant.

alter autem, in Operibus v. 50, de eadem re loquens: κρύψε δὲ πῦρ. Id nonnulli sic acceperunt, quasi ignem, antea concessum, tunc ademerit Iupiter hominibus[36]). Scilicet caruisse eos ante hoc tempus igne non videbatur credibile, vel propter sacrificium a Prometheo oblatum, quod absque igne fieri non potuerit, vel propter Meconae urbis mentionem: nam urbem ab hominibus conditam esse igne carentibus quis credat? Rursus tamen οὐ διδόναι de eo tantum recte dici potest, qui alteri rem, qua is caret, dare recusat, non autem de eo, qui cui, quod habuit, adimit. Itaque ego sic statuo: usu quidem ignis homines antea non caruisse, ipsum tamen ignem in potestate non habuisse, sed hanc penes deos solos fuisse. Nempe in illo convictu et communione vitae, quae olim fuerat, homines ipsos ignem habere non opus erat, siquidem omnia, quae sine igne confici nequeant, a diis accipiebant. Nunc autem malitia hominum et ingrato animo Iupiter offensus antiquam illam communionem dissolvit hominesque, praesenti deorum subsidio destitutos, res suas sibi habere iussit, scilicet ut damno suo discerent, quam nihil ipsi per se possent, quantoque opere ad omnes vitae necessitates deorum beneficiis egerent, utque sic ad pietatem reverentiamque deorum animi eorum revocarentur. Quod autem ignem solum poeta nominat, aliarum commoditatum, quibus nunc hominibus carendum fuerit, nulla mentione facta, nemo mirabitur. Neque enim 14
opus erat diserte commemorari, quae non poterant non cuilibet sua sponte occurrere, quum, quibus igne adeo carendum fuerit, eos etiam aliis rebus quam plurimis carere debuisse satis per se manifestum sit[37]).

Pergit dein poeta, ut Iovis consilium Prometheus eluserit, v. 565—7:

ἀλλά μιν ἐξαπάτησεν ἐῢς παῖς Ἰαπετοῖο,
κλέψας ἀκαμάτοιο πυρὸς τηλέσκοπον αὐγὴν
ἐν κοίλῳ νάρθηκι.

36) „Negavit iis usum, quem antea habuerant“, inquit Lennepius p. 308, verbis ambiguis quidem, sed quae quo sensu dicta sint, proxima ostendunt. Disertius Klausen. Theolog. Aesch. p. 143: „Hesiodus narrat ignem hominibus antea concessum, ademptum esse a Iove.“ Similiter alii, quos producere nihil opus est.

37) Non inepte Hyginus P. A. II, 15 p. 384 monet, ne carnium quidem usum, quarum meliorem partem sacrificantes sibi retinerent, utilem hominibus fuisse, quum eas coquere sine igne non possent. Idem Rankius observavit Hesiod. Stud. p. 17.

Hoc quid aliud significare dicemus, quam homines, cuius rei privatione puniti erant, eam sua ipsos sollertia nulloque deorum auxilio sibi comparasse? Sed hoc etiam, opinor, addemus, licet non dictum a poeta, certe non contra veteris fabulae mentem: homines, sollertia sua confisos, nihilo quam antea reverentiores deorum factos, quippe quum satis se sibi ipsos consulere posse sperarent. Porro autem illud quoque animadvertendum est, ignem natura sua rem maxime divinam deisque propriam visam esse. Quid enim igne celerius, quid luce, quam spargit, calore, quem fundit, mirabilius, quid ad omnes res efficacius, quid denique, quod, etiamsi contineri ab hominibus et regi quodammodo possit, tamen, si minus caute tractetur, violentius et perniciosius? Hanc igitur ob causam dei in illa antiqua communione usum quidem ignis hominibus impertiverunt, ipsum autem ne tunc quidem in manus dederunt, nedum postea permiserint, quum communio illa dissoluta esset. Magnum igitur et audax facinus is commisisse videbatur, qui rem talem tamque divinam primus in suam potestatem redegisset et servire hominibus coegisset: atque hoc est, quod apud Aeschylum Cratos Prometheo crimini dat, cum *ἄνθος* Vulcani, h. e. rem cuius possessione is deus, qui ei praeerat, maxime gloriari et superbire posset, furatum mortalibus tradidisse[38]).

Iam vero Iupiter, ne nimis hominum animi hoc successu elati insolescerent, alio genere poenae eos coercendos esse decernit, de quo non eodem modo in utroque carmine exponitur. Nam in Operibus v. 59 Iupiter, postquam exsultanti ob furtum Prometheo minatus est,

Ἰαπετιονίδη, πάντων πέρι μήδεα εἰδώς,
χαίρεις πῦρ κλέψας καὶ ἐμὰς φρένας ἠπεροπεύσας,
σοί τ' αὐτῷ μέγα πῆμα καὶ ἀνδράσιν ἐσσομένοισιν.
τοῖς δ' ἐγὼ ἀντὶ πυρὸς δώσω κακὸν, ᾧ κεν ἅπαντες
τέρπωνται κατὰ θυμὸν ἑὸν κακὸν ἀμφαγαπῶντες,

Vulcano imperat, ut e luto et aqua fingat mulieris speciem pulchritudine eximia, et mente ac loquela praeditam, quam dein a Minerva, Ve-

---

38) Hoc sensu *ἄνθος* apud Aeschylum accipiendum esse res ipsa docet observatumque est a me ad Prom. p. 282, et antea iam a vetere scholiasta *ταῦτα ἐρεθίζων Ἥφαιστόν φησιν, ὡς εἰ ἔλεγεν „τὸν σὸν κόσμον“*. Hartungus tamen, hic quoque sui similis, alteram significationem praetulit, qua apud alios flos flammae dicitur. Hanc autem ab hoc loco prorsus alienam esse, ipse, opinor, Hartungus intellexisset, nisi obloquendi pruritus mentem eius occaecasset.

nere, Mercurio, Gratiis, Suadela variis artibus aliisque dotibus atque ornamentis instructam, unde Pandora dicta est, Mercurio tradit ad Epimetheum deducendam. Is, quamvis ante admonitus a fratre, ne quod a Iove donum acciperet, fore enim id hominibus perniciosum, tamen pulchritudine illectus mulierem accipit, moxque cum damno suo intelligit, quantum mali admiserit. Illa enim, noxas tristes hominibus machinata (*ἀνθρώποισι δ' ἐμήσατο κήδεα λυγρά*, inquit poeta v. 95) dolium quoddam fatale aperit, unde statim ingens malorum multitudo erumpens homines invadere coepit, solaque Spes in dolio remanet, siquidem mulier Iovis voluntate operculum ante reposuit, quam illa quoque evolare posset. — Nonnulla in hac narratione esse apparet, quae attentum lectorem offendant. Primum de dolio isto si quaeritur, ubi fuerit, unde venerit, quove modo vis illa malorum in eo inclusa fuerit, nihil horum a poeta docemur. Hoc non video quomodo explicari aut excusari possit, nisi dicamus, propterea rem a poeta non diserte expositam, quod non ignotam auditoribus suis sed aliunde iam cognitam fabulam memoraret, de qua eos breviter admoneri satis esset, quemadmodum etiam supra vidimus de fraude Promethei in sacrificio commissa, quam item ille uno verbo *ἐξαπάτησε* significare, ut apud gnaros, satis habuit. Et fuisse illam fabulam iam ante Operum concinnatorem ab aliis poetis veteribus narratam non sane incredibile est. Quamquam de vera eius et genuina apud hos forma, quoniam nihil traditum est[39]), ad coniectandi aleam redigimur. Acutissime Lehrsius, Quaest. epic. p. 225, hanc fuisse coniecit: Iovem, bene cupientem generi humano, ipsi Epimetheo s. homini mala dolio inclusa tradidisse,

39) Quod Proclus refert ad Op. v. 89: *Φησὶν ὅτι Προμηθεὺς τὸν τῶν κακῶν πίθον παρὰ τῶν Σατύρων λαβὼν καὶ παραθέμενος τῷ Ἐπιμηθεῖ παρήγγειλε τὴν Πανδώραν μὴ δέξασθαι κτλ.*, manifestum est ad aliquod drama satyricum pertinere. Et tractatam Pandorae fabulam satyricis dramatis esse constat quum ab aliis, tum a Sophocle, cuius *Πανδώραν* s. *Σφυροκόπους* aliquoties veteres memorant. Apud Proclum poetae nomen omissum est, librariorum, ut videtur, culpa. Arbitror autem de Aeschylo cogitandum esse, cuius versum huc pertinentem etiam ad Op. v. 156 a Proclo citatum habemus. Tractavit enim Aeschylus fabulam Prometheam non solum in trilogia, *Πυρφόρῳ*, *Δεσμώτῃ*, *Λυομένῳ*, sed etiam in *Πυρκαεῖ*, quam a *Πυρφόρῳ* diversam et satyricam fuisse prudentiores dudum viderunt, et Hermannus quoque, qui olim dubitaverat, postea intellexit. Negat quidem etiam nunc idem, qui trilogiam quoque fuisse negat, Hartungus: sed huius singulare iudicium quis morabitur?

quemadmodum Aeolum ventos utri inclusos Ulixi, at mox rixantem fortasse cum viro mulierem dolium illud maligne aperuisse. Hoc si probamus, — et est sane non improbabile, — traditum a Iove dolium hominibus cogitabimus ante quam propter ignis furtum irasceretur, tunc autem mulierem immissam esse eo ipso consilio, ut ab ea dolium fatale aperiretur atque sic emissis malis homines plecterentur. Neque non conveniens hoc genus poenae Iovis personae esse dicemus, qui, quamvis non immerito succenseret, tamen non statim mala hominibus ipse infligit, sed muliere ad eos missa ipsis quodammodo potestatem facit malorum etiamtum evitandorum. Nam nisi recepisset illam Epimetheus, sed Promethei monitis obtemperasset, non erat futurum, ut dolium aperiretur. Nunc autem ea recepta homines ipsi sua impru-
16 dentia — nam Epimethei persona nihil aliud nisi hominum imprudentia repraesentatur — malis futuris sese obnoxios faciunt, ἑὸν κακὸν ἀμφαγαπῶντες, ut ait poeta v. 58. Restat tamen adhuc offensiuncula, propter spem una cum malis dolio inclusam, neque tamen simul emissam. Nam licet ipsam hanc spei et malorum coniunctionem non inepte excogitatam dixeris, quippe quum spes natura sua malorum quasi comes et remedium sit, tamen quid ea in dolio inclusa prodesse hominibus potuerit, non tam facile intelligas. Quidni, sicut mala inter homines vagantur eosque vexant, sic etiam spes emissa adire miseros, consolari atque erigere afflictos fingitur? An dicemus, malorum homines iam non habere potestatem; spem in potestate sua retinuisse? Sic Lehrsius l. l., neque ego meliorem rei explicandae viam invenio[40]). Nam quod alii voluerunt, spem ipsam in malis numerandam esse: significari enim vanam atque fallacem fiduciam et bonorum exspectationem: minus probari potest[40b]). Primum enim Ἐλπίς sic simpliciter appellata non facile videtur tam malo sensu intelligi potuisse, sed eo potius, quem Italus poeta[41]) expressit versibus suavissimis:

40) Etiam Goettlingius ad Op. v. 94 eandem sententiam profitetur, in eo tamen minus recte, meo quidem iudicio, sentiens, quod spem inter mala habitam esse vult, licet ceteris minus nocuam.

40b) Paullo aliter Aristarchus apud scholiastam; nam ἐλπίδα non spem fallacem bonorum, sed metum malorum esse voluit, scilicet quod is nunquam non esset in hominum animis propter multitudinem malorum undique ingruentium.

41) Est is Serafinus, saec. XV poeta, quem aequales sui divinum appellabant propter miram versuum dulcedinem, quos fundere ex tempore, sine labo-

Questa santa e dolce speme
fa leggiera ogni fatica,
fa gittar in terra il seme,
per ricoglier poi la spica:
di dì in dì pasce e nutrica
nostra mente e ci rinfranca:
negli affanni mai si stanca,
se ogni cosa al mondo manca,
la speranza mai si perde.[42])

Deinde, si in malis erat spes, evolare hanc quoque cum ceteris e dolio conveniebat, ut illa ad vexandos, sic hanc ad fallendos et decipiendos homines. Nam hoc quidem dici non potest, in hominum potestate situm esse, velintne an nolint spe falli atque decipi. Posteriores poetae iisdem, quas commemoravi, dubitationibus permoti fabulam sic immutarunt, ut non mala sed bona in dolio inclusa fuisse dicerent: haec, illo aperto, evolasse et deseruisse homines, spem solam remansisse consolatricem,

τῶν πεφευγότων ἡμᾶς
ἀγαθῶν ἕκαστον ἐγγυωμένην δώσειν,

ut Babrius ait fab. 58.

Quod autem in vetere fabula malorum inter homines origo repetitur a poena propter ignem surreptum iis imposita, non inepte excogitatum esse fatendum est. Nempe ab ignis usu etiam artes exortae 17
sunt, quarum nulla fere sine igne exerceri potuit; artibus autem inventis non modo multis rebus necessariis et utilibus vita hominum aucta, sed etiam luxuria invecta est, quae quum et corpora emolliret et animos moresque corrumperet, malorum innumerabilium, curarum, aegritudinum, morborum effectrix fuit. Hoc non recentiores solum interpretes monuerunt, sed eandem rem dudum Ioannes Tzetzes non inscite exposuit his verbis[43]): *Ἐπεὶ δὲ προμηθέστεροι γενόμενοι* (scil. hoc significari ait *Προμηθέως* nomine et persona) *καὶ προβουλευτικώτεροι τὸ πῦρ ἐφεῦρον, καὶ θερμοτέρων ἤγουν πανουργοτέρων πραγμάτων ὠρέχθησαν, καὶ τὴν τοῦ ἀπερίττου*

riosa meditatione, et ad citharam cantare solebat. Publicata sunt eius carmina Venetiis ann. 1502, ac post alibi saepius.

42) Graecorum scriptorum locos, ubi Spes simili modo laudatur, Stobaeus affert Floril. tit. 110 (109); ubi vituperetur, vix unus aut alter est.

43) Ad Op. et D. v. 42 p. 59 Gaisf.

καὶ ἐλευθέρου βίου ἐκείνου μετέστρεψαν διαγωγὴν καὶ (scr. *καθ'*) *εἱμαρμένην, ὡς εἴποι τις. Κἀκ τῆς χρήσεως τοῦ πυρὸς αἱ τέχναι προσεφευρέθησαν, δι' ὧν ὁ βίος κοσμεῖται, καὶ τὰ ἡδέα ἡμῖν καὶ τερπνὰ καὶ ἁβρότητες γίνονται, δίκην γυναικὸς ἡμᾶς καταθέλγοντα καὶ τρυφερωτέρους ἀπεργαζόμενα, ὃ καλεῖ πλάσιν γυναικὸς ὁ ποιητής. — Οὕτω γοῦν ἐκ τῆς τοῦ πυρὸς κλοπῆς, ἤγουν τῆς ἐφευρέσεως καὶ τῆς χρήσεως, ἐφεύρομεν νέον κακὸν ἐπισπαστόν, τὴν τρυφερωτέραν ταύτην βιοτήν, τὸ ἐπὶ στιβάδων καὶ ταπήτων μαλακῶν καθεύδειν, ὅπερ ἀμφαγαπῶμεν· κακὸν δὲ ἡμέτερον, ὅτι ποθοῦντές τι τούτων τῶν καλλυνόντων τὸν βίον προσεπικτήσασθαι οὐδέποτε παυόμεθα καμάτου καὶ ὀϊζύος αἰνῆς.* Sic ille: addam ego hoc tantum: illam morum depravationem malorumque inde natorum segetem non tamen ita necessario cum ignis usu artiumque inventione coniunctam fabulae huius auctoribus visam esse, ut his inventis non possent non illa quoque consequi: quod si ita visum esset, non iratum Iovem et infestum, sed bene consulentem hominibus ignem denegasse dicere debuerunt; sed accidunt haec mala propter hominum stultitiam et perversitatem, quum bene inventis male abutuntur. Atque hanc ob causam Pandoram illi induxerunt, quam aut repudiare hominibus aut recipere liberum esset: cuius persona quid significetur, si propriis verbis eloquendum est, nihil aliud nisi luxuriae illecebras esse dicemus.

Rudior longe ac simplicior fabulae forma est apud Theogoniae compositorem. Conspirat is cum altero in ea parte narrationis, quae est de mulieris fabricatione et ornatu, paucis quibusdam exceptis, de quibus, quoniam nullius ad rem ipsam momenti sunt, dicere nunc nihil attinet[44]). Hoc unum non praetermittendum, quod Pandorae nomen in Theogonia prorsus non legitur. Fabricatam mulierem ad homines deduci facit non a Mercurio, sed ab ipso, qui eam fabricaverat, Vulcano, v. 585 sqq.:

αὐτὰρ ἐπειδὴ τεῦξε καλὸν κακὸν ἀντ' ἀγαθοῖο,
ἐξάγαγ' ἔνθα περ ἄλλοι ἔσαν θεοὶ ἠδ' ἄνθρωποι,
κόσμῳ ἀγαλλομένην Γλαυκώπιδος ὀμβριμοπάτρης·
θαῦμα δ' ἔχ' ἀθανάτους τε θεοὺς θνητούς τ' ἀνθρώπους,

44) De nonnullis, quae in hoc Theogoniae loco offendunt, dixi in dissert. I de interpolationibus Th. Hes. p. 7.

ὡς εἶδον δόλον αἰπὺν, ἀμήχανον ἀνθρώποισιν.[45]).

In his *ἔνθα περ ἄλλοι ἔσαν θεοὶ ἠδ' ἄνθρωποι* ita dictum est, quasi vetus illa consuetudo, ut dii inter homines conversarentur, nondum etiam plane dissoluta fuerit. Vereor tamen equidem magnopere, ne hoc poeta noster contra veram et genuinam veteris fabulae mentem posuerit, quam ab eo minus plane intellectam esse etiam alia demonstrare videntur mox commemoranda. Rectius sine dubio alter poeta Pandoram ad Epimetheum tantum deduci facit, idque ut etiam ab hoc Theogoniae compositore fieret tanto magis exspectandum erat, quod supra v. 511 Epimetheum dixerat malorum auctorem hominibus factum esse eo quod primus mulierem Iovis iussu fabricatam recepisset: 18

ὃς κακὸν ἐξ ἀρχῆς γένετ' ἀνδράσιν ἀλφηστῇσιν·
πρῶτος γάρ ῥα Διὸς πλαστὴν ὑπέδεκτο γυναῖκα.

Conveniens igitur erat nunc etiam quo modo id factum esset lectorem

45) Twestenio, comm. crit. de Hes. O. et D. p. 46 sq., excidisse aliquot versus ante 585 videntur huiusmodi:

ἐν δ' ἄρα οἱ στήθεσσι διάκτορος Ἀργειφόντης
ψεύδεά θ' αἱμυλίους τε λόγους καὶ ἐπίκλοπον ἦθος
τεῦξε κτλ.

ut in Op. v. 77—82, quibus insertis iam subiectum verbi *τεῦξε* in Th. v. 585 Mercurium habebimus, non Vulcanum, ut in hoc, qui nunc est, contextu verborum statuendum arbitror cum Hermanno, Opusc. VI p. 178. Goettlingius Iovem ipsum intelligi vult, minus probabiliter. Vellem equidem in Theogonia eos versus legi quos Twestenius posuit: sunt enim prorsus ad rem accommodati; sed vere hos aut horum similes a Theogoniae compositore additos fuisse non ausim tamen affirmare. Plane autem probo Goettlingii iudicium, qui Hermanni correctionem *ἐπεὶ τεῦξεν καλόν* — repudiavit, non offensus correptione primae syllabae in voce *καλός*, quam Hermannus aliique, velut Vossius ad Arat. p. 208, cum hoc loco, tum Opp. v. 63, tolerari posse negarunt. Est enim haec mensura propria dialecti Aeolicae, neque ullum alterius exemplum extat in Alcaei, Sapphonis, Corinnae reliquiis. Vid. horum fragm. ap. Ahrens. dialect. Aeol. p. 244, 21. 256, 1. 9. 258, 3. 261, 26. 263, 33. 34. 265, 51. 266, 55. 267, 64. 268, 71. 269, 77. 79. 273, 114. 279, 11. Et apud Pindarum quoque, poetam Boeotum, eandem semper mensuram esse ipse Hermannus monuit, de dialect. Pind., Opusc. I p. 253. Itaque ut alios apud Hesiodum Aeolismos non paucos, sic etiam hunc tenebimus: quem quod non ubique ab eo usurpatum videmus, neminem offendet, qui qua ratione haec carmina composita sint, perspectum habeat. Ceterum eandem in illo vocabulo varietatem mensurae etiam apud Solonem, Mimnermum, Theognidem, Simonidem animadvertimus, ne de posterioribus dicam. Cf. Osann. ad Cornut. p. 252.

edoceri, poteratque hoc percommode fieri, si tales quosdam versus, quales sunt in Operibus a v. 83, hic quoque inseruisset, in hunc modum[46]):

Th. v. 585 *αὐτὰρ ἐπειδὴ τεῦξε καλὸν κακὸν ἀντ' ἀγαθοῖο,*
Op. „ 84 *εἰς Ἐπιμηθέα πέμπε πατὴρ κλυτὸν Ἀργειφόντην*
„ „ 85 *δῶρον ἄγοντα, θεῶν ταχὺν ἄγγελον· οὐδ' Ἐπιμηθεὺς*
„ „ 86 *ἐφράσαθ', ὥς οἱ ἔειπε Προμηθεὺς μήποτε δῶρον*
„ „ 87 *δέξασθαι πὰρ Ζηνὸς Ὀλυμπίου, ἀλλ' ἀποπέμπειν*
„ „ 88 *ἐξοπίσω, μή πού τι κακὸν θνητοῖσι γένηται.*
„ „ 89 *αὐτὰρ ὁ δεξάμενος ὅτε δὴ κακὸν εἶχ' ἐνόησε.*
Th. „ 590 *ἐκ τῆς γὰρ γένος ἐστὶ γυναικῶν θηλυτεράων κτλ.*[47])

19 Attamen videor mihi perspicere, cur hoc theogonicus poeta facere noluerit. Namque videretur sic Epimetheo optio data esse, utrum recipere mulierem an repudiare mallet, quemadmodum supra de Pandora monuimus. Id autem alienum fuisse existimo ab eius consilio, qui hanc fabulae formam commentus est. Voluit enim sine dubio conditionem generis humani inde ab hoc tempore sic immutatam esse, ut non amplius, sicut antea, perdurare et propagari homines absque mulieribus possent, sed copulari mares cum feminis necesse esset ad liberos procreandos genusque conservandum, abs qua copulatione quum plerumque viros non abhorrere, sed cupide eam appetere sciret, hanc ob causam primam mulierem omnibus iis dotibus atque illecebris instructam fecit, quae virorum amorem ac libidinem accenderent. Quod si vere conieci, consequens est, poetam, si recte omnia constare et inter se conspirare vellet, etiam superiores illos duos versus de Epimetheo (v. 512. 13) non debuisse recipere, sed sic potius illum locum conformare, ut post v. 510. 11:

---

46) Iudicavit sic etiam Heynius apud Wolfium p. 154, ubi tamen per errorem Opp. v. 54 pro 84 scriptum est.

47) Sequitur in Th. versus eandem rem repetens, *τῆς γὰρ ὀλώϊόν ἐστι γένος καὶ φῦλα γυναικῶν*, adscriptus, ut arbitror, ab aliquo comparandi gratia, ex alio quopiam carmine, qualia annotamenta in codicibus non rara sunt. Diversarum recensionem hoc indicium esse Hermanno non concesserim: nec magis probo, quod idem, de Theog. form. ant. p. 15, particulam *δέ* v. 594 delevit; scilicet ne connecteretur hic versus cum 600, sed, absoluta v. 595 sententia, stropha evaderet quinque versibus conclusa 590. 592—595. Sed v. 592 utique aut *πῆμα μέγ' αἳ θνητοῖσι* scribendum est, aut verba transponenda, *αἳ θνητοῖς μέγα πῆμα*. —

τίκτε δ' ὑπερκύδαντα Μενοίτιον ἠδὲ Προμηθέα
ποικίλον, αἰολόμητιν, ἁμαρτίνοόν τ' Ἐπιμηθέα,

statim pergeret hoc modo:

ὑβριστὴν δ' ἄρ' ἔπειτα Μενοίτιον εὐρύοπα Ζεὺς
εἰς Ἔρεβος κατέπεμψε —.

Quodsi essem in ea opinione, in qua multos et doctissimos viros esse video, ut quidquid minus apte, commode, eleganter in Theogonia positum est, propterea etiam spurium esse suspicentur, et delendo aut addendo, mutando et transponendo, urendo denique et secando veriorem magisque genuinam carminis formam a se restitui posse sperent, contenderem ego illos versus eiiciendos esse. Atqui, quod alias saepenumero, idem etiam nunc profiteor: intelligere me non minus quam quemquam alium, plurima esse in Theogonia, quae aliter facta velles, fateorque haud raro mutationibus non adeo magnis elegantiorem formam, et quae magis placeat, indui huic carmini posse; verumtamen non is sum, qui, quidquid rectius et elegantius, id propterea etiam vetustius magisque genuinum esse censeam, sed agnosco concinnatam hanc Theogoniam esse ab aliquo, qui, quum universam quidem partium compositionem totiusque operis formam non male instituisset, in singulis tamen perquam saepe peccaverit. Talia sane notanda sunt, neque invidebo criticis, quominus aliquid, quod melius videatur, ex ingenio suo expromant. Sed nihil aliud tamen sic efficient, quam ut ostendant sese plus iudicii elegantia compositionisque sollertia valere, quam illum compositorem; ut autem ingeniosa eiusmodi commenta, si meliora, propterea etiam praeferenda iis esse credamus, quae antiquitus tradita sunt, utque Theogoniam, nescio quorum interpolatorum prava sedulitate deditaque opera corruptam, istiusmodi artificiis ad antiquam suam formam redigi posse speremus, hoc qui postulant, confidentius profecto faciunt, quam homine critico, h. e. sano ac sobrio, dignum est. Sed redeo unde digressus sum. Dixeram enim, necessitatem inde ab illo tempore impositam hominibus fuisse cum mulieribus vivendi; antea nullum fuisse sexum muliebrem, sed solos viros. Id sane manifestum fit ex ipsius poetae verbis, culparuntque enim propterea recentiores quidam critici, quippe qui perspectum exploratumque haberent, nullo tempore fieri potuisse, ut genus humanum 20
constaret sine mulieribus. Rectissime illi, si hanc poetis legem statuimus, ne quid aut esse aut fuisse fingant, nisi quod reapse aut esse aut fuisse potuerit: qua lege sancita actum erit de multis ac praeclaris

poematis aut poematum partibus. At, inquiunt, peccavit saltem poeta in eo, quod de illo antiquo statu non disertius exposuit, et, qui tandem propagari genus humanum sine mulieribus potuerit, certiores non fecit. Hoc si peccatum est, non intercedo, quominus poenas det. Interim, quod ille a se disertius exponi non opus esse credidit, ego, ut satisfaciam tamen aliquo modo castigatorum curiositati, ex Platone expromam. Is enim in Politico antiquissimam hominum conditionem, qualis sub Saturno fuerit, describens, similem quandam vitae imaginem nobis proponit atque eam, quam ego supra huius fabulae auctori obversatam fuisse dixi. Nam coniunctionem deorum hominumque artissimam fuisse ait, eamque talem, ut hi sub illorum cura ac tutela, tanquam sub pastoribus greges degerent. Addit autem p. 272 A: *πολιτεῖαί τε οὐκ ἦσαν οὐδὲ κτήσεις γυναικῶν καὶ παίδων. ἐκ γῆς γὰρ ἀνεβιώσκοντο πάντες, οὐδὲν μεμνημένοι τῶν πρόσθεν.* Atque ne quis hoc ab ipso tantum Platone excogitatum putet, obstant eius verba p. 269 B: *καὶ μὴν αὖ καὶ τήν γε βασιλείαν, ἣν ἦρξε Κρόνος, πολλῶν ἀκηκόαμεν. — τί δέ; τοὺς ἔμπροσθιν φύεσθαι γηγενεῖς καὶ μὴ ἐξ ἀλλήλων γεννᾶσθαι*: quae verba manifestum faciunt rem non novam neque inauditam esse, sed notam atque tralaticiam. Neque vero in aliorum populorum fabulis eiusdem opinionis indicia desunt, velut in maiorum nostrorum, veterum Germanorum. de quibus a principe philologiae germanicae, Iacobo Grimmio, expositum est Mythol. Germ. I p. 540. — Ceterum vix dubitari potest, quin is, qui theogonicam hanc fabulam primus excogitavit, quum muliebrem sexum in poenam hominum creatum esse diceret, eamque poenam propter ignem surreptum impositam, non admodum diversam sententiam ab altero habuerit, qui mala hominum a Pandora apertoque ab ea dolio repetiit. Nam ille quoque luxuriam mollitiemque in mente habuit cum igne, h. e. cum artibus vitaeque cultu commodiore subnatas, horum autem vitiorum, ideoque malorum inde exortorum culpam in muliebrem potissimum sexum contulit, utpote magis quam viros ad id genus corruptelae proniorem: quod quo iure fecerit, equidem nec satis scio, nec, si sciam, proloqui ausim[47b]). Hoc tantum dico, non eius unius hanc seu falsam seu veram persuasionem fuisse, sed alio-

47b) Advertendum est etiam, quod, qui magistratus erant in plurimis Graeciae civitatibus luxuriae coercendae, *γυναικόκοσμοι* aut *γυναικονόμοι* dicebantur. Vid. Antiquitt. i. p. Gr. p. 87 et 358.

rum plurimorum vel veterum vel recentiorum, quorum quidem nonnulli longe, quam vel Euripides, vel quisquis in Graecia mulieribus maledixit, graviora in hunc sexum convicia congesserunt, in quorum numero praecipuo quodam modo excellunt sanctissimi patres christiani, scilicet propter Euae peccatum filiabus eius infensi [48]). Non minus autem hoc quoque manifestum est, veram veteris fabulae sententiam 21
ab hoc, qui Theogoniam composuit, aut non recte perceptam aut certe non satis plane expositam esse, siquidem is nihil fere in mulieribus praeter inertiam et desidiam vituperat, luxuriae autem nullam mentionem facit, nisi quis huc trahat unam quamvis obscuram significationem, quum eas dicat *οὐλομένης πενίης οὐ συμφόρους, ἀλλὰ κόροιο* [49]). Illud tamen apparet, perversissimum esse iudicium eo-

48) E. c. D. Chrysost. Homil. XLVIII, t. VII: *γυνὴ τὸ πρῶτον δίκτυον τοῦ διαβόλου, ἡ πλάνης εἰσαγωγή, ἡ τῆς παραβάσεως διδάσκαλος, ἡ βοηθὸς μὲν γενομένη, πολεμία δὲ ἀναδειχθεῖσα, ἡ γενομένη μὲν φύσει καλή, ἐκ προαιρέσεως δὲ ἀποδειχθεῖσα κακή, ἡ θανάτου πρόξενος καὶ ὅλον τὸν παράδεισον ἀπολέσασα.* Item Homil. VIII, t. VII: *θανάτου μήτηρ, παρακοῆς γεννήτρια, παραδείσου ἐκβλήτρια, δρακοντιαίων συρισμάτων ἀγαπήτρια, διαβολικῶν μηχανημάτων ἐπιτήδειον ὄργανον.* Item Homil. XXXI, t. V p. 190: *γυνὴ τὸ παλαιὸν ὅπλον τοῦ διαβόλου, ἡ τοῦ παραδείσου με ἐκβαλοῦσα, ἡ μήτηρ τῆς ἁμαρτίας, ἡ ἀρχηγὸς τῆς παραβάσεως.* cf. Clem. Rom. Homil. III, 22 ibiq. Hilgenfeld. Quin fuerunt etiam, qui mulieres non a Deo O. M., sed a Satana creatas vellent; quamquam hi quidem non in orthodoxis sed in haereticis habiti (cf. Suicer. Thesaur. eccl. s. v. *ἄνθρωπος* tom. I p. 355*a*. Gisb. Voetii Polit. eccles. tom. III, p. II p. 185. 210) assentientibus sine dubio vel propter hanc unam sententiam omnibus, viris pariter quam mulieribus. — Contra haec in laudem mulierum non pauciora neque leviora, quam a quoquam nostrorum hominum, a veteribus Graecis dicta esse non ignorat, qui paullo diligentius in eorum litteris versatus est: alios nunc quidem ad Stobaeum ablegare satis est, Flor. tit. 67 (65). Cf. et Fr. Iacobs Opp. miscell. tom. IV p. 223 sqq.

49) Sensum horum verborum rectius quam ceteri expressit is, cuius conversionem ed. Basil. habet: **Perniciosae paupertati non accommodas, sed satietati.** De voc. *σύμφορος* contulit iam Ruhnken. ad Op. et D. v. 302 Theognidis versum 526: *ἡ πενίη δὲ κακῷ σύμφορος ἀνδρὶ φέρειν.* Pro *ἀλλὰ κόροιο* in aliquot codic. est *ἀλλ' ἀκόρεστοι*, merito ab editoribus spretum. — De ceteris quae in hoc loco, usque ad v. 612, notanda sunt, quoniam omnia persequi longum est, nunc haec tantum tangam. V 597 pro *ἠμάτιαι*, quod post *πρόπαν ἦμαρ* v. 596 otiosum nec tolerabile videbatur, Hermannus, de theog. form. antiqu. p. 15, correxit *ἀκάματοι*: sed potest tamen *ἠμάτιαι* tolerari, si id interpretamur **quotidie**, ut Il. IX, 72. In vers. 603—607 aliquid turbatum esse apparet. Nam quum miseria caelibatus his duabus rebus constet, quod caelebs absque cura liberorum

rum[50]), qui hunc locum, quoniam minus scite factus est, pro spurio habendum planeque exturbandum esse censuerunt. Nam eo deleto prorsus nullo modo intelligi poterit, qua ratione Iupiter homines punivisse per mulieres dicatur.

Iam si quaeritur, utra fabulae conformatio verior ac vetustior videri debeat, haeccine, quam modo e Theogonia cognovimus, quamvis non satis recte ac plane expositam, an altera, quam ex Operibus protulimus, equidem in eadem sum sententia, quam dudum professus sum[51]), ut theogonicam fabulam antiquiorem iudicem. Id vel ex eo probabile fit, quod longe simplicior est; altera non diversam quidem sententiam, sed longe artificiosius propositam habet, vitavitque illud, quod in altera nonnullis interpretibus offensioni fuisse vidimus, de generis humani vita et propagatione absque mulieribus. Nam in Operibus Pandora prima mulier fuisse nec dicitur, neque ut fuisse existimetur quidquam causae est. Quamquam plerique ex veteribus, utriusque fabulae discrimen non satis attendentes, sic statuerunt, velut Pausanias

---

senectutem miseram ac molestam habet, quodque mortui bona ab extraneis capiuntur, debebat sine dubio utrumque horum in apodosi poni; nunc autem alterum in protasi positum est, contra rectam rationem. Neque medetur huic malo Hermannus l. l., qui strophicae compositioni unice intentus, v. 606, pro *ἀποφθιμένου δὲ διὰ κτῆσιν δατέονται | χηρωσταί*, scripsit *χηρωσταὶ δὲ δ. κ. δ.*, et v. 607, ut expleat lacunam dempto voc. *χηρωσταί* ortam, inserit ante voc. *γάμοιο* epitheton *γλυκεροῖο*, atque sic duas strophas quinarias nanciscitur. Qui ludere coniecturis velit, locum in hunc fere modum refingere possit:

ὅς κε γάμον φεύγων καὶ μέρμερα ἔργα γυναικῶν
μὴ γῆμαι ἐθέλῃ, ὁ μὲν οὐ βιότου ἐπιδευής,
χήτεϊ γηροκόμου δ' ἐπ' ὀλοιὸν γῆρας ἱκάνει,
αὐτὰρ ἀποφθιμένοιο διὰ κτῆσιν δατέονται
χηρωσταί· ᾧ δ' αὖτε γάμου μετὰ μοῖρα γένηται κτλ.

In versu 610 pro *κακὸν ἐσθλῷ ἀντιφερίζει ἔμμεναι* Wopkensius Lectt. Tull. p. 243 Hand. reponebat *ἐμμενές*: et sane quae Wolf. ad tuendum illum infinitivum memorat, aliena sunt. Sed defenderunt eum recte Handius, et ante hunc iam Robinsonus. Denique genitivum *ἀταρτήροιο γενέθλης* non a verbo *τέτμῃ*, quod cum accus. construi solet, sed a subaudito vocabulo *ἄκοιτιν* (e v. 608) pendere censeo cum Guieto, Wolfio et Spitznero, Excurs. IX ad Il. *E*, 270 p. XIII.

50) Velut Gruppii, de Theog. p. 71.

51) Ad Aeschyli Prometh. p. 119. Assentitur mihi Franc. Susemihl, vir doctus et subtilis, in Annal. philol. et paed. vol. LXXIII (1856) p. 613, simulque ostendit, quam male haec pars narrationis Operibus inserta sit. Insulsa sunt quae Düntzerus obloquitur in libello de Goethii Prometheo et Pandora.

I, 24, 7: πεποίηται δὲ Ἡσιόδῳ καὶ ἄλλοις, ὡς ἡ Πανδώρα γένοιτο γυνὴ πρώτη. Apparet hunc in Opera transtulisse, quod in 22
Theogonia dictum est, ubi Pandorae nomen plane non exstare iam supra monuimus [52]).

De Hesiodi Pandora satis dictum: reliquum est, ut quae alii de Pandora fabulati sunt contemplemur, ea certe, quorum contemplatio aliquid fructus aut delectationis habere posse videatur. Ac primum quidem commemorandum est, in carminibus Hesiodeis iis, quae ad nostram aetatem non pervenerunt, etiam alteram quandam Pandoram inductam fuisse videri, ab hac, quam Epimetheus recepit, diversam. Nam apud Ioannem Lydum, de mensibus I, 13 p. 7 ed. Bonn., postquam memoratum est, ab Hesiodo in Catalogis Graecum et Latinum fratres dictos esse, in huius rei testimonium aliquot versus afferuntur, quorum hi tres integri servati sunt:

κούρῃ δ' ἐν μεγάροισιν ἀγαυοῦ Δευκαλίωνος
Πανδώρῃ Διὶ πατρὶ θεῶν σημάντορι πάντων
μιχθεῖσ' ἐν φιλότητι τέκε Γραικὸν μενεχάρμην.

Hanc puellam, quae ex Iove Graecum peperisse dicitur in Deucalionis domo, aut filiam huius fuisse statuendum est, aut fortasse uxorem, siquidem etiam nuptas mulieres, donec iuvenculae sunt, κούρας nonnunquam appellari constat. Est tamen sine dubio illud alterum longe probabilius, quumque Deucalion, ut mox videbimus, illius Pandorae, quam Vulcanus Iovis iussu finxerat, filiam ex Epimetheo generatam Pyrrham in matrimonio habuisse dicatur, puellam illam, Graeci ex Iove matrem factam, ab aviae nomine, μαμμωνυμικῶς, appellatam esse dicemus, more tralaticio. Attamen sunt quae nos huic Ioannis

52) Nolim igitur cum Wolfio p. 114 hunc Pausaniae locum numerare „in paucis illis, ubi sine dubitatione Pausanias Theogoniae auctorem afferat Hesiodum.“ — Recentiores solent fere Pandorae nomen etiam theogonicae primae mulieri tribuere, certe non satis accurate. Vituperatur autem a Welckero, Trilog. p. 76, Theogoniae poeta, quod solas mulieres a Pandora (nam hoc nomine is quoque utitur) originem habere dicat, quasi non viri quoque, quotquot post illud tempus nati sunt, ab eadem descenderint. Atqui fuerunt tamen viri etiam antea, et futuri postea fuerunt, nisi ab illa prima muliere nova generis propagandi conditio coepisset. Itaque praecipuo quodam modo mulierum ea progenitrix fuit, quae absque ea nullae essent, quum viri, ut fuerunt antea, sic potuissent etiam postea esse. Denique similiores illi progenitrici mulieres quam viri. Nonne eodem modo nos quoque mulierculas Evae filias, viros filios Adami dicere solemus?

Lydi testimonio fidem habere vix sinant: primum, quod nulla huius minoris Pandorae mentio apud quemquam veterem scriptorem facta est, deinde, quod Graeco longe diversa origo a ceteris scriptoribus, quod quidem ego meminerim, omnibus assignatur, denique, quod Latinus, quem ille in Catalogis Graeci fratrem, itaque et ipsum Iovis et Pandorae filium dictum esse ait, in appendice Theogoniae, quam manifestum est eo consilio compositam esse, ut transitum ab illa ad Catalogos faceret, Ulixis et Circae filius dicitur. Non immerito igitur Mützellius, vir doctissimus, de emend. Theog. p. 509, testimonium illud Ioannis Lydi versusque huic adscriptos in suspicionem vocavit, ut confictos sive ab ipso Ioanne, sive ab aliquo vetustiore. „Interpolationis" inquit „ratio manifesto ea est, ut Graecos Romanosque cognatione proxima iunctos fuisse honestissimi et in hac materia praestantissimi auctoris testimonio comprobetur; tutoque ea institui poterat eo
23 tempore, quo fama quidem obduraverat carminis, usus vero aut paucis aut nemini amplius erat concessus." Haec sententia, si non plane certa, admodum tamen profecto probabilis est [53]).

Aliud non satis certum testimonium de Pandora est apud scholiasten Apollonii Rh. III, 1086: *ὅτι Προμηθέως καὶ Πανδώρας υἱὸς Δευκαλίων Ἡσίοδος ἐν πρώτῳ καταλόγων φησί, καὶ ὅτι Προμηθέως καὶ Πύρρας Ἕλλην.* In postrema huius scholii parte peccatum esse describentis errore, perperamque Promethei nomen positum pro eo, quod debebat, Deucalionis, dudum monuimus ego in Antiquitt. iur. publ. Gr. p. 44, not. 10, et postea Marckscheffelius in Fragm. Hesiod. p. 275. Nam hoc a plerisque traditur, Hellenem Deucalionis et Pyrrhae filium fuisse [54]), et apparet, quam facile errari a scriba illo loco potuerit. Sed etiam altera scholii pars, ubi Prometheus Deucalionem e Pandora genuisse dicitur, dubitationem movere potest. Certe Pandora a ceteris scriptoribus summo consensu non mater Deucalionis, sed socrus fuisse perhibetur, cuius ille filiam ex Epimetheo Pyr-

53) Cf. dissert. de appeodice theog. Hesiod. p. 13.

54) Hygioos Iovis et Pyrrhae filium Helleoem dicit, fab. 155, ubi inter Iovis liberos codices quidem *Helenam* ex Pyrrha Epimethei filia offerunt, sed apparet Helleois oomen repoueodom esse, id quod dodum Schwenckius moouit, io Zimmerm. Diurn. antiq. 1840 no. 112 p. 920. Iovis filium Hellenem etiam Euripides dixit. Vid. Wagoer. Eur. fr. no. 15 et 483. Cf. et schol. Apoll. Rh. I, 118. Apollodor. I, 7, 2, 7. Coooo. oarr. 17. Clem. Al. Strom. VI p. 679 A.

rham in matrimonium duxerit[54b]). Ipsum autem Deucalionem locupletissimi auctores aut ex Hesione, Oceani filia, aut e Clymene, aut e Prynia nescio qua prognatum esse tradiderunt. Est hac de re memorabile testimonium scholiastae Homer. Od. X, 2 p. 330 Buttm.: *Δευκαλίων, ἐφ' οὗ ὁ κατακλυσμὸς γέγονε, Προμηθέως μὲν ἦν υἱός, μητρὸς δὲ, ὡς πλεῖστοι λέγουσι, Κλυμένης, ὡς δὲ Ἡσίοδος Πρυνείης, ὡς δὲ Ἀκουσίλαος Ἡσίονης, τῆς Ὠκεανοῦ, τοῦ* (scr. *καὶ*) *Προμηθέως*[55]). Et Hesionen quidem Prometheo copulatam etiam ab Aeschylo videmus[56]), sive is Acusilaum sive alios auctores sequutus est. Clymenen eidem uxorem dat scholiastes Pindari ad Ol. IX, 68, quae si eadem est cum Oceani filia, cuius Theogoniae poeta v. 508 mentionem facit, matrem Promethei dicens, haec permutatio similis est alteri, quum Asia, quae item Oceani filia fuit, ab aliis, ut ab Herodoto IV, 45, uxor, ab aliis, ut ab Apollodoro I, 2, 3, mater Promethei dicitur. De Prynia non dubitandum videtur, quin nomen corruptum sit. Welckerus quidem, Trilog. p. 12, *Πρυλείης* nomen reponi voluit, quod a *πρύλις* ductum ait, id est a Curetum saltatione armata: pertinere enim hoc ad confusionem quandam sacrorum Cabiricorum et Dactylicorum. Id ego supra captum meum esse fateor. Probabilius videri possit *Προνόης*, quod nomen uxori Promethei non sane inconveniens est[56b]). Et est *Προνόη* una ex Nereïdibus apud Hesiodum, Theog. v. 261, eodemque nomine Asopi filiam fuisse docet scholiastes 24
Homeri, ad Il. II, 517: alia Pronoe, Melampi filia, memoratur a Diodoro IV, 68, alia, Phorbi filia, Aeoli uxor, ab Apollodoro I, 7, 7, 1. Pandoram autem, quam a scholiasta Apollonii Prometheo uxorem dari vidi-

---

54b) Unus, quod sciam, Strabo illud alterum habet; de quo dicetur paullo post.

55) Cf. et Tzetz. ad Lycophr. v. 1283: *Προμηθέως καὶ Ἡσιόνης ἢ Ἀξιοθέας παῖς Δευκαλίων.*

56) Prometh. v. 557, ubi Oceanides Prometheum alloquentes *τὰν ὁμοπάτριον Ἡσιόναν* ab eo in matrimonium ductam esse aiunt. *Τὰν ὁμοπάτριον* nonnulli ad Prometheum retulerunt, ut is suam sibi sororem germanam in matrimonium duxisse diceretur, quod sane per grammaticam fieri potest, sed pugnat cum Acusilai auctoritate. Itaque *τὰν ὁμοπάτριον* suam Oceanides sororem dicere apparet. Hartungum hic quoque falsam pro vera sententia amplecti maluisse non mirum est.

56b) Non minus autem probabile videbitur *Πυρραίης*, quod nomen terrae Thessalicae fuisse constat.

mus, et cuius nomen Sturzius etiam apud Homeri scholiasten pro *Πρυνείης* reponi voluit, non modo a nullo alio illi copulatam videmus, sed manifestum est etiam re ipsa eiusmodi copulationem respui. An credemus, eundem Prometheum, qui, quantum mali ex ea muliere in genus humanum redundaturum esset, animo praeviderat ideoque Epimetheo, ne quando eam reciperet, dissuaserat, eundem adeo sui oblitum esse, ut eam ipse caperet? Quamquam Welckero [57]) haec antiquissima et genuina fabulae forma fuisse videtur, qua significaretur, hominum prudentiam, quamvis perspicacem, non tamen tantum valere, ut illecebris resistere et in bonis consiliis constanter perseverare possint, fierique adeo e Prometheis nimis saepe etiam Epimetheos. Id ingeniose excogitatum esse lubens confiteor; verum esse non adducor ut credam. Nam sic non modo statuendum esset, Epimethei personam, ut fratris Promethei, ab antiqua fabula alienam, et recentius demum additam esse, sed etiam Prometheo post furtum, cui tam graviter Iupiter irascebatur, non statim poenam impositam esse, ut ad columnam alligaretur, sed tantum morae indultum, ut etiam uxorem ducere et liberos procreare posset, id quod, etiamsi fieri sic potuisse haud abnegaverim, minus tamen certe verisimile est [58]). Multo verisimilius, aut corruptam hic quoque esse scholiastae lectionem, aut, quod magis credo, ipsum hominem errasse, qualis error quo minus incredibilis videatur, admonebo alterius non absimilis erroris a Plotino commissi. Is enim Hesiodeam fabulam de Pandorae creatione memorans, atque ipsius etiam Hesiodi verbis utens, tamen Prometheo eas partes tribuit, quae apud illum Vulcani sunt, ut ex luto mulierem fingat [59]).

---

57) Tritog. p. 20 not. 19 et p. 74.

58) Poteram addere, probabilius esse Catalogos conspirasse quam dissensisse cum Theogonia, quae Pandoram — licebit enim hoc nomine uti — ab Epimetheo receptam ait: nisi opponi possent etiam alia quaedam exempla discrepantiarum utriusque carminis, qualia ipse alibi commemoravi.

59) Plotin. Ennead. IV, l. III c. 14: *τὸν μῦθον, ὡς πλάσαντος τοῦ Προμηθέως τὴν γυναῖκα ἐπεκόσμησαν αὐτὴν καὶ οἱ ἄλλοι θεοί· γαῖαν ὕδατι φύρειν καὶ ἀνθρώπου ἐνθεῖναι φωνήν, θεαῖς δ' ὁμοίᾳ τὸ εἶδος καὶ Ἀφροδίτην τι δοῦναι καὶ Χάριτας καὶ ἄλλον ἄλλο δῶρον, καὶ ὀνομάσαι ἐκ τοῦ δώρου καὶ πάντων τῶν δεδωκότων. πάντες γὰρ τούτῳ ἔδοσαν τῷ πλάσματι παρὰ προμηθείας τινὸς γενομένῳ.*

Ceterum nomen Pandorae non huic solum a Vulcano fabricatae mulieri inditum, sed eodem etiam Terram Matrem cognominatam esse accepimus, licet sensu diverso. Nam Terra *Πανδώρα* dicta est propter munerum, quae hominibus largitur, omnis generis copiam[60]), unde eandem etiam *Ἀνησιδώραν* nonnulli appellarunt[61]); mulieri autem nomen impositum est propter dotes, quibus ab omnibus diis ornata esse dicitur. Sed haec homonymia nuper viros quosdam doctissimos ad coniecturam induxit perquam, ut mihi quidem videtur, lubricam atque dubiosam, neque tamen hoc loco silentio praetermittendam. Suspicantur enim Pandoram, hanc quae ab Hesiodo Vulcani manibus fabricata, ab aliis omnium mulierum prima fuisse dicitur, ab initio non aliam fuisse quam ipsam Terram matrem. Quippe Deucalionem, pariter atque Ogygen, in vetustissimis quidem fabulis nihil aliud significasse, quam aquarum naturam, rerum omnium principium atque originem, quaeque cum hoc coniunguntur mulieres, Pandoram, Pyrrham, Protogeniam, quarum prima eius socrus, altera uxor, tertia filia fuisse dicitur, harum omnium communem significationem fuisse: fecundatam aquis terram, atque sic quum aliorum tum etiam humani generis parentem factam. Neque abhorrere a Graecorum mythologia talem significationis conversionem, ut, quae omnium rerum parens fuerit, mox in mulierem mortalem et mortalium matrem, ad instar Evae Hebraeorum, transmutata sit. Haec nuper erudite ac subtiliter a Prellero disputata sunt[62]); praeivit tamen huic iam Buttmannus[63]), hacte-

60) Ad Aristoph. Av. v. 971, ubi Bacidis oraculum affertur, *πρῶτον Πανδώρᾳ θῦσαι λευκότριχα κριόν*, scholiastes adnotat: *τῇ Γῇ, ἐπειδὴ πάντα πρὸς τὸ ζῆν δωρεῖται, ἀφ᾽ οὗ καὶ ζείδωρος καὶ ἀνησιδώρα.* Eadem habent Hesych. s. v. et Photius. Cf. Philon. vol. II p. 494, 1: *δοκοῦσιν οὐκ ἀπὸ σκοποῦ οἱ ποιηταὶ Πανδώραν αὐτὴν ὀνομάσαι πάντα δωρουμένην.* et I p. 32, 2: *παμμήτορα καὶ καρποτρόφον καὶ Πανδώραν.* Huc pertinent etiam quae Diodorus III, 57 tradit, quamquam ad Euhemeristarum modum composita. Apud Orpheum, Argon. v. 985, Pandora non alia videtur, quam Proserpina, in quam, utpote *καρποποιόν* et *φερέζωον* (vid. Preller. Demet. u. Perseph. p. 193) illud cognomen apte conveniebat.

61) Vid. Hesych. s. h. v. Schol. Aristoph. l. l. Etiam Cereri idem cognomen datum legimus ap. Pausan. I, 31, 2. Plutarch. Sympos. IX, 11, 4. Cf. Bergler. et Wagn. ad Alciphr. I, 3. Ruhnken. ad hymn. in Cer. v. 122. Preller. Demet. u. Pers. p. 12.

62) In dissertatione supra not. 26 laudata, impr. p. 8 et p. 52.

63) In diss. de diluvio (Ueb. d. Mythus der Sündflut). Mythol. tom. I p. 203.

nus saltem, quod de Noa, cuius in Hebraeorum fabula similes atque Deucalionis apud Graecos partes sunt, eodem fere modo disseruit. Nam hunc quoque in antiquissima et genuina Hebraeorum fabula nihil aliud quam aquam primordialem significasse, ex qua quod omnium rerum ortus repeteretur, hinc illum a posterioribus etiam humani generis auctorem habitum esse; mox autem, ne pugnaret haec opinio cum altera magis probata, quae ab Adamo hominum originem repetebat, adscitam esse fabulam de diluvio, et eorum quidem, qui ante diluvium vixissent, Adamum, his autem deletis novi generis auctorem Noam dictum esse, solum cum suis ex diluvio servatum. Quid de hac Buttmanni interpretatione theologi nostri aut litterarum hebraicarum periti iudicent, nescio: mihi eam non probabilem videri fateor. Magis probo, quae idem Buttmannus de Ogyge disputat [64]). Nam hunc quidem initio nihil aliud fuisse quam Ogenum s. Oceanum, h. e. aquam primordialem, ac postea demum in hominem priscumque Boeotiae aut Atticae regem transformatum, proque aqua primordiali diluvium substitutum esse, quod illo regnante terras inundaverit, vix dubitari posse arbitror. Ad Deucalionem quod attinet, hunc Buttmannus in illa dissertatione a veteribus nonnullis cum Assyriorum Xisuthro, (Sisuthro, Sisythe) confusum esse monet [65]), quem non diversum esse statuit ab Aegyptiorum Sesostri, qui quum in fabulari historia regis personam acceperit, ab initio tamen nihil aliud quam Sothin sive caniculae sidus fuisse, quo sidere oriente exundare Nili aquae incipiunt; ipsum autem Deucalionem utrum item sidus esse velit an aquam, eamque utrum di-
26 luvialem an primordialem, ex eius disputatione non intelligitur [66]). Hoc igitur supplevit Prellerus, primordialem aquam interpretans. Fatebor tamen mihi banc interpretationem magis arbitrio quodam coniectandi

64) L. l. p. 206.

65) Ibid. p. 191 sq. 199. 200.

66) Commemorantur a Buttmanno p. 192 vestigia quaedam fabulae de diluvio in Phrygiae urbis Apameae nummis servata, in quibus, praeter arcam in fluctibus natantem cum viro ac muliere, etiam litterae *ΝΩ* conspiciuntur, quas manifestum est Noae nomen significare. Addam igitur, etiam Deucalionem a posterioribus in Phrygiam translatum esse, id quod demonstrat Timothei testimonium ab Arnobio citatum, V, 5: „In Phrygiae finibus inauditae per omnis vastitatis petra est quaedam, cui nomen est Agdus, regionis eius ab incolis sic vocatae. In ea lapides sumptos, sicut Themis mandaverat praecinens, in orbem mortalibus vacuum Deucalion iactavit et Pyrrha.“

promptam, quam argumentis fultam videri ad persuadendum aptis. Primum enim in nomine Deucalionis nihil esse video, quod eam confirmare possit: est enim hoc originis et significationis prorsus obscurae atque incertae, et, ut verum sit, quod plerique arbitrantur, stirpem eius eandem esse, quae est verbi δεύω [67]), habebit ita sane quandam humoris et aquae significationem, sed haec aqua utrum primordialis sit rerumque omnium principium, an diluvialis, quae quondam aliquam partem terrarum inundaverit, decerni nullo modo potest; nisi forte quis omnes de huiusmodi inundationibus traditiones commenticias et ex illa de primordiali aqua opinione natas atque confictas esse dicat, quod qua ratione probari possit, non perspicio. Deinde Pyrrham, Deucalionis uxorem, Prellerus pariter cum Pandora et Protogenia terram esse statuit aquis fecundatam aptamque factam ad animalia hominesque procreandos et alendos: sed verior sine dubio eorum sententia videri debet, qui Pyrrham nihil aliud quam Thessaliam significare aiunt, aut partem Thessaliae eam, in qua postea urbs Melitaea fuit, ubi regnasse Deucalionem putabant, et filii quoque eius, Hellenis, sepulchrum ostendebant, in Phthiotide ad flumen Enipeum [68]). Neque dubito quin nomen huic terrae inditum fuerit propter fertilitatem, significetque tritici feracem, quod genus frumenti a Thessalis πυῤῥός, non πυρός, dictum esse videtur [69]). Nihil autem in fabulari historia

---

67) In re tam obscura etiam andaciorem coniecturam expromere fas est. Constat fabnlosorum nominum duo genera esse, alia origine barbara, quae e Graecorum lingun frustra explicare coneris, alia graeca quidem, sed longe vetnstissima et eo tempore facta, qnum lingua Graecorum ab hac, qnam nos ex litterarum monumentis cognitam habemns, mnltnm diversa esset. Accidit autem nonnunquam, ut, quae vocabnla ant radices apnd Graecos ipsos plane obsolevernnt, in cognatorum populorum linguis, velut apnd Latinos, servarentur. In hoc nnmero fnit fortasse radix δευκ, quae apnd Lat. est dnc, nt λευκ — lnc, ζευγ — iug aliaque. Sic igitnr in Dencalionis nomine, ab hac radice facto, dncis significationem agnoscere poterimns, quae quam apta eius personae sit, apparet. Ceterum οὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος, certe non omni ex parte. Nam incidi in hanc coniecturam lecta Schmidtii Sedinensis dissertatione, qnae edita est in Hoeferi nostri collectione, Zeitschr. f. d. Wissensch. d. Sprache, III p. 332, nbi vir ille non minns doctus quam acntns nomen Πολυδεύκης interpretatur mnltnm dncentem. — Alteram illam opinionem, quae a verbo δεύω Dencalionis nomen repetit, nulla analogia fulciri manifestnm est, et sunt complnres eodem nomine, in qnos illam notationem prorsns non convenire appareat.

68) Strab. IX p. 432. cf. schol. Apoll. Rh. III, 1090. Heyn. ad Apollod. I p. 430.

69) Vid. Meinek. Vindic. Strabon. p. 154.

frequentius fieri videmus, quam priscis populorum principibus uxores dari terrarum aut urbium, quibus illi praeerant, cognomines. Protogeniam porro, quae filia Deucalionis et Pyrrhae fuisse dicitur, si solum nomen spectetur, non negamus quidem etiam terram significare potuisse, quasi quandam primigeniam in rerum natura; atqui non minus apte hoc nomine mulierem appellatam dicemus, quae omnium prima e mortalium concubitu nata esset: nam mater eius Pyrrha, Epimethei et Pandorae filia, matrem quidem mortalem, patrem autem ex Titanum
27 genere, ideoque immortalem habuit: neque ulla causa est, cur hanc nominis interpretationem, quam fabulae suppeditant, spernamus prae illa altera, quam mera coniectura peperit. Restat Pandora, quae, si Terra mater erat, ut Prellero visum est, Deucalioni, seu aquae primordiali, aut coniux dari debebat, aut filia, aut etiam mater, quemadmodum apud Hesiodum Terra Oceani mater est. Atqui coniux aut filia eius a nullo dicitur, nisi quis huc trahat versus illos apud Ioannem Lydum, de quibus supra dictum est: quos etiamsi quis maxime genuinos et Hesiodeos esse credat, tamen Terram Matrem ne in his quidem agnoscere poterimus. Potius Pandorae nomine partem Thessaliae significari credemus, eam quae ab aliis Pyrrha s. Pyrrhaea dicta est. Nam huic apud poetas etiam *Πανδώρας* nomen inditum esse e Strabonis testimonio[70]) colligas, propter fertilitatem, opinor: quemadmodum etiam *Πολυδώραν* insulam quandam appellatam videmus prope Cyzicum[70b]). Quod autem Strabo ait a Deucalione illud nomen *ἀπὸ τῆς μητρός* inditum perhiberi, fieri potest ut minus accurate, utpote in fabulosae rei relatione, matrem pro socru dixerit. Quamquam fatendum est non inepte Deucalionem etiam filium eius Terrae dici potuisse, in qua natus esset. Quodsi quis hoc amplectatur, atque sic etiam scholiastae Apollonii testimonium, de quo supra dictum est, tueatur, qui Prometheum Pandorae coniugem dat: num propterea hunc in vetusta fabula non Iovis adversarium, sed divinam mentem ac providentiam fuisse dicemus, ex terra primum aquam ac deinde ceteras res procreantem[70c])? — At, dixerit aliquis, omnis haec fabulae con-

---

70) IX p. 443, de Thessalia: *τὴν μὲν πρὸς νότον λαχεῖν φασὶ Δευκαλίωνα καὶ καλέσαι Πανδώραν ἀπὸ τῆς μητρός.*

70b) Steph. Byz. s. v.

70c) Sic fere Cornutus c. 18 p. 69. Fulgentius Myth. II, 9 p. 81 Munck. Cf. Winckelmann. Monum. ined. ad t. 82.

formatio, quae Pandoram et Deucalionem cum Prometheo et Epimetheo coniungit, recentioris fabricae est, ac tum demum composita, quum vera et genuina illorum duorum significatio dudum obscurata esset. Ac de Deucalione quidem ego hactenus saltem assentior, ut, licet aquam primordialem eo significari minus credam, tamen filium eum Promethei a posterioribus demum factum esse statuam, qua de re paullo infra dicendum erit: de Pandora autem cur assentiar, nondum quidquam prolatum vidi. Sed non contemnendum sententiae suae praesidium Prellerus esse credit in pictura quadam vasis antiqui, de qua proinde nobis quoque nunc paullo accuratius disputandum est. Repertum est enim anno, ut arbitror, MDCCCXXIX, in agro Nolano vas fictile cum pictura huiuscemodi: mulieri in medio collocatae, facie iuvenili et satis decora, adstant dextra parte Vulcanus, sinistra Minerva, nominibus utrique adscriptis ΗΕΦΑΙΣΤΟΣ, ΑΘΕΝΑΑ; mulieri autem suprascriptum est nomen ΝΕΣΙΔΟΡΑ. Vulcanus dextram manum capiti mulieris admotam habet, quasi modo aureum diadema, quo illa ornata est, ei imposuerit; in sinistra quid gerat non satis agnosci potest; Minerva autem utramque manum humeris mulieris admovit, videturque vestem, qua ea induta est, adaptare. Quid igitur primo statim adspectu credibilius, quam Pandoram repraesentari modo absoluta fabricatione a duobus illis numinibus ornatam? Quod quum tamen non *Πανδώρα* sed *Ἀνησιδώρα* adscriptum sit, — sic enim pro *Νεσιδώρα* legendum esse plerique consentiunt, — hoc antem Terrae matris cognomen sit, quemadmodum supra dictum est, nonne hinc manifestum fit, Pandoram illam fabulae Prometheae ab huius quidem picturae artifice non diversam a Terra matrem habitam esse? — Mirabimur tamen, opinor, magnopere, hanc rerum omnium, itaque etiam deorum progenitricem, a Vulcano et Minerva, diis iunioribus, fabricatam. Nisi forte pictorem recentiorum Platonicorum doctrinae quodammodo praelusisse sumamus, deosque illos supramundanos et 28
νοητούς tantum esse voluisse, terram autem, visibilis huius mundi primigeniam, ab iis creatam. Quod si cui placeat, — per me enim licebit, — hoc certe confitendum erit, de vera et genuina veteris fabulae significatione ex huiusmodi pictura nullo modo argumentum petendum fuisse. Ceterum ego, quum legissem tantum, quae de ista pictura ab aliis relata erant, in talem aliquando coniecturam incidi, ut omnino non ipsam aliquam deam, sed simulacrum modo deae repraesentari crederem a Vulcano et Minerva fabricatum et ornatum. Nam deam

ipsam deorum manibus fabricari nimis absurdum videbatur, memorantur autem passim apud veteres simulacra de caelo demissa, *ἀγάλματα διιπετῆ*, eaque Vulcani manibus fabricata esse quilibet vel sine testimonio facile credet. Sed habeo etiam testes: nam de Palladio Troiano, quod *διιπετές* fuit, scholiastes Homeri ad Il. VI, 92 p. 180 a 15 prodit: *φασὶν Ἥφαιστον ἐκ τῶν ὀστῶν Πέλοπος πεποιηκέναι τὸ Παλλάδιον*, Tzetzes autem ad Lycophr. v. 355 pro Vulcano Minervam nominat, nec mirum in tali fabricatione utrique numini partes assignari. Itaque simulacrum quoddam Telluris deae a Vulcano et Minerva factum exornatumque in ista pictura esse putabam, cui, ne quis de Hesiodea Pandora cogitaret, non hoc, sed alterum Telluri proprium cognomen adscriptum esset. Nunc autem ipsa pictura inspecta, ut a Gerhardo in quodam programmate [72]) et a Wittio et Lenormantio in delectu ceramographico [73]) repetita est, non amplius teneo hanc coniecturam, illud ipsum autem perquam dubium esse video, verene illa mulier fabricata á Vulcano et Minerva, an vestita tantum et ornata videri debeat. Sane si id, quod in sinistra manu Vulcani est, bacillum figularem esse constaret, quemadmodum Panofka [74]) voluit, hoc significatum videri posset, fuisse illum paullo ante in fingendo opere versatum. Atqui alii caelum potius sibi agnoscere visi sunt [75]), cuius instrumenti in fingendis ex luto figuris nullus, quod sciam, usus est, sed tantum in sculpendis ex aliqua duriore materia: quamobrem si ex tali illam muliebrem figuram esse sumimus, apparet hoc non quadrare neque in Hesiodeam neque in alteram Pandoram. Alii mallei manubrium esse aiunt, Wittius autem et Lenormantius integrum malleum descripserunt, quibus equidem magis fidem habeo. Nam vas illud in Galliam delatum esse audio: potuit igitur pictura a delectus ceramographici editoribus accuratius quam ab aliis examinari. Utrovis autem instrumento, vel malleo vel caelo, Vulcanus uti potuit in fabricando diademate, quod modo capiti mulieris imposuisse videtur. Quid autem hanc ipsam mulierem esse dicam, incertus haereo, multoque facilius esse video, ut in aliis plurimis boc genus quaestionibus, sic etiam in hac, quid non sit, quam quid sit dicere. Nam ne de nomine quidem

72) Festgedanken an Winckelmann. Berl. 1841.
73) Élite céramographique. Tom. III tab. XLIV.
74) In Ersch. et Grub. Encyclopaed. III, 10 p. 332.
75) Sic Prellerus l. l. p. 51.

satis constat. Scriptum est ΝΕΣΙΔΟΡΑ: deletam igitur dixeris aliquo casu litteram primam eius quod est *Ἀνησιδώρα*. Immo, inquit Wieselerus[76]), vir doctus et subtilis, hoc ipsum *Νησιδώρα* verum 29 est, ex *νέω*, quod est cumulo, et *δῶρον*. Significatne igitur cumulatam donis, quod in Hesiodi Pandoram convenit, an donis cumulantem, quod aptum Terrae vocabulum est? Welckerus[77]) *Ἀνησιδώραν* probat, non autem de Hesiodea Pandora cogitandum censet, sed de alia quapiam fabula ignota, fortasse Attica et cum Erichthonii fabula coniuncta. O. Jahnius noster[78]) etiam *Ὀνησιδώραν* coniici posse ait, praefert tamen *Ἀνησιδώραν*: et est sane hoc maxime probabile. Illud autem prorsus incredibile, Terram matrem ista figura repraesentari. Igitur nisi ignotam aliquam fabulam subesse statuimus, relabimur ad Pandoram Hesiodeam, cui cur pictor alterum illud nomen adscribere maluerit, Terrae quam huic convenientius, neque scio nec magnopere scire laboro. Potest ut, sicut Terram utroque nomine appellari videbat, sic etiam illi utrumvis imponi posse opinaretur, atque praeferret hoc, quod exquisitius videretur: potest autem etiam alia quaedam ratio esse magis recondita, de qua pro se quisque statuat, quod ipsi maxime arrideat, modo ne ex hac pictura argumentum petat, quo Pandoram, omnium rerum ipsorumque adeo deorum matrem, primum a Vulcano ex luto fabricatam, deinde ab Hesiodo, veteris fabulae sensum non assequuto, ex Terra matre in hanc mortalis mulieris personam causamque malorum transformatam esse probet.

Dixi iam supra me iis assentiri, qui Deucalionis fabulam initio plane ab hac Promethea seiunctam fuisse, ac postea demum cum ea connexam censent. Haec connexio quamvis a plerisque adoptata sit, nequaquam tamen diversae traditionis vestigia prorsus delituerunt, quorum unum nunc demonstrabo, apud schol. Hom. Il. II, 681 p. 89a 38, ubi haec legimus: *ἔστιν ἡ Θεσσαλία πεδίον μέγα καὶ κοῖλον πάντοθεν ὄρεσι καλυπτόμενον. τούτου πρῶτος ἦρχε Θεσσαλός,*

---

76) In Diurn. antiquar. (Zeitschr. f. d. Alterth.-W.) 1847 p. 840.

77) In Museo Rhenano VI p. 622. — Pandorae sacra apud Athenienses commemorat Harpocrat. s. v. *ἐπίβοιον*, ubi aliquot codices Pandrosum pro Pandora exhibent. Sed alterum nomen tuentur Suid. s. v. *ἐπίβοιον* et Etym. M. p. 358, 13. — In fabulis Atticis fuit etiam Erechthei filia Pandora, soror Protogeniae, Chthoniae, Procridis et Creusae. Vid. locc. ap. Meurs. Reg. Attic. II, 13.

78) Archaeolog. Aufs. p. 131. 2.

ἀφ' οὗ καὶ ὠνομάσθη· οὗ ἔκγονος Ἄμμων, ἐξ οὗ καὶ Ἄμμωνες (scrib. *Αἵμων* et *Αἵμονες*), *οἱ Πελασγός, Φθῖος, Ἀχαιός. ἄρχει δὲ Πελασγὸς ταύτης τῆς χώρας, Ἄργος δὲ ἀπὸ Ἀργείας τῆς αὐτοῦ μητρός*[79]), *μετὰ δὲ θάνατον αὐτοῦ οἱ ἀδελφοὶ ἄρξαντες Φθίαν καὶ Ἀχαΐαν ὠνόμασαν. ᾤκει δὲ αὐτόθι καὶ Δευκαλίων, ὁ τούτων κατά τινας ἔκγονος.* Videmus igitur Deucalionem in posteris Pelasgi aut eius fratrum numerari, id quod fieri non potuit nisi ab iis, qui illum non universorum in Graecia hominum, sed unius tantum gentis Hellenicae progenitorem fuisse statuerent, in quibus etiam principes historiae Herodotum et Thucydidem esse manifestum est, siquidem alter horum Dores, ut Hellenicam gentem, Ionibus, ut Pelasgicae stirpis, opponens, illorum olim regem Deucalionem in Phthiotide fuisse ait[80]), alter, quum ante Hellenem, Deucalionis filium, Hellenum nomen ignotum, Pelasgorum autem latissime pervagatum dicat, et ipse haud obscure Hellenes tantum a Deucalione eiusque filio originem traxisse significat[81]). Neque diversa ratio est in pervulgatissima fabula, quae duos modo Deucalionis filios habet, Hellenem et Amphictyonem, quum Pelasgi ab neutro horum, sed ab aliquo antiquiore originem habere dicantur[82]). Itaque quum recentior videretur Hellenum quam Pelasgorum gens, neque tamen stirpis diversae, non absurde etiam auctorem illius gentis Deucalionem descendere a Pelasgis progenitoribus fecerunt[83]). Alii contra, quasi nulli praeter Hellenes populi in Graecia fuissent, aut, si qui fuissent, omnes diluvio periissent, eundem et Hellenicae gentis et omnium in Graecia hominum satorem Deucalionem fecerunt. Hunc ipsum unde ortum volue-

79) Apparet verbum *ὠνόμασε*, quod paullo post sequitur, etiam huc trahendum esse. Pelasgus Thessaliam a matre sua Argiu Argos vocasse perhibetur: et *Ἄργος Πελασγικόν* illam terram ab Homero appellari nemo ignorat.

80) Herodot. I c. 56.

81) Thucyd. I c. 3.

82) Non unum hoc nomine fabularis historia memorat: quinque conficiuntur ex locis a Clintone Fast. Hell. I p. 11 citatis; sed nullus horum a Deucalione descendit.

83) Etiam Hellen a nonnullis Phthii filius dicebatur, unde postea duo Hellenes fuisse crediti sunt, alter Deucalionis filius, alter de stirpe Pelasgi. Vid. Steph. Byz. s. v. *Ἑλλάς*, Eustath. ad Il. p. 320, 30. De iis, qui Iovem Helleni patrem dederunt, supra dictum est not. 54; sed fuerunt etiam qui Prometheum ei non avum, per Deucalionem, sed ipsum genitorem facerent. Vid. schol. Pind. Ol. IX, 68. Denique etiam Neptuni filium Hellenem dictum esse ex Hyginο, f. 157, discimus.

rint primi fabularum auctores, nobis incompertum est. Fuerit ex terra, genitalibus aquis irrigua, procreatus, quemadmodum in aliis fabulis Pelasgus, Alalcomeneus, et quos praeterea Pindarus enumerat in nobilissimo fragmento nuper publicato [84]), fuerit etiam, si quis hoc malit, ipse humor primordialis, unde, ut ceterorum animantium, sic humani generis origo repeteretur. Postea autem, quum circa creationem generis humani ea fabula invaluisset, cuius quis primus auctor fuerit, parum compertum est [85]), de hominibus a Prometheo ex lutō

84) Philolog. I p. 423.

85) Cf. Welcker. Trilog. p. 13 not. 16. Mützell. de emend. Theog. Hes. p. 488 sqq. — Aeschylus in Promethea trilogia hanc fabulam de ἀνθρωποπλασίᾳ sprevit, id quod neminem latere potest, qui superstitem fabulam non plane hebetibus oculis inspexerit. Et latuit tamen res apertissima nuperum quendam Prometheae fabulae enarratorem, Knötelium, in Jahnii Annal. philol. et paed. Supplem. vol. XVIII p. 223. 230, qui falsa opinione fretus etiam coniecturam quandam de igniferi Promethei argumento periclitatus est, in qua fabula fuisse vult versum a Proclo citatum ad Opp. v. 156, τοῦ πηλοπλάστου σπέρματος θνητὴ γονή. Sic enim scribendum putat pro eo quod codd. habent γυνή, et significari his verbis novum genus hominum a Prometheo ex luto fictorum, ex quibus chorum in illa tragoedia compositum fuisse suspicatur. Non animadvertit scilicet vir doctus, huic coniecturae eum ipsum, qui illum versum servavit, Proclum prorsus planeque adversari: nam is Pandoram illis verbis significatam esse testatur, unde apparet γυνή non esse mutandum. Sed hic error levior est, gravior alter, quod, quidquid de Iove Aeschylus Prometheum et Promethei amicos dicentes facit, quasi ex ipsius poetae mente atque animo dictum accipit, atque hinc qualem Iovem is in tota illa trilogia induxerit quasque ei partes tribuerit divinare conatur. Piget taedetque repetere quae contra tam absurdum genus interpretandi alibi a nobis disputata sunt. Sed est quoddam genus hominum, quos dedoceri a me posse nunquam speravi; qui nescio quam animi Aeschylei magnitudinem sibi agnoscere videntur in contemnendis patriis religionibus, iniuriisque et maledictis in summum deum congerendis. Hi, si nihil aliud, hoc certe ostendunt, se ceteras Aeschyli tragoedias aut non legisse, aut, si forte legerunt, nihil tamen inde profecisse ad poetae intellectum. Sunt autem alii, qui insuper etiam suam ipsi stultitiam animique perversitatem prodant, quum quod ipsis placet, magnumque et excelsum videtur, id etiam sapientissimo et deorum reverentissimo poetae placere debuisse contendant, nescientes scilicet veram animi magnitudinem nunquam non cum summa erga deos pietate coniunctam esse. — Sed quod ad versum illum Aeschyleum attinet, dubitari vix potest, hunc, quum in trilogia Promethea locum ei non fuisse appareat, ad *Πυρκαέα* pertinere, quam satyricam fuisse, cum Phineo, Persis, Glauco Potniensi (an Pontio?) editam, nunc quidem inter peritos constat. In hac igitur Aeschylus fabricatos e luto homines a Prometheo induxerat, missamque ad eos Pandoram. Aptum hoc argumentum satyricae fabulae fuisse quilibet intelligit. Ex eadem fa-

31 fictis, placuit, huic hominum fictori Deucalionem filium dari, qui fictos a parente homines regeret inchoatamque ab illo culturam perficeret, ut Iason testatur apud Apollonium Rh. Argon. III, 1087:

Ἰαπετιονίδης ἀγαθὸν τέκε Δευκαλίωνα,
ὃς πρῶτος ποίησε πόλεις καὶ ἐδείματο νηοὺς
ἀθανάτοις, πρῶτος δὲ καὶ ἀνθρώποις βασίλευσεν.

Uxor ei Pyrrha data, cuius nomine Thessaliam aut partem Thessaliae significari supra vidimus, utque Deucalion Promethei filius factus est, consentaneum fuit, etiam uxorem eius cum hac Promethea familia coniungi. Dicta est igitur Pandorae filia, idque tanto maiore iure, quod hanc mortalium matrum primam fuisse credebant. Patrem ei non alium aptius quam Epimetheum dari potuisse apparet, qui Pandoram in matrimonium duxisset. Peperisse autem ex Deucalione Pyrrha duos filios dicebatur, Hellenem et Amphictyonem, filiamque Protogeniam h. e. Primogenitam, qui tres aut universi generis aut eorum certe qui post diluvium extiterunt omnium primi ex mortalis cum mortali copulatione nati esse credebantur: additum deinde his vulgus ex lapidibus enatum, quos Deucalion et Pyrrha iactaverant. Sed haec longius persequi ab huius scriptionis consilio alienum est.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. VIII. Cal. Mart. a. MDCCCLIII.

---

bula iam supra, not. 39, dixi ea esse, quae Proclus refert ad Opp. v. 89: *Φησὶν* (excidit Aeschyli nomen) *ὅτι Προμηθεὺς τὸν τῶν κακῶν πίθον παρὰ τῶν Σατύρων λαβὼν καὶ παραθέμενος τῷ Ἐπιμηθεῖ παρήγγειλε τὴν Πανδώραν μὴ δέξασθαι.*

DE AETATIBUS GENERIS HUMANI.

In vetustissimae poesis Graecorum philosophicae reliquiis, quas 3
posterior aetas, nascentibus iam doctioris litteraturae initiis, studiisque in veterum ingeniorum monumenta congerenda et conservanda intentis, uni nobilissimo auctori Hesiodo Ascraeo adscripsit, collectasque in unum corpus ἔργων καὶ ἡμερῶν composuit[1]), praeter cetera insigne est carmen de generis humani per plures gradus ab aureo saeculo usque ad ferreum mutationibus, in quo interpretando licet plurimi et doctissimi viri elaboraverint[2]), nondum tamen eo perventum est, ut, si minus de singulis partibus, at certe de universa compositione fabulae summaque sententia satis constet. Quamobrem mihi nunc nonnulla, quae maxime ad rectiorem carminis intellectum pertinere videntur, propositura non sane verendum est, ne in rebus apertis et con-

1) Ordinem quendam et continuationem partium et tanquam unius corporis membrorum coniunctionem hos compositores spectasse nemo non agnoscet; sed acutiores oculos explorantemque severius unguem non facile fallent plurimae discrepantiae et iuncturae parum apte commissae, licet sint hodieque, qui talia aut non animadvertant aut nimis patienter excusent.

2) Praeter eos, quorum interpretationes in editionibus Hesiodi vulgatae sunt, dixerunt de hac fabula, ut quosdam minus nobiles aut mihi certe incognitos praetermittam, I. H. Vossius ad Vergil. Eclog. IV, 5—7. VI, 41. Georg. II, 536. Buttmannus in Mythologo tom. II p. 1—27. Frid. Schlegel (Ueber die Hesiodischen Weltalter) opp. tom. III p. 208. C. A. Boettiger, Amalth. I p. 39. C. H. W. Völcker, Mythologie des Iapetischen Geschlechts p. 250. Th. Bergkius, de reliquiis com. Att. p. 188. C. F. Rankius, comment. de Hesiodi O. et D. p. 34. C. F. Hermannus, in conventu philologor. Gothae 1840 habita. (Verhandl. der dritten Versamml. der Phil. u. Schulm. p. 62.)

fessis supervacaneam operam insumpsisse dicar: et spero futurum, ut ii certe, qui libero necdum praeoccupato diversis opinionibus animo haec legerint, meam interpretationem veram esse agnoscant. Discrepantes priorum sententias quum singulatim percensere longum sit minimeque necessarium, non tangam nisi eas, in quas meae me disputationis via deduxerit, sicubi, quae meae rationi maxime adversantur, non nimis longa oratione removeri posse videbuntur.

4 Primum igitur proponuntur in hoc carmine tres aetates, ab auro, argento, aere nominatae, quae quamvis sint inter se dissimiles, ab iis tamen, quae post insequuntur, heroica et ferrea aetate, certa quadam ratione pariter omnes diversae et prorsus disparatae sunt. Aureae aetatis conditio tota optima est planeque beata, nullo ne minimo quidem genere malorum admixto. Homines bonorum omnium copia affluentes terraeque muneribus sponte oblatis sine labore ac molestia nutriti non modo in summa inter se pace et concordia vivunt, sed etiam deorum amore et convictu gaudent [3]), videnturque ipsi a diis vix ulla alia re diversi esse, nisi quod potestatem minorem et mortalia corpora habent. Quamquam in ipsa eorum morte nihil triste ac terribile est, sed postquam in perpetua iuventute viribusque integris et nulla senectute minutis ad fatalem terminum pervenerunt, tanquam placidissimo somno oppressi ex hac vita decedunt; et est hic ipse decessus nihil aliud nisi transitus in augustiorem quendam statum, quippe quum daemones fiant, hominumque nunc in terra viventium custodiam ac tutelam gerant. Si quis autem fortasse cum Lehrsio [4]), viro subtilissimo, in hac aurei saeculi descriptione externa tantum bona commemorari, de virtute autem, de pietate, uno verbo de morum praestantia parum dici criminetur: mihi quidem poeta, etiamsi in aliis huius carminis partibus saepe vituperandus, hoc tamen loco laudandus potius

3) Duo versus a Spohnio post 120 inserti, *ξυναὶ γὰρ τότε δαῖτες ἔσαν ξυνοὶ δὲ θόωκοι ἀθανάτοισι θεοῖσι καταθνητοῖς τ' ἀνθρώποις*, quin ad hanc aurei saeculi descriptionem pertinerent, non debebat Goettlingius dubitare. Manifestam rem facit Aratei scholiastae testimonium ad Phaenom. v. 103, p. 35 Buhl.: *τὸ δὲ ἀρχαῖον τὸ χρυσοῦν γένος παρ' Ἡσιόδῳ· ξυναὶ γὰρ τότε κτλ.*; quae autem a Goettlingio afferuntur de diis etiam heroica aetate nonnunquam inter homines versantibus, Od. I, 22. 25. VII, 201, prorsus ab horum duorum versuum sententia discrepare cuilibet ipsos illos locos Homericos inspicienti facile patebit. Cf. Heynii excurs. XIII ad Verg. Aen. I tom. II p. 241.

4) Quaestion. epic. p. 231.

videtur propter id ipsum, quod Lehrsius culpat. Neque enim opus erat de eorum moribus longius dici, quos in summa concordia et tranquillitate, diis amicos et sodales ipsosque ad instar deorum viventes, post mortem autem iuris et iniuriarum in terris vindices proposuerat, nec sane poterant in hominibus tali tamque praeclara conditione viventibus virtutes eae praedicari, quibus in plane diversa vivendi conditione, qualis haec nostra est, morum probitas et praestantia censetur. Quid enim? fortitudinemne laudaret eorum, quibus nihil esset periculorum aut laborum perferendum? an iustitiam, quum esset nihil quod appeteretur alieni? an temperantiam, quae regeret eas quae nullae essent libidines? an denique prudentiam, nullo delectu proposito bonorum et malorum [5])? Fecit igitur poeta prudenter, quod his commemorandis abstinuit; factumque idem postea etiam a Platone est, qui in Politico, quum auream aetatem describit, nihil de moribus nisi hoc unum dicit, *πόλεμος οὐκ ἐνῆν οὐδὲ στάσις τοπαράπαν*, contra longus est in externorum bonorum commemoratione. Quod autem additur a Platone de eo genere voluptatum, quod homines illi animo perceperint, quum vel inter se vel etiam cum ceteris animalibus colloquentes aut veri sciscitatione et cognitione aut fabularum auditione 5
delectarentur [6]): ne nostrum quidem poetam intercessurum arbitror, quominus beatos suos ac divinos homines, quum inter se et cum diis conversarentur, non solum edisse et bibisse, sed aut confabulatos aut, si cui hoc potius videbitur, philosophatos esse credamus.

De proximis duabus aetatibus argentea, licet multo quam aurea deterior, non tamen tota mala est, aenea autem prorsus ex omni parte aureae contraria. Huius enim aetatis homines, e fraxinis procreati [7]),

5) Accommodavi in usum meum verba Ciceronis ex Hortensio, apud Augustin. de Trin. XIV, 9 tom. III p. 432. (Orell. IV, 2 p. 482.) Cf. Augustin. de civ. dei XIV, 10.

6) Polit. p. 272 C H. St. *Εἰ μὲν τοίνυν οἱ τρόφιμοι τοῦ Κρόνου — κατεχρῶντο τούτοις ἅπασιν ἐπὶ φιλοσοφίαν — εὔκριτον ὅτι τῶν νῦν οἱ τότε μυρίῳ πρὸς εὐδαιμονίαν διέφερον· εἰ δὲ ἐμπιπλάμενοι σίτων ἅδην καὶ ποτῶν διελέγοντο πρὸς ἀλλήλους καὶ τὰ θηρία μύθους, οἷοι δὴ καὶ νῦν περὶ αὐτῶν λέγονται, καὶ τοῦτο ὥς γε κατὰ τὴν ἐμὴν δόξαν ἀποφήνασθαι καὶ μάλ᾽ εὔκριτον.*

7) *Ἐκ μελιᾶν*. v. 147 Sp. — Guieti coniecturam *ἔκ τε μελές*, aut Theobaldi interpretationem (in ed. Loesn.) hodie nemo refutari postulabit. Quid hi Apollonio facerent, homines illos vere, non figurate, aeneos fingenti, et tamen genus eorum *μελιηγενές* vocanti, Argon. IV, 1641? Cf. diss. de nymphis Meliis p. 13.

corporisque robore non minus quam animi ferocia insignes, propter superbiam et iniustitiam mutuis odiis inflammati, continua inter se bella gerunt suisque invicem manibus interempti non, ut illi, daemonum conditionem sortiuntur, sed obscuri et inglorii ad inferos descendunt. Diis hos invisos et infestos fuisse, etiamsi poeta non dicit, sua tamen sponte intelligitur; quumque eos frugibus victitasse neget [8]), satis aperte indicat, victum iis fuisse ex carnibus animalium [8 b]): neque dubito quin, qui primus hanc fabulam finxit, de cessantibus hoc tempore terrae muneribus spontaneis deque victus cruenti immanitate paullo plus dixerit, quam hodie in hoc carmine legimus. Argentea aetas, si, ut loco, ita qualitate media inter optimam et pessimam ponenda erat, duplex poetae via patebat. Aut enim homines fingere poterat bona malis mixta habentes, qui etiamsi non plane expertes essent curarum et molestiarum, neque terrae muneribus sine labore alerentur, aut perpetua inter se pace et concordia ac deorum conversatione et convictu gauderent, nequaquam tamen prorsus mali aut aerumnosi essent, sed inter mala sua nonnihil etiam de pristina illa bonitate et felicitate retinerent, quemadmodum fere posteriores poetae, Aratus et Ovidius, argenteam aetatem descripserunt; aut ita rem instituere poterat, ut bona malaque in duas diversas vitae partes dispesceret, quarum altera ad aureae, altera ad aeneae aetatis conditionem propius accederet. Atque hoc ego nostro poetae placuisse agnosco. Nam aetatis huius homines longe maiorem vitae partem, etiamsi non in summa bonitate et felicitate, hilares tamen et innoxii transigunt, quum infantia eorum usque ad centesimum annum perduret: postquam autem adoleverunt, viriumque conscientia ferocientes superbe et iniuste quum inter se tum erga deos agere coeperunt, citissime Iovis ira extinguuntur. Ceterum externis bonis non minus quam aurei saeculi homines beati sunt: nihil laborum ad victum parandum, nihil aerumnarum ac
6 molestiarum [9]): neque deorum in eos ira implacabilis. Nam quum

8) V. 148: *οὐδέ τι σῖτον ἤσθιον.* Nunquam haec verba id significare poterunt, quod Goettlingius voluit, non *contentos* fuisse frugibus, sed carne *etiam* vesci solitos.

8 b) Cf. Porphyr. de abst. IV, 2 p. 295.

9) Non recte Lehrsius l. l. p. 231: „*accedentem nunc laborem et culturam agrorum ne verbo quidem commemoratam*“ criminatur: nimirum Arateam quandam aut Ovidianam aetatem argenteam requirens, ab huius poetae consilio prorsus alienam.

propter peccata celeri interitu puniti sint, statim quasi expiati hoc supplicio ad daemonum conditionem, licet minus angustam, et ipsi evehuntur. — Longissime autem ab hac mea interpretatione priorum sententia discrepat, qui quum veram poetae mentem non assequerentur, inepta eum et plane perversa dicere crediderunt. Nempe argenteam non minus quam aeneam aetatem, sed diversa tamen ratione, malam pravamque esse: alteram immanitate et feritate, alteram mollitie et impietate perditam, ut prorsus contra veram rationem tam honorificum ab argento cognomen huic inditum videri debeat [10]). Nam si quis, inquit Buttmannus, veram rationem numeris indicare velit, aurea aetas ad argenteam, haec ad aeneam non ut 0. 5. 10, sed ut 0. 9. 10 se habere dicendae erunt. Neque minus illud mirum et plane absonum, quod tam corrupti homines tamen post mortem ad daemonum conditionem evecti et *μάκαρες* facti dicuntur, quamvis minore quam superiores illi dignitate, *ἀλλ' ἔμπης τιμὴ καὶ τοῖσιν ὀπηδεῖ*. Denique Buttmannus etiam in hoc poetam peccasse criminatur, quod post interemptam demum argenteam aetatem aeneam extitisse dicit: neque enim dubitari posse, quin vetus et genuina fabula, quam ille, quum non intelligeret, misere corruperit, haec duo genera eodem tempore viventia, alterumque, utpote molle et effeminatum, ab altero, fero illo et bellicoso, oppressum fecerit. Atqui ego quidem mollitiae istius atque inertiae crimen neque in vetere fabula fuisse arbitror, neque a nostro poeta argenteae aetati tributum invenio, sed ab interpretibus tantummodo, Proculo, Tzetza et plerisque recentioribus illatum [11]). Nimirum his longa illa infantia centum annorum non ignoscibilis visa est, quumque annosi illi infantes etiam *μέγα νήπιοι* fuisse dicantur, statim nescio quid maculae iis adspersum esse opinati sunt. Itaque in quo ego nihil nisi status hilaris et innoxii significationem inesse arbitror, id illi in opprobrium verterunt, hominesque tot annis sub muliebri cura, *παρὰ μητέρι κέδνῃ*, transactis, postquam adoleverant necessario molles atque effeminatos prodiisse voluerunt. Poeta autem ipse nihil huiusmodi dixit neque, ut opinor, cogitavit, sed quum vitam huius

10) Buttmann. Mythol. II p. 6. 11. 13.

11) E nobilioribus interpretibus unus Heinsius a vera poetae mente non prorsus aberravit; et operae pretium est videre, quomodo hunc Graevius et Robinsonus sibi redarguere videantur, pro argumento nihil nisi suam opinionem opponentes.

aetatis in duas partes divisam proponat, alteram, eamque longiorem, ab infantibus hilariter et secure sine aerumnis et molestiis peractam narrat. Fuisse homines hoc tempore adhuc *μέγα νηπίους*, admodum imperitos, h. e. non intelligentes rerum discrimina, bonique et mali ignorantes, sed propter id ipsum, ut arbitror, etiam omni labe et peccatis carentes, puros, innocentes, plane ut in Hebraeorum fabula primi homines, antequam pomum de arbore cognitionis gustarunt, nescien-
7 tes sunt boni et mali, et a christianis scriptoribus Adamus ante lapsum *νήπιος* fuisse dicitur [12]) et vixisse velut infans boni et mali nescius [13]). Apparet ita *νηπίον* vocabulum, etiamsi nostrum nemo de se dictum aequo animo laturus sit, his tamen antiquis impositum nihil quidquam opprobrii habere [14]), non magis quam alterum illud, quo felicitas eorum indicatur, *ἀτάλλων*. Nam hoc fere idem est atque *ἀταλὰ φρονέων, ἀταλόφρων*, quae innoxiam et amabilem hilaritatem iuvenilem significant [15]), eumque animorum habitum, quem unusquisque nostrum, ut in liberis suis diligit hisque quam possit diutissime conservatum vult, ita sibi quoque aliquam eius partem ad labores aerumnasque levandas restitui, si fas sit, cupiat. Ceterum si cum aureo saeculo hos homines compares, discrimen, licet non tale, quale Buttmanno visum est, tamen omnino maximum esse apparet. Illius enim saeculi homines primum quales ab initio creati erant, tales per omnem vitam permanebant, *ἀεὶ πόδας καὶ χεῖρας ὁμοῖοι*, ut non senescentes, ita ne adolescentes quidem, h. e. non ex imbecillitate infantili ad virile robur progredientes, sed in perpetua et immutata iuventute vigentes ac florentes: hi contra posterioris aevi homines, itidem ut nos, ab infantia, quamvis longissima, sensim ad adolescentiam excrescebant. Deinde illorum animi praestantia illibata semper et incorrupta erat: hi

12) Theophil. Antioch. ad Autolyc. p. 102 B ed. Colon. ann. 1686.

13) Apud Lactantium div. instt. VII, 5 p. 465 ed. Ant. Thysii. p. 890 a 10 Bünem. Sitne hic locus ipsius Lactantii, an alius cuiuspiam scriptoris ad Manichaeismum proclivioris, nihil nunc facit ad rem.

14) Nisi quis forte opprobrium etiam ibi inesse dicat, quum quis *ἄλοχόν τε φίλην καὶ νήπιον υἱὸν* a se relictos queritur, velut Iliad. V, 480, aut ubi Achillem Phoenix *νήπιον* e paterna domo dimissum esse dicit, aut *νηπιέην* eius *ἀλεγεινὴν* commemorat, Iliad. IX, 439. 491. quorum similia plurimis locis de puerulis leguntur, ubi tenerum potius quendam affectum loquentis quam exprobrationem agnoscimus. Cf. Eurip. fr. Aug. 5 (8). Hypsipyl. 5 (4).

15) Cf. Iliad. VI, 400. XVIII, 577. Hesiod. Theog. 989. Mosch. Id. II, 78.

contra innocentiam quidem habebant, sed absque sapientia, non igitur divinam illam sed infantilem, et ob id ipsum corruptioni obnoxiam. Hanc autem corruptionem in altera vitae parte, quum ex illa felici infantia excessissent, non, ut in Hebraeorum fabula, cognitionis cupido, sed ὕβρις attulit, h. e. arrogantia et insolentia, quo vitio etiam angelos christiani patres lapsos esse statuunt[16]: neque dubito quin hanc ὕβριν fabulae nostrae inventor ex virium adultarum fiducia bonorumque externorum abundantia ortam voluerit. *Τίκτει γὰρ κόρος ὕβριν*, animosque hominum inflat habentia, ut Quadrigarii verbo utar[17]. — Hanc igitur ego unam veram censeo fabulae sententiam, quam hic poeta, cuius carmen legimus, etiamsi non ita disertis verbis eloquutus est, ut omni interpretum errori obviam iret, non tamen certe adeo obscurasse dicendus est, ut non possit ab attento lectore, et qui nihil aliunde sumptum admisceat, satis plane agnosci[18].

Ante autem, quam ad reliquam fabulae partem accedo, facere non 8
possum, quin alius cuiusdam interpretationis mentionem iniiciam, nuper a C. F. Hermanno in Gothano philologorum conventu propositae. Soleo equidem, si quando ab Hermanno dissentio, quod raro fit, meo potius quam illius iudicio diffidere: sed hac tamen in re assentiri ei non possum. Arbitratur vir doctissimus hanc trium primarum aetatum descriptionem non minus quam ea, quae post de heroibus dicuntur, ad vetustam rerum gestarum sive memoriam sive traditionem fabulosam accommodatam esse. Et in aureae quidem aetatis descriptione, quamvis poetice exornata, inesse aliquam illius status imaginem, qui

16) Origen. in Ezech. Homil. IX, 2. Augustin. de catechiz. rud. § 30. Cassian. collat. VIII, 10. Methodius ap. Phot. p. 907 Hoesch. Cf. Cöln. Bibl. Theol. I p. 234. I. Müller, v. d. Sünde p. 74.

17) Apud Nonium p. 119 Merc. — Graecum proverbium cuivis notum e Theognide v. 153.

18) Unum est, in quo nonnulli lectores haerere poterunt: quod de patribus illorum infantium per centum annos sub matribus ludentium nihil a poeta edocemur. Nam non ex aureis hominibus hos argenteos prognatos, sed post interitum demum illorum novum hoc genus a diis procreatum esse, satis aperte indicatur. Itaque initio huius saeculi utrum infantes tantum cum matribus, an adulti potius mares cum feminis creati sunt, ex quibus deinde infantes illi nascerentur, sed qui ipsi nullam infantiam haberent? Et si ita est, quales tandem horum vita et mores fuerunt? Ita si quis quaerat, et poetam, quod de his nihil dixerit, reprehendat, quid responderi poterit? Nihil, opinor, nisi hoc unum fortasse: qui talia quaerant, his non poemata et fabulas, sed historicorum libros tractandos esse.

olim in Graecia sub Pelasgorum imperio fuerit. Quippe divinos hos etiam ab Homero appellari, quumque, ut Herodotus auctor est, nondum templis inclusos deos et ne certis quidem nominibus discretos coluerint, sed numina divina ubique ut propinqua sibi et in fontibus, arboribus, ventis, pluviis, tonitribus et fulgoribus aliisque similibus praesentia venerati sint, hanc vitam eorum aptissime ita potuisse depingi, ut in sinu quasi naturae enutriti et cum ipsis diis perpetuo conversantes proponerentur. Transitum autem subitum et abruptum ab huius saeculi praestantia ad argentei pravitatem — nam prorsus hoc depravatum esse etiam Hermannus statuit — non alia ratione commodius explicari posse, quam si placidam et tranquillam Pelasgorum vitam, qui sub paterno regum eorundemque sacerdotum imperio in pace et otio vixerint, ab Hellenicae stirpis hominibus feris et bellicosis turbatam et eversam poetae animo obversatam esse statuamus. Atque sic etiam longam illam argentei saeculi pueritiam facilem fieri ad interpretandum. Significari enim Hellenes aliquamdiu sub illa paterna et sacerdotali Pelasgorum potestate tanquam pupillos sub matrum custodia fuisse, donec tandem viribus ferocientes sese emancipaverint illisque, quibus antea subiecti fuerant, parere amplius noluerint. Atque hunc esse illum contemptum deorum, quem poeta his argentei saeculi hominibus tribuat, comparandum plane cum iis, quae de Phlegyarum, Ixionis, Tityi, Salmonei aliorumque impietate et facinoribus fabulae tradant. Et ita demum illud quoque explicari posse, quod quamvis illi impii fuerint, animi tamen eorum post mortem ad daemonum dignitatem evecti esse dicuntur. Quippe factum hoc esse propterea, quia veteres illi Pelasgorum oppressores apud suos certe posteros semper in honore et veneratione fuerint. Aeneum denique saeculum illud esse, quum post eversum planeque dirutum veterem statum nullis legibus homines, nullis imperiis coerciti perpetuisque inter se bellis et discordiis exagitati ad summam feritatem et immanitatem delapsi essent. — Non placet hoc genus interpretandi, quum, quae dicta sunt a scriptore pro indictis, non dicta autem pro dictis accipere cogimur. Poeta ar-
9 genteam aetatem tum demum a diis procreatam esse dicit, quum superior aetas aurea interiisset: interpres illam per longum tempus sub altera vixisse statuit, utramque igitur simul in terris fuisse. Poeta auream aetatem placida morte tanquam somno abreptam dicit: interpres eam ab argentea aetate vi et armis oppressam et interemptam autumat. Poeta argenteam aetatem a Iove tam penitus deletam ait, ut

plane novum genus hominum e fraxinis procreandum fuerit: interpres posteritatem eius etiam eo tempore superfuisse vult, quo haec fabula orta est. Denique, ut brevi omnia complectar, effecit hoc quidem Hermannus, ut ex opinionibus, quales ipse probat, de antiquis Pelasgis deque Hellenibus eorum victoribus, et de statu Graeciae his turbis concusso, aliquam fabulam huic nostrae quodammodo similem, sed magis tamen diversam, componi potuisse fateamur; illud autem non effecit, quod voluit, ut hanc, quae nobis tradita est, fabulam probabiliter interpretaretur: quae quidem tota eiusmodi est, ut prorsus ad eundem modum componi etiam ab eo potuerit, qui longe a Graecia natus et educatus nihil unquam de Pelasgorum et Helleuum rebus inaudivisset[18b]). — Iam in viam revertimur.

Extincta aenea aetate novum deinceps saeculum exoritur, heroum genus divinum, qui quum multo iis, qui proxime praecesserant, iustitia omnique virtute praestent, adeo ut etiam semidei vocentur, nequaquam tamen ab omni labe maloque immunes sunt. Neque enim in pace et concordia placidam tranquillamque vitam degunt, sed bellis gravissimis exerciti, quae sine iniuriis oriri nunquam potuerunt, partim interempti sunt, partim autem a diis, quibus cordi erant, in beatorum insulas translati, ubi sub Saturni imperio conditione fruuntur beatissima, plane ad instar eius quae olim aureo saeculo in terris fuerat eodem Saturno imperante. Attendendum est autem, qua ratione haec aetas heroica quum ab aurea, tum ab argentea et aenea prorsus disparata sit. Etenim in tribus illis superioribus homines aut plane optimi et beatissimi, aut prorsus feri et immanes, aut denique altera vitae parte innocentes et felices, altera demum noxii et castigabiles erant, ita ut in nullis bona malaque simul essent, sed aut plane abesset alterutrum genus, aut, si utrumque adesset, diversis tamen alterum ab altero vitae partibus appareret: contra in heroibus dubitari non potest quin poeta bona malaque inter se mixta et coniuncta fuisse voluerit, ita tamen, opinor, ut longe bona superarent, id quod vel ex ἡμιθέων appellatione vel ex nonnullorum beatissima sorte manifestum fit. — Iam vero quinta aetas, quae ferrea dicitur, adeo mala et misera est, ut poetam vitae inter hos homines agendae magnopere taedeat. Quamquam in describenda hac sua aetate aerumnas potius, labores et mole-

18b) „Die Sage erreicht zuletzt den Boden der Wirklichkeit; allein rückwärts ist sie undeutbar auf die Geschichte." I. Grimm. Gesch. d. D. Spr. I p. 3.

stias, quam morum pravitatem animique vitia commemorat, quae licet multa sine dubio magnaque esse vel ex ipsis illis aerumnis intelligi voluerit, quippe quae non possint nisi propter peccata hominibus impositae videri, non tamen prorsus hoc saeculum malum pravumque esse, sed aliquid etiam boni habere ipse profitetur: *ἀλλ' ἔμπης καὶ τοῖσι μεμίξεται ἐσθλὰ κακοῖσι*, quae *ἐσθλὰ* recte, opinor, non solum de externis sed etiam de animi bonis interpretabimur, illud autem *καὶ τοῖσι* indicare dicemus comparationem quandam huius saeculi ad heroicum, quod et ipsum, licet alia proportione, bona malis mixta haberet. Sed longe peiora, adeoque pessima et prorsus perditissima tempora posthac insequutura esse vaticinatur, quum etiam tenuissimis quibusque bonorum reliquiis extinctis sola mala inter homines dominatura, nullumque horum remedium futurum sit, plane ad eum modum, quo apud Lactantium[19]) huius saeculi ultimus terminus describitur, qui locus, quoniam est sane appositissimus, infra a me descriptus est.

„*Propinquante igitur huius saeculi termino humanarum rerum statum commutari necesse est, et in deterius nequitia invalescente prolabi, ut etiam nostra haec tempora, quibus iniquitas et malitia usque ad summum gradum crevit, in illius tamen insanabilis mali comparatione felicia et prope aurea possint iudicari. Ita etenim iustitia rarescet, ita impietas et avaritia et cupiditas et libido crebrescent, ut si qui tum forte fuerint boni, praedae sint sceleratis ac divexentur undique ab iniustis, soli autem mali opulenti sint, boni vero in omnibus contumeliis atque in egestate iactentur. Confundetur omne ius et leges interibunt, nihil quisquam tunc habebit nisi aut quaesitum aut defensum manu; audacia et vis omnia possidebunt. Non fides in hominibus, non pax, non humanitas, non pudor, non veritas erit, atque ita neque securitas neque regimen neque requies a malis ulla.*“

Tanta est multorum ex his cum nostro carmine convenientia, ut dubitari non possit, quin hoc ipsum Lactantio obversatum fuerit, qui lectitatum a se Hesiodum etiam aliis locis compluribus ostendit. Quod autem ait haec nostra tempora, quamvis mala, tamen in futuri illius insanabilis mali comparatione felicia et prope aurea iudicari posse, id prorsus ita se habere confitebitur si quis etiam in nostro carmine futurorum malorum descriptionem cum his, quae de sua aetate poeta queritur, comparaverit. Itaque manifestum est, multo rectiorem et

19) Institt. divin. VII, 15, 7.

concinniorem saeculorum distributionem futuram fuisse, si poeta crescentem post heroica tempora pravitatem in duas aetates dispertivisset, unam hanc, in qua ipse vivit, alteram illam, quam venturam praesagit, non sane minore discrimine a sua aetate, quam hanc ab heroica distantem. Et ipsa huius loci, ut nunc est, conformatio suspicionem viro perspicacissimo, Godofredo Hermanno[20]), movit, ut post hos versus

Ζεὺς δ' ὀλέσει καὶ τοῦτο γένος μερόπων ἀνθρώπων,
Εὖτ' ἂν γεινόμενοι πολιοκρόταφοι τελέθωσιν,

in quibus quinti saeculi descriptio desineret, nonnulla excidisse censeret, quae ad sexti saeculi descriptionem transitum facerent, qui nunc nullus est. Aliis forsitan etiam illi duo versus loco alieno positi, et ad sexti potius quam quinti saeculi interitum pertinuisse videantur. Utut est, illud certum puto, non apte hanc partem compositam esse, et veram ac genuinam fabulae formam hanc fuisse, ut tribus aetatibus ante heroicam positis totidem aliae opponerentur, sed memorabili inter utrasque discrimine, quod quale sit ex iis quae supra dicta sunt satis iam manifestum esse credo. Nimirum illarum prima tota bona, altera initio bona, postea mala, tertia tota mala est: harum autem statim prima bona malis mixta habet, superantibus tamen bonis, altera mala plurima, non tamen sine bonis, tertia denique rursus tota mala est. 11
Praeterea in illis prioribus omnia humanam mensuram longe excedentia finguntur: primo vita beatissima in deorum consortio perpetuaque iuventute; mox longa centum annorum infantia, quam consentaneum est multo etiam longiorem adolescentiam virilemque aetatem subsecuturam fuisse, nisi mors praematura propter delicta intervenisset; postremo corpora e fraxinis facta, membra enormia, mens indomita, nullus frugum et fructuum usus, tota vita in armis et proeliis acta: contra in his alteris omnia ad eum modulum comparata, quem aut videmus ipsi, aut fama et fabulosa rerum gestarum memoria olim fuisse accepimus, aut posthac futurum esse probabili coniectura divinamus[21]).

20) In censura Hesiodi Goettlingiani, Annall. Vindob. tom. LX p. 7. repetita in Opuscull. tom. VI, 1.

21) Debebam fortasse etiam hoc discrimen addere: quum superiores tres aetates suam quaeque et propriam originem haberent, ut neque argentea ex aurea, neque aenea ex argentea prodiret, sed posterior quaeque post prioris interitum nova procrearetur, posteriorum aetatum diversam rationem esse, hanc nimirum, ut posterior quaeque ex prioris degeneratione existat. Non sane hoc diserte dicit poeta: nemo tamen credet, nullam eorum, qui heroica aetate vixerunt, progeniem reli-

Itaque in his statum hominum aut talem, qualis nunc est, aut transformatum quidem in melius aut in deterius videmus, verum ita, ut semper aut memoria rerum, quamvis fabulosa, aut coniectura probabilis poetae imaginationem regat, neque homines proponantur ab his qui nunc sunt toto genere diversi, sed dissimiles tantum et quales vel maiores horum fuisse vel posteros futuros esse credibile sit, quum contra in tribus prioribus saeculis poeta neque famam aut experientiam neque coniecturam, sed suam quandam rationem philosophicam sequutus videri debeat. Quam ob causam ita philosophatus sit, et genus hoc philosophandi utrum probemus an improbemus, nihil facit ad rem, quandoquidem usum eo poetam esse et carmen eius non posse nisi hoc agnito recte explicari satis liquet.

Iam si quis etiam nominum a metallis impositorum rationem reddi postulet, ea mihi verissima videtur, quae est simplicissima. Nimirum aurum metallorum pretiosissimum, vilius argentum, sed illi proximum, utroque deterius aes. Hinc quum primo saeculo nomen ab auro inditum esset, ut solent optima quaeque et praestantissima aurea dici, alterum ac tertium a deterioribus appellata sunt; quumque in tertii descriptione res ipsa poetam ad armorum potissimum commemorationem deduxisset, et arma reliquaque omnia nunc e ferro fabricari solita aliquando ex aere fuisse accepisset[22]), non sprevit hanc rem, sed in usum suum convertit, quo magis aenei saeculi appellatio-
12 nem comprobaret[23]). Heroicae deinceps aetati nullum aptum a metallis nomen dari potuisse manifestum est: quintae ferrum in promptu

etam et ad quintam etiam aetatem perdurasse poetae visum esse. Quodsi quinta aetas ex heroicae degeneratione extitisse videri debet, similiter, si quae post quintam futura erat, hanc item ex huius degeneratione originem habituram consentaneum est. Quod si ita est, non poterunt non duo illi versus, de quibus supra dictum est, alieno loco positi videri.

22) Cf. quae a Voelckero citantur, Mythol. des Japet. Geschl. p. 278 not. 26. Add. Dureau de la Malle économie polit. des Romains I p. 56.

23) Buttmanno, Mythol. l. l. p. 14. 15 et Boettigero Amalth. I p. 39 initio hoc unum saeculum a metallo nominatum videtur propter inventam in eo artem fabricandi metallorum, et χάλκεον generali significatione dictum, qua omne genus metallorum χαλκός est: postea demum etiam reliqua propter concinnitatis cuiusdam studium a metallis appellari coepisse. Hanc rationem cur minus probem ex omni mea disputatione apertum est. Ceterum de his nominibus disputatum memini etiam a physico doctissimo, H. C. Oerstedio, (Ansichten der chemischen Naturgesetze. Berolin. 1812 p. 293 sqq.) acute et subtiliter, sed parum ad hanc nostram fabulam accommodate.

erat, idque poeta arripuit, nihil curans inconcinnitatis crimen, quod ex altera parte omnes tres, ex altera autem hanc unam ab aliquo metallo appellasset. Quodsi sextam quoque aetatem additam sumamus, eique nomen a metallo quaeramus, non deerunt fortasse quibus plumbum satis placeat.

Sic in omni hac disputatione de poeta loquutus sum, ut Hesiodi nomine abstinerem, idque consulto feci. Neque enim dubitari posse arbitror, quin aliquanto hic poeta recentior fuerit quam is, qui reliqua pleraque. quae probabiliter ad Ascraeum vatem referuntur, cecinit. Et non ab uno unius operis auctore utramque fabulam, et hanc nostram de quinque vel sex aetatibus, et illam alteram, quae paullo ante narratur, de Pandora, ita ut nunc factum videmus componi potuisse attendenti facile apparebit. Pugnant enim inter se, et malorum humanorum originem plane diversa ratione tractant. In Pandorae fabula omne aevum in duas tantum partes dispescitur, quarum in altera homines malorum, laborum, morborum immunes vixerint, in altera his omnibus obnoxii sint: neque sensim et per plures quasi gradus ab illa felicitate ad hanc miseriam descenditur, sed subita rerum conversione, postquam Iupiter ob furtum Promethei iratus Pandoram immisit doliumque fatale apertum est, omni malorum genere terra oppletur. In nostra autem fabula quinam gradus sint, supra vidimus: neque horum ullus est, in quem illa de Prometheo et Pandora narratio convenire possit. Causa vero malorum nulla omnino indicatur praeter hominum depravationem, cuius ipsius si causas quaerimus, nihil nobis poeta respondet, neque quidquam quod suspicemur habemus, nisi fatali quadam necessitate factum esse, ut posterior quaeque aetas in utroque ordine deterior prodiret. Hanc ob causam de diversitate auctorum dubitari nequit. Sed illud quoque manifestum puto, hanc alteram fabulam, aut hanc certe, quam nunc legimus, fabulae conformationem non esse eius aetatis, quam Hesiodeam dicere liceat, Homerica haud multo inferiorem. Demonstrant hoc quum alia tum praecipue nova illa doctrina de daemonibus, tanquam mediis inter deos hominesque interpositis, quales daemones nullos, neque ex hominibus factos neque alios, antiquiores Graeci noverant[24]). Quod autem Voelckerus suspica- 13

24) Primum Thalen divisionem inter deos, daemones, heroes et homines instituisse Pfannerus, Theolog. gentil. p. 172, Athenagora, ut ait, auctore prodit, sequiturque eum Voelckerus l. l. p. 266, citato praeter Athenagoram etiam Plu-

tur[25]), quattuor illos versus, quibus daemones ex aurei saeculi hominibus facti memorantur, insiticios, reliqua autem vetustiora esse: nullum ego me in his maioris vetustatis indicium agnoscere fateor, et quae maxime ratio Voelckerum permovisse videtur, ut illos versus deletos vellet, hanc prorsus reiiciendam arbitror. Statuit enim ita demum etiam alteros illos de argenteo genere recte intelligi posse, ut qui nihil nisi felicem in terris viventium conditionem laudent, non autem augustam post interitum sortem praedicent, qualem sortem, ut daemones sint

tarrho, simulque ex Aegypto hanc dortrinam a Pherecyde allatam esse autumat. Hoc unde rescierit, et quam rationem inter allatam a Phereryde doetrinam et Thaletis institutum intercesisse rredat, nolo quaerere: sed Athenagoras et Plutarrhus quid doceant operae pretium est considerare. Ita igitur ille, orat. pro Christian. p. 25 B (ed. Colon.ann. 1686) p. 204 Rerhenh.: *πρῶτος Θαλῆς διαιρεῖ, ὡς οἱ τὰ ἐκείνου διακριβοῦντες* [ita srrib. pro *διαιροῦντες ἀκριβοῦντες*] *μνημονεύουσιν, εἰς θεόν* (advertendus est numerus singularis), *εἰς δαίμονας, εἰς ἥρωας. ἀλλὰ θεὸν μὲν τὸν νοῦν τοῦ κόσμου ἄγει, δαίμονας δὲ οὐσίας νοεῖ ψυχικάς, καὶ ἥρωας τὰς κεχωρισμένας ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων.* Eodem modo Plutarch. de plac. philos. I c. 7: *Θαλῆς νοῦν τοῦ κόσμου θεόν.* et c. 8: *Θαλῆς, Πυθαγόρας, Πλάτων, οἱ Στωϊκοί, δαίμονας ὑπάρχειν οὐσίας ψυχικάς· εἶναι δὲ καὶ ἥρωας τὰς κεχωρισμένας ψυχὰς τῶν σωμάτων.* Quae iisdem fere verbis repetuntur a Tzetzu ad Iliad. pag. 65 Herm. Haec, si vera essent, de Thalete hoc tantum docerent, unum huic summum deum fuisse, *τὸν νοῦν*, qui mundum finxerit, (fere ut Cicero habet ex Phaedro Epicureo, homine non nimis diligente, de Nat. Deor. I c. 10: „*Thales aquam dixit esse initium rerum, deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret:*“) et hunr solum Thaleti *θεὸν* dictum fuisse, omnem autem multitudinem inferiorum deorum ab illo summo numine prorreatorum eiusque in mundo tuendo et ronservando ministrorum *δαίμονας* fuisse, non *θεούς*, quemadmodum etiam a Platone in Timaeo p. 40 D omnes praeter demiurgum animamque mundi et sidera, itaque populares dei cuncti, *δαίμονες* dicuntur, quos Cicero Timae. c. 11 *lares* interpretatur. Essent igitur hi daemones toto caelo, ut ita dicam, ab his, de quibus nunr agitur, *ἐπιχθονίοις* diversi, aeque alii quam ipsi Olympii et caelestes dii religionis popularis. Verum ipsum illud de uno summo deo, qui sit *νοῦς*, quam recte Thaleti tribuatur, perquam dubium est, ne dicam manifesto falsum; rf. tamen Valrken. Diatr. p. 40 et Stallbaum. ad Plat. Timae. p. 49. Illa autem numina, quae per mundi partes diffusa essent, alii *θεούς*, alii *δαίμονας* ab eo appellata esse perhibent. Vid. Aristot. de anim. I, 5: *ᾠήθη πάντα πλήρη θεῶν εἶναι.* Diog. L. 1, 27: *τὸν κόσμον ἔμψυχον καὶ δαιμόνων πλήρη.* Nihil igitur Athenagorae et Plutarchi testimoniis de daemonologiae auctore et origine ronfiri posse apparet. Aliunde tamen probari posse arbitror, *δαίμονας* a diis caelestibus distingui et illo nomine tanquam proprio appellari non diu ante Thaletis aetatem coepisse: sed hac de re ut disseram, hic locus non patitur.

25) Vid. l. l. p. 267. 269.

mortales, *μάκαρες θνητοί*, prorsus contrariam esse Graecorum opinionibus autumat. Atqui ipsorum Graecorum doctissimos haec daemonum mortalitas nequaquam offendit[26]): poetae autem verba qui integro iudicio perpendet, etiam absque quattuor illis superioribus versibus non poterit nisi de sorte post obitum argenteis hominibus tributa honoreque eorum animis habito intelligere.

Scrib. Gryphiswaldiae Cal. Mart. MDCCCXLII.

26) Veluti Plutarchum de defectu orac. c. 11.

DE EXTREMARUM MUNDI PARTIUM DESCRIPTIONE.

3 Nulla pars theogoniae Hesiodeae plures vel critico offensiones vel interpreti difficultates obiicit, quam longa illa et verbosa Tartari ac vicinorum locorum descriptio, quae post absolutam titanomachiae narrationem a v. 720 usque ad 819 proponitur. Complura quidem in hac parte vitia eiusmodi sunt, quae ab ipso poeta committi non potuisse omnes consentiant: de aliis autem ambigitur, utrumne infantiae artis parum adhuc excultae condonanda, an interpolatorum pravae sedulitati imputanda sint, quam qui grassatam in hoc loco confitentur, rursus tamen, ubi de singulis quaeritur, quae vera ac genuina, quae autem interpolata videantur, magnopere inter se dissentiunt. Nec minor est interpretum discordia, quum quae maxime ad situm et faciem locorum declarandam pertinent, aliter ab aliis accipiantur, adeoque nulla prorsus de re inter omnes constet, sed suam sibi quisque et a ceteris diversam Tartari et finium terrae imaginem informaverit. In tanta doctissimorum virorum dissensione stultus sit, qui sese proferre posse speret, quae omnibus probentur: verum tamen quum plerique adhuc in hoc loco ita versati esse videantur, ut aut non adhiberent, quae maxime debebant, peritiam grammaticam et rectum verborum intellectum, aut adhiberent, quae procul habenda erant, opiniones aliunde conceptas, operae pretium fuerit experiri, quid effici possit, si quis libero animo nullaque praecepta opinione occupatus locum denuo pertractet
4 et ad grammaticae artis regulas examinet; qua una via ex coniectandi et opinandi errore ad certam intelligentiam pervenire, et, si nihil aliud, hoc certe assequi licebit, ut, quid sciri atque intelligi possit, quid non possit, apertum fiat.

Prima offensio est in v. 721, non magni illa quidem ad summam

rem momenti, neque tamen silentio praetermittenda. Nam postquam v. 720 Titanes dicti sunt a Centimanis deiecti esse

τόσσον ἔνερθ' ὑπὸ γῆς, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης,

proximus versiculus

ἶσον γάρ τ' ἀπὸ γῆς ἐς Τάρταρον ἠερόεντα,

aliis incredibiliter languere et plane supervacaneus esse visus est, aliis autem non modo tolerandus, sed etiam necessarius et prudentissimo consilio adiectus, ne scilicet ignorarent auditores, quis esset ille locus, in quem Titanes deiecti dicerentur. Ego vero neque credo quemquam hoc ignoraturum fuisse, neque, si essent aliqui, his non satis consultum esse versu 725, ubi nomen Tartari legitur. Quodsi quis tamen id etiam statim initio ponendum fuisse contendat, illud certe negari non poterit, neque opus fuisse repetita distantiae significatione, — nam *ἶσον* quid est aliud quam *τόσσον ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης*? — neque aptam esse causalem coniunctionem *γάρ*, quae efficit, ut propterea tantum adiectus hic versus videatur, quo superioris versus ratio reddatur isque confirmetur. Aliquanto rectius sine dubio poeta in hunc modum loquutus foret v. 717—720:

καὶ τοὺς μὲν, ὑπερθύμους περ ἐόντας,
νικήσαντες χερσὶν ἐν ἀργαλέοις δεσμοῖσι
δήσαντες πέμψαν πρὸς Τάρταρον ἠερόεντα,
τόσσον ἔνερθ' ὑπὸ γῆς, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης.

Ceterum non recentioribus solum criticis sed etiam veteribus quibusdam versum 721, hoc loco positum, displicuisse codices Florentini B. C et Rehdigeranus testari videntur, in quibus proximi versus in hunc modum scripti sunt:

ἐννέα γὰρ νύκτας τε καὶ ἤματα χάλκεος ἄκμων
οὐρανόθεν κατιὼν δεκάτῃ δ' ἐς γαῖαν ἵκοιτο.
ἶσον δ' αὖτ' ἀπὸ γῆς ἐς Τάρταρον ἠερόεντα.
ἐννέα γὰρ νύκτας τε καὶ ἤματα χάλκεος ἄκμων
ἐκ γαίης κατιὼν δεκάτῃ δ' ἐς Τάρταρον ἵκοι [1]).

Vix enim dubitari potest, quin tertius horum versuum, quem ceteri

1) Leviores aliquot varietates horum codicum adnotare nihil opus est. Consentiunt autem omnes in *δέ* coniunctione v. 725 et, ut videtur, etiam v. 723 addenda: quamquam de altero non concordat Lennepii annotatio ad 723 cum ea, quam ad v. 721 posuit. Debuisse *δέ* utrobique scribi non dubium est, monuitque dudum Hermannus, cui miror Goettlingium in ed. sec. non obsequutum.

codices non habent, idem sit atque 721, mutatis dumtaxat coniunctionibus, quo aptus fieret huic contextui, quam ob causam etiam in proximo versu *γάρ* pro *δ' αὖ*, quod in ceteris codicibus legitur, repositum est. Et apparet, qui versum illum hoc loco posuerunt, eundem altero loco, post 721, exemptum voluisse, ubi quod tamen in illis quos dixi codicibus scriptus est, librariorum errori tribui debet. Ab vetere autem poeta neutro loco positum esse credo.

Proximorum versuum 724. 5 sententiam non admodum perspicuam esse fatebitur, quicunque rem paullo accuratius perpenderit. Delapsa incus de terra decimo die in Tartarum perventura dicitur. Tartarum autem non planum, sed cavum, ad instar ingentis voraginis, cogitandum esse constat, fundo longissime infra aditum depresso: quam ob rem in Tartarum pervenisse incus dici debebit simulatque intra aditum fuerit, quamvis longe adhuc ab imo remota. Quodsi hoc sensu verba poetae accipimus, spatium ingens cogitandum erit inter terram aditumque Tartari interiectum: sin aliter, ut dicatur incus decimo die emensa voragine ad fundum perventura, sitque *ἐς Τάρταρον* i. q. *ἐς οὖδας Ταρτάρου*, nihil obstabit, quominus aditum Tartari summumque marginem propinquum terrae et finibus eius contiguum cogitemus. Atque hoc ipsum multi voluerunt[2]), scilicet mundum universum ad instar sphaerae informantes, medio orbe terrarum in duo hemisphaeria divisae, quorum superius caelum sit, inferius Tartarus, tantundem infra Terram descendens, quantum superne caelum assurgat. Fuerit haec Homeri et plurimorum opinio: non consequitur tamen idem omnes credidisse, quandoquidem in huiusmodi rebus, quae sciri non possunt, aliud aliis placere et probabilius videri solet. Hesiodo autem quid placuerit, ex his quidem versibus intelligi non potest: verum qui reliquam locorum descriptionem attente perlustraverit, hanc potius eius opinionem fuisse suspicabitur, ut aliquid spatii inter terram et Tartari verticem interiectum esset.

Versibus supra scriptis subiunguntur hice, 726—728:

τὸν πέρι χάλκεον ἕρκος ἐλήλαται· ἀμφὶ δέ μιν νὺξ
τριστοιχεὶ κέχυται περὶ δειρήν· αὐτὰρ ὕπερθεν
γῆς ῥίζαι πεφύασι καὶ ἀτρυγέτοιο θαλάσσης.

Nox *τριστοιχεὶ* circumfusa novo sane et inusitato exemplo dicitur, quae res veteres quosdam permovisse videtur, ut pro Nocte Stygem

2) Voss. sched. crit. (alte Weltk.) II p. 352. Voelcker. Geogr. Hom. p. 158.

potius substituendam censerent, cuius coniecturae memoriam duorum codicum Parisinorum scriptura $\overset{\text{στ}}{\text{νύξ}}$ conservatam habemus. Nempe Tartari δειρήν in Orcum eminere rati, Stygem, Orci fluvium, haud incommode ei circumdari crediderunt. Sed poeta sine dubio nihil aliud voluit, nisi triplicem esse noctem, h. e. densissimam, quo ipso adiectivo pariter atque adverbio illo caligo quaedam quasi corporea significatur, ad nebulae aut nubium similitudinem. Δειρήν Tartari nonnulli fauces interpretati sunt, h. e. aditum angustum[3]): quo sensu nomen illud a Graecis usurpatum esse neque exemplo ullo neque te- 6
stimonio probari potest. Rectius alii verticem[4]): nam δειράδες, nomine a δειρῇ ducto, iuga montium et cacumina dici notum est, et hoc ipsum, δειρήν, eodem sensu aliquoties usurpatum videmus[5]). Voelckerum quidem nemo audiet, δειρήν h. l. de fundo interpretantem[6]) propter oppositum αὐτὰρ ὕπερθεν, quo ille superiorem Tartari partem denotari opinatur. Denotatur vero locus supra Tartarum, ἐπάνω τοῦ Ταρτάρου, ut ait scholiastes; in eoque loco, non in ipso Tartaro, radices, ῥίζαι, esse dicuntur terrae marisque, h. e. ut arbitror, fundamenta, πυθμένες, quibus terra cum mari innixa sustentatur tanquam radicibus arbor. Similiter ῥίζαι dicuntur theog. v. 811:

χάλκεος οὐδὸς
ἀστεμφὴς, ῥίζῃσι διηνεκέεσσιν ἀρηρώς,

ad quem locum iam Lennepius contulit Apollon. Arg. II., 320, de Symplegadibus:

οὐ γάρ πω ῥίζῃσιν ἐρήρειται νεάτῃσιν.

Neque aliter Aeschylus dixit, Prometh. v. 1048:

3) Heynius ad Verg. Aen. VI, 584. Similiter iam Guietus, τὸ στόμα interpretans; et Vossius quoque convertit: dreifach gelagerte Nacht an dem Eingang.

4) Ita Goettlingius et Lennepius. Pinnacula Heynius ap. Wolf. p. 155; ipse autem Wolfius περὶ δειρήν nihil nisi circumcirca significare voluit.

5) Pind. Ol. III, 27 (48). IX, 59 (89). Hesych. tom I p. 917 Alb.: δερά, ὑπερβολὴ ὄρους· οἱ δὲ τὰ σιμὰ τῶν ὀρέων. Eustath. ad Hom. Il. I, 499 p. 141, 36: Ἰστέον δὲ ὅτι, ὥσπερ κορυφὴ ὄρους μεταφορικῶς ἀπὸ τῆς τῶν ζῴων κορυφῆς, οὕτω καὶ δειρὴ ἡ ἐξοχὴ ἡ λήγουσα εἰς στενὸν — ὅθεν καὶ πολυδειρὰς Ὄλυμπος, τὸ ὄρος δηλαδὴ τὸ ἔχον πολλὰς ἐξοχάς. Suid. tom I p. 1233 Bernh.: δειρὰ καὶ δειράδες, οἱ τραχώδεις τόποι τῶν ὀρῶν. Et nostro loco scholiastes περὶ δειρὴν interpretatur περὶ τὸ ἀκρὸν καὶ ἀνώτατον μέρος. Cf. Jacobs. Anthol. Pal. III p. 609.

6) Geogr. Hom. p. 159.

χθόνα δ' ἐκ πυθμένων
αὐταῖς ῥίζαις πνεῦμα κραδαίνοι.

et Orphicus poeta, Herm. p. 458:

πυμάτη δὲ βάσις χθονὸς ἔνδοθι ῥίζαι.

et Hymn. Orph. XVIII, 10, de Plutone:

ὃς θρόνον ἐστήριξας ὑπὸ ζοφοειδέα χῶρον
— — — — ὃς ἔχει ῥιζώματα γαίης,

et H. XXIII, 1, de Nereo:

ὦ κατέχων πόντου ῥίζας, κυαναυγέτιν ἕδρην.

quemadmodum etiam Xenophanes ap. Arist. de Caelo II, 13 et Plut. de plac. phil. III, 9 terram *ἐρριζῶσθαι* dixit *εἰς ἄπειρον βάθος.* — Ita si *ῥίζας* de fundamento, *δειρήν* autem de iugo accipimus, talis quaedam evadit locorum imago, ut vasta Tartari vorago aeneo quasi muro (*χαλκέῳ ἕρκει*) ambiatur, eiusque vertex tanquam iugum montis assurgens densissimisque tenebris circumfusus terrae marisque fundamenta spectet superne imminentia.

In hunc igitur locum Titanes Iovis iussu deiecti sunt, a Neptuno autem portae obiectae, quibus illi exitu arcentur, v. 729—733:

7 ἔνθα θεοὶ Τιτῆνες ὑπὸ ζόφῳ ἠερόεντι
κεκρύφαται βουλῇσι Διὸς νεφεληγερέταο,
χώρῳ ἐν εὐρώεντι, πελώρης ἔσχατα γαίης·
τοῖς οὐκ ἐξιτόν ἐστι, πύλας δ' ἐπέθηκε Ποσειδέων
χαλκείας.

Apparet in versu tertio haec, *πελώρης ἔσχατα γαίης*, non habere unde pendeant aut quo referantur. Nam quod Goettlingius ad *Τιτῆνας* in versu superiore memoratos per appositionem ea referri posse censet, nemini, opinor, persuadebit. Constructio recte procedet, si scribatur *πελώρης ἐσχατιῇ γῆς* [7]): et potuit hinc vulgata codicum scriptura ita enasci, si *γαίης* pro *γῆς* scripto — qui error librariorum haud infrequens est [8]) — deinde versus restituendi gratia *ἐσχατιῇ* in *ἔσχατα* mutatum est. Sed pugnabit tamen hoc cum superiore descriptione. Nam *ἐσχατιὴ γῆς*, extrema terrae, ea tantum loca dici possunt, quae, licet ultima, non tamen extra terram sunt: Tartarum au-

---

7) In cod. Paris F. scriptum est *πελώρης κεύθεσι γαίης*, correctione manifesta, sed sensu non multum certe diverso, quandoquidem etiam sic Titanes in terra, non infra eam erunt.

8) Cf. Lennepii annot. cr. ad v. 720. 721. 762.

tem extra terram et infra eius fundamenta positum esse poeta modo nos docuit. Fuerunt sane qui aliter statuerent, Tartarumque includi terra et profundo eius sinu contineri existimarent, nec recentiores solum, apud quos haec pervagata est sententia[8b]), sed etiam antiquiores, is certe, cuius versum theogoniae compositores inseruerunt post v. 118 hunc:

Τάρταρά τ' ἠερόεντα μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης,

isque, qui in pugna Typhoei, theog. v. 841, *Τάρταρα γαίης* dixit, atque, ut arbitror, ipse etiam titanomachiae poeta, quum v. 697 *χθονίους* Titanes appellet, qua de re infra dicendum erit[9]). Hoc autem loco, etiamsi correctione ista admissa constructioni subveneris, insiticium tamen versum tertium neque ab eodem unde reliqua descriptio auctore profectum esse fatendum erit, non minus quam versum 119 spurium esse plerique consentiunt. — Alii non corrigendum sed transponendum versum censuerunt, utpote a librariis loco suo motum, quem aut post 728 aut post 745 aut post 814 fuisse voluut[10]). Utut est, hoc certe loco ferendum non esse constat[11]). — Portas Tartari cur 8

8b) Cf. Ideler. ad Aristot. Meteor. II, 2, 20 p. 514 sq.

9) Forsitan huc pertineant etiam quae de inclusis a Caelo Centimanis dicuntur v. 158: *γαίης ἐν κευθμῶνι*, et v. 620. 622: *ὑπὸ χθονί, μεγάλης ἐν πείρασι γαίης*, cf. v. 505: *πελώρη γαῖα κεκεύθει*: siquidem hi quoque in Tartarum deiecti videntur. Cf. Apollod. I, 1, 2.

10) Vid. Herm. in cens. ed. Goettl., Opp. tom. VI, 1 p. 185. Id. in dissert. de Hes. theog. forma antiqu. p. 17. Geel. ap. Lennep. in ann. crit. ad v. 731.

11) Memoratu digna est scholiastae annotatio ad v. 732: *λείπει ἡ διὰ, ἵν' ᾖ „διὰ τούτων τῶν ῥιζῶν οὐκ ἐκβαδιστέον, οὐ πορευτέον.“* Apparet enim de subaudienda praepositione *διὰ* et de *ῥίζαις* hic intelligendis cogitare neminem potuisse, nisi pro *τοῖς — τῶν* legeret. Et ne sic quidem maluisset hoc pronomen ad *ῥίζας* potius referre, ante quartum abhinc versum, quum ad *ἔσχατα*, versu proximo dicta, si hunc versum ante oculos habuisset. An fortasse versus aliter ordinatos legit, 728. 731. 729. 730? Id non improbabile videtur. Ceterum haec scholia, quamvis exigui pleraque pretii, nonnulla tamen habent haud spernenda vetustioris eruditionis vestigia relicta, debebantque paullo accuratius tractari, quam adhuc factum est. Nunc enim, quum alia misere corrupta, alia confusa et alieno loco posita sint, saepenumero ne intelligi quidem possunt. Veluti haec ipsa verba, *λείπει ἡ διὰ — ῥιζῶν*, iterum posita sunt in schol. ad v. 738, ubi plane sensu carent. In schol. ad. v. 720 pro *ἕνεκεν διδασκαλίας λευκῆς* scrib. *λογικῆς*, et reliqua refingenda sunt in hunc modum: *οὐκ εἰδὼς γὰρ ἢ ἀπὸ ἱστορίας* (del. verbo *λέγει*) *ἢ πείρας* (del. *ἢ περὶ*) *τινὸς λέγει, καὶ πρὸς τὴν δόξαν τῶν ἀνθρώπων πλάττει.* — Ad v. 726 quae in initio scholii leguntur, *ἐκεῖ καὶ*

Neptunus potissimum obiecisse dicatur, alii aliter explicare conati sunt. Ego propterea factum crediderim, quod is in propinquo habitat, *κατέχων πόντου ῥίζας*, ut de Nereo ait Orphicus poeta[11b]. Nam maris fundus ac radices, quae eaedem etiam telluris sunt mare continentis, superne Tartari vertici imminent: et portas illas in vertice Tartari cogitandas esse non dubium videtur.

Has portas munimentum quoddam utrinque circumdat, quemadmodum solebant etiam hominum in terris portae adiunctis turribus muniri[11c]: et in hoc munimento, aut in propinquo certe, Centimani excubant, 733—735:

τεῖχος δὲ περοίχεται ἀμφοτέρωθεν·
ἔνθα Γύης, Κόττος τε καὶ Ὀβριάρεως μεγάθυμος
ναίουσιν, φύλακες πιστοὶ Διὸς αἰγιόχοιο.

Goettlingius ex uno codice Mediceo *τοῖχος* scripsit, quod nollem factum. Nam *τοῖχοι* non dicuntur nisi parietes: hoc autem loco de munimento ad instar castelli, *περιτειχίσματος*, cogitandum esse apparet, quo sensu *τεῖχος* saepissime, *τοῖχος* nunquam dicitur. Hoc *περιτείχισμα* quum utrinque (*ἀμφοτέρωθεν*, non *πάντοθεν*) circumire portas dicatur, ab altera parte ad alteram ductum cogitabimus, quo tutius illae custodirentur, non tamen ut undique eas cingeret, ne scilicet adiri, si quando opus esset, nequirent.

Difficillima est explicatio versuum proximorum, 736—739:

ἔνθα δὲ γῆς δνοφερῆς καὶ Ταρτάρου ἠερόεντος
πόντου τ' ἀτρυγέτοιο καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος
ἑξείης πάντων πηγαὶ καὶ πείρατ' ἔασιν,
ἀργαλέ', εὐρώεντα, τά τε στυγέουσι θεοί περ.

τῆς γῆς καὶ τοῦ οὐρανοῦ καὶ τοῦ ταρτάρου καὶ τοῦ πόντου καὶ πάντων αἱ ἀρχαὶ καὶ τὸ τέλος ἐστί, nihil ad hunc versum pertinent, sed ad v. 736. Reliquae parti pro lemmate praescribi debebant non haec: *ἀμφὶ δέ μιν νύξ*, sed initium versus. — E scholio ad v. 727, cui praescriptum est *αὐτὰρ ὕπερθεν*, eximenda sunt verba *τριπλῆ — ἄπειροι*, quae ad superius scholium pertinent, ad *τριστοιχεί*, quod explicatur *τριπλῆ, ὡς ἂν πλείστη καὶ ἄπειρος*, cui explicationi dein adiicitur altera, *κατὰ τρεῖς τάξεις*. Quae subiiciuntur verba, *εἰς τὸ αὐτό*, non partem explicationis, sed praescriptionem esse apparet.

11b) *Ποσειδῶν ῥιζοῦχος* est in fr. Callimachi ap. Procl. ad Hes. O. et D. v. 510 et idem deus *γαίης ῥιζοῦχα θεμείλια νέρθε φυλάσσων* ap. Oppian. Hal. V extr.

11c) Cf. E. Curtius, Zur Geschichte des Wegebaues der Gr., in Act. Acad. Berol. 1854 p. 273.

Ἔνθα in hoc quidem contextu non alium locum significare potest, quam eundem aut ei vicinum, in quo sunt portae Tartari cum munimentis suis et Centimanis excubantibus: sunt autem hae portae in vertice 9
Tartari, cui terrae ac maris fundamenta superne imminent, v. 727. Quid igitur esse dicemus *πηγὰς καὶ πείρατα*, fontes ac fines terrae, Tartari, maris ac caeli? Goettlingium si audias, *Ταρτάρου πηγαὶ* sunt ima sedes Tartari, et huic, non *δειρῇ* s. vertici, murus (*τοῖχος*) portaeque impositae sunt a Neptuno. Sed ut taceam, non solum Tartari, sed etiam caeli et terrae et maris has *πηγὰς* dici, qua ratione *πηγαὶ* imam sedem significare possint, aut quo iure portae illae Neptuniae in ima parte, non in vertice Tartari fuisse statuantur, non perspicio. Equidem *πηγὰς* omnino non locali sed physica significatione dictas esse arbitror, quasi primam quandam materiam, unde quattuor illae mundi partes tanquam ex fonte prodierint[12]), quum superne caelum, terra, mare tanquam excrescerent, infra autem Tartarus desideret, quae tamen non exhausta sit, sed maneat in medio mundi loco, inter terram et Tartarum. Haec materia eademne ac chaos an diversa sit, mox quaeremus. Quod autem etiam *πείρατα* rerum eodem cum *πηγαῖς* loco ponuntur, ne haec quidem sensu locali accipienda erunt, ut in hoc loco quasi confinia esse dicantur, extremique terrae, maris, caeli ac Tartari fines ac termini inter se contingant, sed physico potius, ut omnia hinc orta et profecta huc ad extremum etiam reverti atque dissolvi dicantur, denuo sine dubio proditura. Atque sic fere etiam veteribus interpretibus visum esse colligas quum e scholiastae verbis: *πάντων ἡ ἀρχὴ ἐκ τοῦ παρ' ἑτέρου* (scr. *Ταρτάρου*) *ἐκφέρεται, καὶ ἐκεῖ ἀποτελεῖται*, tum ex Aristidis dicto, in encomio urbis Romae, or. XIV tom. I pag. 327 Dind., ubi propter commerciorum frequentiam rerumque omnis generis *κατάπλους καὶ ἀπόπλους οὔποτε λείποντας* quadrare quodammodo in urbem ait, quod de Oceani *πείρασιν* Hesiodus dicat, *εἶναι τόπον οὗ συντετρῆσθαι πάντα εἰς μίαν ἀρχήν τε καὶ τελευτήν*. Quod scholiasta *ἐκ τοῦ Ταρτάρου* scripsit, — nam ita codicum scripturam corrigendam esse nemo dubitabit, — minus attente Hesiodeae descriptionis con-

12) „Sine ulla specie atque corentem omni qualitate materiam quandam, ex qua omnia expressa atque effícta sint, quae tota omnia accipere possit omnibusque modis mutari atque ex omni parte." Cic. Acod. I, 7, 27. Cf. Plat. Timae. p. 51 A. *Πηγὴν* de origine, unde res omnes extiterint, etiam Empedocles dicit v. 163 Karst.

textum ab eo consideratum esse apparet, quippe qui non in ipso Tartaro hos fontes ac fines rerum, sed medios inter terram et Tartarum collocatos ostendat. Quod autem Aristides de Oceani πείρασι loquitur, quum Oceani nulla in hac descriptione mentio sit, id mihi quidem nihil nisi memoriae errorem prodere videtur. Nam aliud theogoniae exemplum, ab his, quae nos habemus, valde diversum, illa aetate lectum esse noli credere. Sed obversabatur fortasse Aristidis animo etiam alter locus, theog. v. 807sqq., ubi repetitis his ipsis quattuor versibus, quos supra posuimus, subiungitur Centimanorum quoque iterata mentio, iique v. 816 habitare dicuntur ἐν Ὠκεανοῖο θεμέθλοις. Et induxit hic versus 816 etiam recentiores quosdam interpretes[13]), ut illis πηγαῖς et πείρασι locum Oceani ripae vicinum assignarent, quumque Oceanus orbem terrarum ambiens margines eius alluat, commemorenturque postea vv. 744. 767. 775 Noctis eiusque filiorum et Plutonis ac Stygis domus et Atlantis statio, quae omnia ad occidentem orbis fuisse aut certum est aut probabile, huc etiam fontes istos et fines rerum ablegarunt, et nonnulli quidem in ulteriorem Oceani ripam adeoque extra totius mundi sphaeram. Qui autem hunc carminis contextum et ordinem descriptionis a v. 720 ad 736 attente persequatur, non poterit illum locum alibi, quam supra verticem Tartari, sed infra terram, ideoque medium horum et subterraneum, non autem ad marginem orbis, minimeque omnium extramundanum agnoscere. Quod autem subterraneum esse negant propterea, quod Caeli fines sub terra nulli sint, nec contingere maris ac terrae Tartarique fines possint nisi in margine, ubi alterum hemisphaerium, caeleste, cum altero, tartareo, concurrat, simulque terras ac mare includant, pro certo ponunt id quod maxime dubium est, πηγὰς illas et πείρατα locali sensu, non physico interpretanda esse. Alterius autem loci, v. 816, nullum prorsus in hac quaestione pondus esse potest, antequam demonstratum fuerit, esse istam repetitionem non ab interpolatore sed ab ipso theogoniae, aut huius certe descriptionis, auctore profectam, quod quidem demonstrari nunquam poterit.

Eandem autem interpretandi rationem perversam etiam proximis versibus adhibuerunt, 740—744:

---

13) Voss. sched. crit. II p. 352. Voelcker. Geogr. Hom. p. 147. Cf. ib. p. 87 et 158. 9. Lennep. p. 328.

χάσμα μέγ'· οὐδέ κε πάντα τελεσφόρον εἰς ἐνιαυτὸν
οὖδας ἵκοιτ', εἰ πρῶτα πυλῶν ἔντοσθε γένοιτο,
ἀλλά κεν ἔνθα καὶ ἔνθα φέροι πρὸ θύελλα θυέλλη
ἀργαλέη· δεινὸν δὲ καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσι
τοῦτο τέρας.

Ut nunc hi versus superioribus adiuncti sunt, non poterit *χάσμα* nisi pro appositione haberi, quae ipsos illos fontes ac fines, de quibus dictum est, accuratius describat. Sic etiam Voelckerus accepit, ac proinde hoc *χάσμα* pariter cum illis ad occidentem et extra mundum ablegavit, magnum inane interpretatus, cui quod *πυλαί* tribuerentur, poeticae orationis esse. Atqui tribuitur etiam *οὖδας* v. 741: quod autem inane extra mundum, hoc sine dubio usquequaque infinitum cogitari debebat, ideoque *οὖδας* nullum, ne in poetico quidem sermone, habere poterat. Rectius et ad hunc certe contextum convenientius alii illud *χάσμα* supra Tartarum esse dixerunt, ideoque sub terra[14]): nam si *χάσμα* per appositionem ad fines et fontes rerum pertinet, alium ei locum assignari non posse apparet. Quamquam mireris tamen, inane illud dici, in quo rerum omnium fontes ac fines sint. Nisi forte *χάσμα* dictum est non quo prorsus inane et omnis materiae expers esset, sed quia nulla usquam soliditate concretum atque firmatum, nusquam resisteret, sed leve quiddam esset et penetrabile, ad nubium aut nebulae instar; quemadmodum etiam aer propter eandem causam *χάος* a poetis dicitur, illudque *χάος* quod solum fuisse initio rerum theogonia v. 116 docet, non spatium inane, sed corporeum quiddam, quamvis tenue ac leve, cogitandum videtur[15]). Et vix dubitari potest, quin is, qui v. 814 Titanes habitare dicit *πέρην χάεος ζοφεροῖο*, nihil aliud nisi hoc ipsum *χάσμα* significare voluerit, in quo sint fontes ac fines rerum ab ipso etiam v. 807—810 memorati. — Sunt igitur in hoc loco, inter terram et Tartarum, materiae omnis, unde caelum, terra, mare et ipse Tartarus extiterunt, quasi semina et elementa, dissolutaque materia in haec unde orta est elementa relabitur, denuo rursus proditura. Agitantur autem haec omnia motu perpetuo et quasi tur-

14) Wolf. ad v. 728 et Heyn. ap. eund. p. 123. Neque aliter Lennep. p. 330, nisi quod is tamen p. 331 propter ea, quae inde a v. 744 memorantur, haec omnia ad occidentem spectare vult.

15) *Ὕδατος μὲν λεπτότερον ἀέρος δὲ πυκνότερον.* Arist. de coel. III, 5. Cf. quae dixi de Cupidine cosmog. p. 9 [68].

bine, *θυέλλῃ*: quippe si quiescerent immotaque torperent, ne concrescere quidem unquam illa semina possent, neque corpora existere hinc tanquam ex fonte promanantia.

Poterunt haec fortasse non improbabiliter disputata videri: vereor tamen ut ad tuendum hunc locum ab interpolationis suspicione sufficiant. Nempe *χάσμα* illud dubitari non potest quin vastissimum cogitandum sit, neque sola vi procellarum, sed etiam spatii longinquitate fiat, ut, qui intraverit, post totum demum annum ad fundum eius perveniat, qui quidem non alibi quam in vertice Tartari cogitari potest. Atqui huic paullo ante, v. 727. 8, superne imminere legimus terrae marisque fundamenta, quod qui potuit dici, tanto spatio interiecto? Pugnant porro, quae de annuo lapsu dicuntur, cum iis, quae antea de lapsu incudis legimus decem tantum dierum. An dicemus incudem quidem celerius illud spatium emensuram, propter gravitatem; illud alterum de hominibus intelligendum esse[16])? — Equidem credo, hos versus ex alia quadam Tartari descriptione sumptos esse et ab interpolatore male huc insertos. Simul autem ne superiores quidem illos de fontibus ac finibus rerum huic loco aptos esse apparet, siquidem pugnant hi quoque cum iis, quae supra de terrae marisque fundamentis legimus Tartari vertici imminentibus. Nam eo quidem nemo confugere volet, ut haec ipsa fundamenta etiam fines ac fontes rerum esse contendat[17]), quod nec per se ipsum probabile est, et, si cui forte probetur, hoc tamen fatendum erit, perversum esse talem descriptionis ordi-
12 nem, quo primum terrae marisque fundamenta memorentur, deinde inclusi Tartaro Titanes, portaeque eius et munitiones, Centimanique

16) Goettlingius omnia intelligi vult: nam *πάντα* subiectum esse verbi *ἵκοιτο*. Mireris virum doctissimum, quamvis admonitum ab Hermanno, persistere tamen in hac sententia voluisse. Scilicet coniungi *πάντα* cum *τελεσφόρον ἐνιαυτὸν* posse negat, quia utrumque adiectivum idem significet. Audirem, si opus fuisse illo *πάντα* negaret: verum quidquid dici non opus fuerit, propterea ne potuisse quidem, a poeta praesertim, dici, cui tandem persuadebitur?

17) Aristot. Meteor. II, 1, quem locum iam Mützellius p. 491 et Lennepius attulerunt, *πηγὰς* et *ἀρχὰς καὶ ῥίζας γῆς καὶ θαλάσσης* coniungit, hunc ipsum theogoniae locum, ut videtur, respiciens: quamquam hoc non satis certum est, et, si sit, nequaquam tamen pro argumento sit, etiam Hesiodo *ῥίζας* easdem ac *πηγὰς* fuisse, non magis quam quod *ῥιζώματα* de elementis Empedocles dixit. Vid. Stobae. ecl. I p. 286. Plut. de plac. phil. I, 3. Clem. Alex. Strom. VI, 2, 17. Prob. ad Vergil. Ecl. VI, 31 p. 351 Lion.

custodes, tunc autem subito rursus de fundamentis illis dicatur, et ita dicatur, ut nullo prorsus indicio id, quod dicitur, de illis accipiendum esse moneamur. Tam perverse veterem poetam loquutum esse si quis sibi persuadeat, equidem plane non contra disputandum esse arbitror.

Versibus supra scriptis 740—744 arctissime contexti sunt hi, de Noctis domicilio, v. 744. 5:

καὶ Νυκτὸς ἐρεμνῆς οἴκια δεινὰ
ἕστηκεν, νεφέλῃς κεκαλυμμένα κυανέῃσιν.

Stare dicuntur Noctis aedes: quodsi quaeris, ubinam stent, apparet, in hoc quidem contextu, non posse alium locum cogitari, nisi eum, in quo sit illud χάσμα modo descriptum. Sed ipse hic contextus cui tandem probabilis videbitur, etiamsi verba tantummodo, non rem consideret? Sic nude verbum ἕστηκεν positum esse, nulla loci designatione neque per adverbium neque alio ullo modo addita? Scilicet ἔνθα, novem ante versus positum, etiam huic verbo sufficere debebit. Crediderunt hoc sane nonnulli: ego non credo, neque dissensuros a me spero, quicunque, non dico quid veterum poetarum consuetudo, sed quid recte et plane loquendi lex postulet, recordari volent[18]). Atqui, dicat aliquis, illos de fontibus ac finibus rerum ingentique chasmate versus 736—744 insiticios esse concedimus: quid igitur? si his versibus deletis verum contextum in vetere carmine hunc fere aut huius similem fuisse statuamus:

ἔνθα Γύης Κόττος τε καὶ Ὀβριάρεως μεγάθυμος
ναίουσιν, καὶ Νυκτὸς ἐρεμνῆς οἴκια δεινὰ
ἕστηκεν, νεφέλῃς κεκαλυμμένα κυανέῃσιν.

Removebitur sic una offensio; restabit altera non sane minor. Namque Noctem, et qui ante Noctem stare dicitur, Atlantem, v. 746, et Noctis filios, Mortem Somnumque, v. 758, et Plutonem, v. 767, et Stygis fontem, v. 775, hos omnes habebimus ἔνθα, h. e. in eadem regione collocatos, in qua sunt Centimani, h. e. infra terram extraque eam, in medio eius et Tartari spatio. Nam quod Voelckerus aliique rem invertunt, et ex eo, quod nec Noctem, neque Atlantem, nec Plutonem, nec Stygem in hoc spatio habitasse aut constet aut probabile sit, ne verticem quidem portasque Tartari et Centimanos custodes in eo cogitandos esse contendunt, id quam nullo iure faciant, neminem fugere potest. Repugnat enim huic sententiae omnis ordo ac series descriptionis a v.

18) Luxatum hunc locum etiam Hermannus dicit, de theog. Hes. form. ant. p. 17.

726 ad 735, neque de alio loco, quam qui infra terram sit, cogitare nos sinit: quamobrem si ea, quae iam de Nocte, Atlante ceterisque dicuntur, a vetere poeta ad hunc, quem nunc videmus, modum cum superioribus connexa creduntur, tantum abest, ut portas Tartari et Centimanos ad occidentem orbis terrarum fuisse ostendant, ut contra Noctem cum
13 Atlante et Plutone et Styge in regionem istam terrae et Tartaro interiectam secum detrahant. Sed hoc ipsum interpolationis documentum est. De Nocte quidem, ubi habitaret, non unam video veterum sententiam fuisse [19]), quumque v. 727 triplex caligo supra verticem Tartari effusa dicatur, non incommode alicui in hoc loco etiam habitare illa videri potuit, et permovit fortasse haec ipsa opinio interpolatorem, ut versus illos hic assueret. Sed quam male fecerit, proximi statim versus ostendunt, 746. 7:

τῶν πρόσθ' Ἰαπετοῖο πάϊς ἔχει [20]) *οὐρανὸν εὐρὺν*
ἑστηὼς κεφαλῇ τε καὶ ἀκαμάτῃσι χέρεσσι.

Nam *τῶν* non potest nisi ad *Νυκτὸς οἴκια*, v. 744, referri: quumque Atlas sine dubio terrae insistat in extremo orbe,

πείρασιν ἐν γαίης, πρόπαρ Ἑσπερίδων λιγυφώνων,

neque potuerit aliter Caeli sphaeram humeris suis sustinere, non potuit profecto ante Noctis aedes stare, nisi hae quoque essent in eodem orbis margine, in aliqua fortasse caverna, non autem infra orbem collocatae. Nam quod Goettlingius *πρόσθε* locum aliquanto superiorem, sed tamen infra terram, adeoque in Tartaro significare vult, neque posse fieri arbitror, et pugnat hoc cum reliquorum omnium de Atlantis statione testimoniis [21]). Sunt igitur Noctis aedes in terra, ad

19) Euripidi Orest. v. 176 Nox in Erebo habitare videtur, Alcmani (ap. schol. Soph. Oed. Col. 1248) in montibus Rhipaeis ad occidentem: *Ῥιπᾶν ὄρος ἔνθεον αὐλά τε Νυκτὸς μελαίνας ἀστέρων*: sic enim verba Alcmanis restituenda crediderim; *νὺξ ἀστέρων* est *νὺξ ἀστερόεσσα*, quemadmodum *ἄστρων εὐφρόνην* recte Hermannus interpretatur ap. Soph. Electr. v. 19. — Stesichorus contra Noctis stationem ad orientem posuit, si quidem eius versus, apud Athenae. XI, 469, recte a Vossio, epist. myth. II, 156 sq. ed. 1. cf. sched. crit. II p. 236, intellecti sunt, quod dubitari posse fateor. Ceterum res ipsa haud absurda videri poterit, quandoquidem, quum vesperascit, tenebrae non ab occidente sed ab oriente ingruunt. Cf. Heyn. Excurs. XI ad Aen. II p. 400.

20) Scribitur vulgo *ἔχετ'*, quod quin corrigendum esset, nunquam debuerat dubitari. Mirum, quid Lennepio acciderit, ad tuendam vulgatam lectionem ad Hom. Il. XXI, 531 provocanti, ubi *ἔχετ'* est secunda persona pluralis.

21) Conf. quae de Atlante subterraneo dicta sunt ad Aesch. Prometh. p. 303.

occidentem, et quidem, ut videtur, in aliqua convalle aut caverna, unde v. 750 verbum *καταβήσεται* de aditu usurpatum, densaque nube et caligine involutae, v. 745, quas Solis lumen penetrare non potest, itidem ut de Cimmeriis Homerus narrat, Od. XI, 15: quali involucro, si infra terram fuerunt, supersederi potuisse arbitror. Ante Noctem Atlas stare dicitur, ita scilicet, si quis situm eius ex ea parte orbis metiatur, quam nos incolumus, ut a n t e sit id quod huic parti propius, ideoque ulterioribus versus orientem est. Hoc etiam proximi versus comprobant. Stat enim Atlas ad eam viam, qua Nox, domo sua profecta et orientem versus tendens, Diesque, ex oriente ad eandem domum revertens, sibi occurrunt, v. 748. 9:

ὅθι Νὺξ τε καὶ Ἡμέρη ἆσσον[21 b]) *ἰοῦσαι*
ἀλλήλας προσέειπον, ἀμειβόμεναι μέγαν οὐδόν.

Οὐδόν Goettlingius perperam de Tartari limine accipit: non aliud li- 14
men significari apparet, quam domus v. 744. 751. 2. 3. nominatae. Ceterum obversatus hic locus videtur Quinto Smyrnaeo, de Solis et Noctis occursu similia dicenti, lib. X, 196:

τέρματα γαίης,
πηγαὶ δ' Ὠκεανοῖο βαθυρρόοι, ἔνθ' ἀκάμαντι
Ἠελίῳ δύνοντι συνέρχεται ἑσπερίη Νύξ.

Quae sequuntur in theogonia v. 758—766, de Somni et Mortis domicilio, silentio praetermitti possunt. Nam de Voelckeri sententia, qui hoc itidem ut Noctis, propter v. 759,

οὐδέ ποτ' αὐτοὺς
Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν,

in ulteriore quadam ripa Oceani et extra Coeli sphaeram collocatum vult, mox dicemus, ubi Plutonis domum considerabimus.

Dicitur enim haec in eadem regione sita esse v. 767—769:

ἔνθα θεοῦ χθονίου πρόσθεν δόμοι ἠχήεντες
ἰφθίμου τ' Ἀΐδεω καὶ ἐπαινῆς Περσεφονείας
ἑστᾶσιν, δεινὸς δὲ κύων προπάροιθε φυλάσσει.

Πρόσθεν si eadem ratione h. l. accipiendum est, atque v. 746, Plutonis domus nonnihil ab extremo ad occidentem margine terrarum remota, iisque, qui antea commemorati sunt, Somno et Morti, versus orientem sita esse dicetur: quod cur ita fingere poetae libuerit, incas-

---

21 b) Al. *ἀμφίς*, quod probant Voss. krit. Bl. II p. 218 et Spitzn. de vers. her. p. 121 recepitque Lennep.

sum quaeras. Goettlingius, quemadmodum Noctem et Atlantem infra terram in Tartaro esse, sed Atlanti tamen aliquanto superiorem stationem illo adverbio v. 746 assignari credidit, ita etiam nunc Plutonis domum illis superiorem significari vult; utrum autem hanc quoque in Tartaro, an extra eum, in ipsius iam terrae sinu esse statuat, non dicit. Lennepius „non dubium est“, inquit, „quin ex Hesiodi sententia subter γῆς πείρατα, in quibus stabat Atlas, et omnino sub terra superque Tartarum δόμους ἠχήεντας, sonoras, i. e. alte concameratas, magnas habuerit Hades, θεὸς inde χθόνιος dictus.“ Immo, inquit Voelckerus [22]), Plutonis domus est in magno illo inani, χάσματι, quod ad occidentem est extra orbem terrarum et trans Oceanum, et consentit hactenus Hesiodus cum Odysseae poeta, qui et ipse Od. lib. X extr. et XI in. Plutonis domum transoceaniam, non autem subterraneam nobis proponit. Nobis quid de isto inani extramundano videretur, supra exposuimus: de Odysseae autem descriptione Orci quam parum firmis argumentis Voelckeri opinio nitatur, satis iam ab aliis demonstratum est. Nempe negavit ille Ulixen, qui in primo tantum aditu Orci constiterit, declivi quidem loco, ut descendendum fuerit (XI v. 164. cf. 475), non tamen subterraneo, conspicere ex hoc loco ea omnia potuisse, quae se conspexisse narrat, de Minoe, Orione, Tityo, Tantalo, Sisypho, si haec subterranea et in profundo terrae sinu abdita fuissent. Atqui constat certis rationibus, omnem hanc partem Necyiae subditiciam esse et a recentiore quodam interpolatore insertam, ut nihil hinc argumenti de veteris poetae opinionibus repetere liceat. Quodsi quis dicat, eius certe, qui haec interpolavit, sive Onomacritus fuit sive alius, talem, qualem Voelckerus vult, opinionem de Orco fuisse oportere, quandoquidem aliter non potuisset ista inserere, vereor equidem ut hoc concedendum sit. Vix enim tam diligentes illi interpolatores fuerunt, ut quaererent ubique accuratius, convenirentne, quae interpolarent, recte cum ceteris, an discreparent. De transoceanio autem Orci situ is ipse, qui reliquam Voelckeri opinionem redarguit, hactenus tamen ei assensus est, ut Orcum quidem ipsum sub hoc, quem nos incolumus, orbe terrarum, sed aditum eius trans Oceanum, in ulteriore eius ripa fuisse statueret [23]). Fuerit

22) Geogr. Hom. p. 147. Assentitur Voelckero etiam A. Forbiger, geogr. ant. I p. 20, not. 39 et Naegelsbach. Homer. Theolog. p. 344.

23) Nitzsch. ad Od. tom. III p. 154 sq. Dubitare licet, num, quae ibi a viro

haec Homerici poetae sententia, — non enim attinet nunc rem disceptari, — in theogonia quidem certe nullum vel Orci ipsius vel aditus eius trans Oceanum siti ne tenuissimum quidem indicium deprehendi potest. Illud unum ambigas, sitne Plutonis domus, quae v. 767 sq. describitur, subterranea h. e. in profundo terrae sinu, an supra terram, fortassis in convalle aliqua tenebricosa, aut etiam montibus in altum elatis ad instar magni cuiusdam specus abdita. Nam quod Vossius statuisse videtur [24]), de aditu tantum et vestibulo poetam loqui, non 16
credo verba illa *δόμοι* — *ἑστᾶσι* hoc sensu accipi posse, sed domum ipsam significari. Hanc igitur adverbium *ἔνθα* in eadem regione cogitari iubet, in qua Nox Noctisque filii et Atlas sint, quam subterraneam esse nullo modo probari potest: itemque quae mox v. 775 eodem loco (*ἔνθα*) esse dicitur Stygis domus, hanc sine dubio non in terrae visceribus abditam sed in superficie sitam esse videmus, rupibus qui-

doctissimo disputantur, Eggersio (de Orco Hom. p. 14) contrariam sententiam tuenti satis fecerint. Primum, quod oceanum a mari nulla terra interiecta separari vult, quae mihi quidem, etiamsi non commemoratur disertis verbis, necessario tamen cogitanda videtur: deinde quod *περᾶν δι' Ὠκεανοῖο* aliter accipi posse negat, quam de traiiciendo Oceano usque ad ripam externam. Mihi *περᾶν* dici videtur de permetiendo quovis spatio usque ad certum quendam terminum, qualis terminus ap. Homerum Od. X, 509 indicatur verbis *ἔνθ' ἀκτὴ λάχεια*. Traiiciendus itaque Oceanus Ulixi est usque ad hanc *ἀκτήν*, quae quidem si in exteriore ripa fuit, tunc sane traiici omnem Oceani latitudinem oportuit; sin ad citeriorem ripam, nonnihil remota ab eo loco, ubi Ulixes ex interiore mari advectus Oceanum intravit, et procurrens aliquantum in Oceanum, id quod ipsum *ἀκτῆς* nomen significat, apparet nihil nisi sinum quendam Oceani traiiciendum fuisse, de quo traiectu illud *περᾶν δι' Ὠκεανοῖο* non minus recte dici potuit, quam theog. v. 294 *πέρην κλυτοῦ Ὠκεανοῖο* Erythia esse dicitur, quae non est in exteriore ripa, sed insula Oceano circumflua, *περίρρυτος*, quo Hercules tendit *διαβὰς πόρον Ὠκεανοῖο*. Quodsi cui Nitzschii sententia comprobari videatur altero loco, Od. XI, 13, ubi navis pervenisse dicitur *ἐς πείρατα Ὠκεανοῖο*, quandoquidem *πείρατα* eum locum designare videntur, ultra quem navigari Oceanus non amplius possit, h. e. ripam externam: hoc ipse Nitzschius recusavit, longe aliam eius vocabuli interpretationem proponens p. 191, et fortasse veriorem. Nam fateor equidem mihi apud vetustiores poetas, quibus Oceanus fluvius est orbem terrarum ambiens, exteriorem eius ripam nullam fuisse videri: quumque sine dubio terminos quosdam eius ab externa parte esse oporteret, hos tamen non ripam aliquam spatiosam fuisse credo et quasi alterius terrae initium, sed potius instar septi cuiusdam aenei, quali etiam caelum et Tartarus includebantur, sive haec tria coniuncta et cohaerentia erant, id quod nonnullis placuit, sive separata et discreta.

24) Sched. crit. II p. 348, cf. ad H. in Cer. v. 19, p. 15.

dem obtectam, sed adeo tamen alte prominentem, ut caelum attingere dicatur, v. 779. Scilicet habitat dea, ubi fontes eius sunt, ἐν πέτρῃ ἠλιβάτῳ, v. 786, prope patris fontes Oceani, quamvis aquae eius hinc labantur ὑπὸ χθονὸς εὐρυοδείης διὰ νύκτα μέλαιναν, v. 787. Rursus autem perquam incredibile est, fuisse quemquam, qui Plutonis domum alibi, quam eodem illo loco, in quem Stygis aquae defluunt, h. e. in terrae visceribus, huic, quem homines incolunt, orbi subiectam esse crediderit: atque in ipsa theogonia Pluto non solum χθόνιος, idque in hac ipsa descriptione v. 767, sed etiam disertius ὑπὸ χθονί habitare dicitur v. 455. Hinc manifestum fieri arbitror, hanc nostram Plutoniae domus descriptionem non sane apte et convenienter reliquis interpositam esse, ut non sine causa hunc locum interpolatum esse iudices. Ceterum quod versus 768 iterum etiam post v. 773 legitur, librariorum tantum errori imputandum est: et omittitur posteriore loco in aliquot codicibus. Hermannus etiam altero loco deletum, itemque v. 773 eiectum vult, participio δοκεύων v. 772 in verbum δοκεύει mutato, scilicet ut stropham nanciscatur quinque versuum. Sed de hac viri summi vel opinione vel persuasione disputare hoc loco nolo. Propterea illa quoque praetermitto, quae in proxima descriptione Stygis et eius aquarum aut delenda aut transponenda aut diffingenda censuit, eodem stropharum studio permotus, statimque ad postremos in hac parte versus me converto 807—819. Ostendi autem iam supra me dissentire ab iis, qui hunc locum etiam ad superioris descriptionis interpretationem adhiberi posse censuerunt, quumque versu 816 Centimani, Tartari portas custodientes, in Oceani fundo habitare dicantur, hinc etiam in altera descriptione verticem Tartari Oceano, ideoque margini orbis terrarum, et quidem occidentali, propinquum esse pro certo statuerunt. Nam ab eodem poeta in unius carminis tenore et hos versus et superiores illos factos esse quis tandem sibi persuadebit, uno fortasse Lennepio excepto? Reliqui, quos quidem ego sciam, omnes repetitos versus 807—810, qui totidem verbis supra lecti sunt 736—739, iteratamque Centimanorum commemorationem pro manifesto interpolationis indicio habuerunt[25]): quod si ita est, nihil ex iis,

25) Illud quoque advertendum, quod hoc uno loco, v. 817, pro Βριάρεως non potest Ὀβριάρεως reponi, quam formam nominis reliqui theogoniae loci omnes aut poscunt aut admittunt, et quam Hermannus ubique restituendam iudicat, opusc. VI, 1 p. 185. cf. Mützell. p. 139.

quae hoc loco dicuntur, illuc tuto transferri posse apparet. Ceterum illud ipsum non satis liquet, ubinam is, cuius est hic locus, Oceani θέμεθλα esse crediderit. Nam potuit sane fieri, ut non circumdatam solum Oceano terram, sed etiam innatantem ei crederet, quemadmodum Thales credidisse dicitur[26]): ita θέμεθλα Oceani erunt infra 17
terram supraque Tartarum, h. e. eodem loco, quo alter ille terrae ac maris radices s. fundamenta esse statuit. — In versu 813 πρόσθεν quo modo accipiendum sit non satis perspicuum est, eaque Goettlingio causa fuisse videtur, ut in ceteris νοθείας testimoniis etiam hanc voculam numeraret. Lennepius rem ita expediri posse censet, ut πρόσθεν non ante, sed ultra limen portasque v. 811 memoratas significare statuatur, quippe „ab Oceano ac fonte Stygis orsum poetam cogitatione fluentum eius sequi sub terram supra Tartari χάσμα." Et sane hoc quidem manifestum est, si ante limen et portas Tartari Titanes habitare dicantur, sententiam absurdam esse: nam ita non in Tartaro, sed extra erunt: verum tamen illa ratione, quam Lennepius proponit, vereor equidem ut πρόσθεν dici potuerit. Nam ubicunque πρόσθεν ita positum est, ut possit ultra aut ulterius converti, subest relatio quaedam et comparatio ad eum locum, ubi is, de quo sermo est, adhuc fuit, veluti quum παριέναι εἰς τὸ πρόσθεν is dicitur, qui ultra eum locum, in quo constiterat, procedit. Contra ubi is ipse, qui loquitur, viam quandam cogitando persequitur, eorumque, quae in hac via posita sunt, situm ex aliquo in eadem via puncto definit, — quemadmodum nunc Lennepius situm Titanum ex limine portisque Tartari definiri vult, — πρόσθεν esse nunquam dicentur nisi quae persequenti illam viam ante v. citra illud punctum sunt; quae autem post v. ultra sunt, ὄπισθεν dicenda erunt. Hinc intelligitur, πρόσθεν h. l. ad illas portas limenque referri non posse, et veram arbitror eam rationem, quam Vossius quoque et convertendo et interpretando sequutus est, ut πρόσθεν, non alia quam ad ipsum Tartarum relatione, significet eam Tartari partem, quae anterior, h. e. ante reliquum Tartarum est, quemadmodum quum Chimaera dicitur πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, anteriore sui parte leo, posteriore draco, aut Bdelycleo apud Aristoph. Vesp. v. 377 πρόσθεν καθεύδειν, h. e. in anteriore parte aedium. Hoc si verum est, apparet

26) Apud Aristot. de caelo II, 12, et Senec. quaestt. nat. III, 13 p. 581 et VI, 6 p. 648 Gron.

etiam χάος illud ζοφερόν,, ultra quod Titanes v. 814 habitare dicuntur, non posse in ipso Tartaro esse, quemadmodum Voelckerus voluit, sed esse ante Tartarum, nempe ibi, ubi sunt πηγαὶ καὶ πείρατα rerum, et ubi etiam supra, v. 740 sq., magnum illud χάσμα, quamquam ab interpolatore, coguovimus.

Nunc si omnis nostrae disputationis quasi summam subducimus, ex quattuor saltem partibus diversis hanc descriptionem compositam invenimus, quarum prima est a v. 721 ad 735, altera a 736 ad 744, tertia a 744 ad 806, quarta denique ab 807 ad 819. Harum prima, uno versu 731 excepto, satis bene procedit, nihilque neque in rebus neque in verbis inest, quod non potuerit ab uno poeta in unius carminis tenore poni: quamquam dubitari potest, an is ab eo, qui superiorem titanomachiae narrationem cecinit, diversus sit. Namque hic versu 697 Titanes χθονίους dixit, per quandam anticipationem: siquidem dum pugnant cum diis in terris sunt, non χθόνιοι h. e. subterranei: (neque enim alio sensu hoc adiectivum a veteribus epicis usurpatum arbitror:) hoc ipsum autem, quod χθόνιοι dicuntur, qui in Tartaro futuri sunt, ostendere videtur, huic poetae Tartarum non,
18 ut illi, cuius sunt versus 721—735, infra terram et extra eam, sed in ipsius terrae sinu ac recessu situm fuisse, quam nonnullorum sententiam fuisse supra diximus p. 7. In altera parte utrum v. 740—743 cum 736—739 primitus coniuncti an ab interpolatore demum compositi sint, equidem non ausim decernere. In tertia parte interpolationis suspicionem movet Plutoniae domus descriptio, reliquis non apte interposita. Quarta pars quin insiticia sit, dubitari plane non potest. Nimirum in vetere quodam titanomachiae carmine paullo aliter, atque in illo, unde v. 721 ad 735 desumpti sunt, de Tartaro et Centimanis relatum erat, ex eoque sunt hi novem versus, ab 811 ad 819, qui quum ferrentur fortasse pro Hesiodeis, abesse eos a theogonia compositores noluerunt, quumque inseri, ut erant, commode non possent, in fine posuerunt adiunctis quattuor versibus, 807—810, e superiore descriptione repetitis, ut aliquo saltem modo cum praecedentibus connecterentur. — Ita igitur in hoc loco, sicut in aliis non paucis, agnoscere mihi videor studium hominum theogoniam Hesiodeam, cuius sine dubio praeter nomen et famam nihil nisi fragmenta partim longiora partim breviora supererant, restituere conantium, in eoque negotio quidquid haberent quod Hesiodeum diceretur et ad theogoniam aut mani-

festo pertineret aut pertinere potuisse videretur, ordine quodam, quantum fieri posset, componentium, nonnunquam satis apte et convenienter, multis autem locis, ubi fragmentorum conditio repugnaret, perquam dure et inconcinne. Ulterius autem coniectando progredi, et quinam fuerint illi homines quove tempore vixerint quaerere nunc quidem nolo. Sed compositam tali modo theogoniam esse ipse aspectus arguit, estque omnis haec compositio eiusmodi, ut illud quidem plerumque liceat, quae dura, inconcinna, inepta sint, intelligentibus demonstrare, vera autem et genuina vetusti carminis forma agnosci ac redintegrari hodie nullo modo possit.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. VII. Cal. Mart. ann. MDCCCXLVI.

DE TYPHOEO.

3 In theogonia Hesiodea, post commemoratas antiquorum deorum generationes Iovisque et eius fratrum ac sororum origines, exponitur deinceps quo modo Iupiter, devictis adversariis, summum totius mundi imperium capessiverit. Adversarii autem fuerant Titanes, quorum pugna cum Iove refertur v. 617 sqq., de cuius partis compositione dictum a nobis est in libello de Titanibus Hesiodeis a. 1844 edito. Superatis autem illis et in Tartarum deiectis novus Iovi hostis extitit Typhoeus, Telluris et Tartari filius, cuius certamen cum rege deorum narratur v. 820—868. Sed ut de ceteris plurimis, ita etiam de hac parte theogoniae admodum varia sunt virorum doctissimorum iudicia. Heynius quidem, apud Wolf. p. 127, hanc fabulam a poeta „incredibili cum vi poetica et ingenii et sermonis ad terrorem faciendum accommodata“ tractatam esse autumans, „ex hoc“, inquit, „et similibus locis poetarum antiquissimorum character constituendus est, quo assurgere illis licuerit: nam simile quid seriorum poetarum ingenia non protulere.“ Nec minus honorifice Wolfius, si non de omni hac narratione, at certe de una eius parte iudicat, ad v. 839: „Aures obesas profecto haberet is, qui ad horum versuum et huius numeri maiestatem penitius sentiendam me monitore egeret. Singula paene verba rauca tonitrua Iovis imitantur, et totius naturae tumultus audire sponte nos cogunt.“ Etiam Mützellius, de emend. theog. Hes. p. 494 non solum pulcherrimam dicit Typhoei descriptionem, sed p. 493 omnem hanc narrationem inter praestantissimas carminis partes habendam esse censet: itemque Lennepius p. 350 locum hunc praeclare tractatum esse affirmat. Contra Gruppius, elegantis iudicii vir, in libello quem de Hesiodi theogoniae corruptelis formaque antiquissima germanico sermone scripsit,

p. 138, in omni hac parte lucidum rectumque ordinem desiderari nihilque esse ait, nisi φράσεις coacervatas, plurimasque ex Titanomachia repetitiones, nec posse hanc narrationem neque ab antiquissimae et genuinae theogoniae poeta profectam credi, eius scilicet, quam ipse strophis ternorum versuum compositam fuisse vult, neque ab aliquo veterum interpolatorum, quorum alter quinorum, alter autem denorum 4
versuum strophas fecerit, sed ab recentiore quopiam strophicae compositionis ignaro aut incurioso. Etiam is, qui ante Gruppium, sed huius monitis instructus, theogoniam in strophas, non quidem ternarias, sed quinarias descripsit, A. Soetberius, in libello item germanico, de antiqu. form. th. Hes. p. 8 et 10, omnem hanc de Typhoeo narrationem pariter cum superiore de Titanibus alienam ab antiquo carmine et suppositiciam esse pronuntiat, ideoque neutram earum in strophas componere conatus est. Ecce autem, successit tertius strophicae compositionis assertor, vir immortalis, God. Hermannus, qui non maiore quam ceteras partes negotio etiam hanc narrationem in strophas quinarias descripsit, ideoque illos certe versus, qui in strophas coirent, genuinos sibi videri ostendit. Resecuit autem Hermannus versus haud amplius viginti, quos aut ab interpolatore aut ex diversa recensione esse iudicaret, duos autem versus intercidisse statuit, atque sic strophas nactus est novem quinarias, non minus profecto quam alias quaslibet in omni theogonia probabiles, quum praesertim in versibus a viro summo resectis non pauci iustam offensionem habeant dudumque etiam aliis suspicionem interpolationis moverint. Apud alios tamen, quibus de strophica theogoniae compositione non persuasum sit, neque Hermanni ista descriptio, quamvis fortasse ingeniosa, quidquam valebit ad authentiam huius partis probandam, neque, si cum Gruppio et Soetberio de redigenda in strophas hac parte desperandum sit, propterea minus haec quam aliae quaevis, in quibus res melius procedere visa est, pro genuina habebitur. Atque ego quidem, quo diligentius in theogoniae formam et compositionem inquiro, tanto magis in eo iudicio confirmor, ut interpolationis suspicionem ad breviores ubique singulorum aut certe non multorum versuum locos restringendam, maiores autem partes carminis pariter omnes genuinas, h. e. ab ipso compositore theogoniae additas esse statuam. Scilicet omnis haec theogonia, qualem nos legimus, et cuius olim dissimilem formam fuisse nullo idoneo argumento demonstrari potest, compositorem prodit opus quasi tessellatum ex variis partibus concinnantem, qui quum universae compositionis argumentum

et descriptionem satis prudenter instituisset, tamen aequabilitatem partium parum curaret, neque ad scitam et aptam earum iuncturam et quasi mollem quandam membrorum commissuram efficiendam satis ingenio aut arte valeret. Hoc igitur iudicium, quemadmodum olim in Titanomachia, sic nunc in hac de Typhoeo narratione comprobare conabimur. Nam haec quoque pariter atque illa loco quidem iusto, h. e. eo quem universae compositionis consilium poscebat, inserta, sed minus bene cum proxima parte nexa est, multaque habet mira atque insolita et a ceteris theogoniae partibus abhorrentia. Dicemus autem de singulis versuum ordine servato.

Est autem statim in primo versu, quod offendere attentum lectorem possit:

Αὐτὰρ ἐπεὶ Τιτῆνας ἀπ' οὐρανοῦ ἐξέλασε Ζεύς.

Nam quos hic de caelo deiectos legimus, iidem paullo ante 632 ab Othrye contra Iovem ceterosque deos, qui Olympum tenuerint, proeliati esse dicuntur: *οἱ μὲν ἀφ' ὑψηλῆς Ὀθρύος, Τιτῆνες ἀγαυοί, οἱ δ' ἄρ' ἀπ' Οὐλύμποιο, θεοί, δωτῆρες ἐάων*: unde I. H. Vossius, sched. crit. II p. 364, Titanibus tanquam propriam sedem
5 in veteribus fabulis Othryn assignatam fuisse coniecit: quod si amplectamur, non apparet, quo iure nunc de caelo deiecti dicantur, nisi quis caeli nomen etiam in Othryis pariter atque in Olympi cacumina translatum esse statuat, id quod vereor ut probari possit. Sed quum Vossii ista coniectura haudquaquam certa sit, defendendi poetae nostri hanc fortasse viam inire licebit, ut dicamus habitasse initio etiam Titanes in Olympo, hinc autem cedere coactos Othryn occupasse, unde tandem depulsi a Iove et in Tartarum coniecti sint. Et profecto habitasse illos aliquando in Olympo non uno poetarum testimonio discimus. Primum in Operibus et Diebus v. 111 aureum genus hominum procreasse *ἀθάνατοι* dicuntur *Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες*, et quidem *ἐπὶ Κρόνου, ὅτ' οὐρανῷ ἐμβασίλευεν*, h. e. quo tempore Saturnus cum Titanibus imperium habebat. Deinde Aeschylus, Prometh. v. 149, quum de novis sub Iove deis loquens *νέοι γάρ*, dicit, *οἰακονόμοι κρατοῦσ' Ὀλύμπου*, ostendit etiam antiquos deos, h. e. Titanes, in Olympo regnasse, id quod confirmatur Promethei verbis, v. 957 sqq., *νέον νέοι κρατεῖτε καὶ δοκεῖτε δὴ ναίειν ἀπενθῆ πέργαμ'· οὐκ ἐκ τῶνδ' ἐγὼ δισσοὺς τυράννους ἐκπεσόντας ᾐσθόμην; τρίτον δὲ τὸν νῦν κοιρανοῦντ' ἐπόψομαι.* Sunt enim illi *δισσοὶ τύραννοι* Uranus et Saturnus, Titanum princeps, qui quum ex iisdem quas iam Iupiter

cum suis teneat arcibus deiecti esse dicantur, necesse est eandem omnium sedem in Olympo fuisse. Denique disertissimum testimonium dicit Apollonius Rhodius, Arg. II, 1232: *Οὐρανίδης Κρόνος εὖτ' ἐν Ὀλύμπῳ Τιτήνεσσιν ἄνασσεν.* — Olympi autem vertices etiam *οὐρανοῦ* nomine appellari, quia in caelum assurgere videbantur, satis constat, *οὐχ ὡς τοῦ Ὀλύμπου ἐπ' οὐρανοῦ ὄντος, ἀλλ' ἐπεὶ καὶ αἱ κορυφαὶ τοῦ ὄρους ὑπὲρ τὰ νέφη εἰσίν· ὁ δὲ ὑπὲρ τὰ νέφη τόπος οὐρανὸς καλεῖται ὁμωνύμως τῷ στερεμνίῳ*, ait vetus interpres Homeri ad Il. I, 497[1]). Poterimus ergo hanc interpretationem etiam huic theogoniae loco adhibere, ut dicamus *ἀπ' οὐρανοῦ* nihil aliud significare, quam *ἀπ' Ὀλύμπου*, qua interpretatione admissa iam nihil erit quod reprehendatur, nisi quis forte de antiqua Titanum sede Olympica nullam in superiore theogoniae parte mentionem factam esse criminetur. Sed huiusmodi reprehensio in titanomachiam potius quam in hanc de Typhoeo narrationem cadet, in qua satis fuit a caelo, h. e. ab Olympo, deiectos Titanes memorari, siquidem hanc illi sedem imperii habuerant, Othryn autem postea demum, quum amissum imperium recuperare conarentur, aliquamdiu tenuerant.

Sequitur v. 821:

ὁπλότατον τέκε παῖδα Τυφωέα Γαῖα πελώρη,

in quo nihil offensionis est. Nam *πελώρη* Terrae epitheton, licet Homero non usurpatum, tamen et in theogonia aliquoties, v. 159. 173. 479. 505. 731, et huius exemplo ab aliis tributum videmus, velut a Theognide v. 9: *ἐγέλασσε δὲ γαῖα πελώρη.* — *Ὁπλότατος* autem sine dubio natu minimum significat, quemadmodum supra de Saturno v. 137, de dracone aureorum malorum apud Hesperidas custode v. 333, de Iove v. 478, in quos omnes eadem significatio convenit: fuerunt 6
enim omnes fratrum minimi. Et Typhoeus quoque postremus fuit de Terrae filiis, iis quidem, quorum theogonia memoriam habet: nam Tityus, *γαίης ἐρικυδέος υἱός*, Od. XI, 575, aut Erechtheus, *ὃν ἔτεκε ζείδωρος ἄρουρα*, Il. II, 548, aliique apud alios nihil ad theogoniam pertinent. Quamquam etiam si quis *ὁπλότατον* cum veteribus quibusdam grammaticis de valido et viribus eximio interpretari malit, non alienum a Typhoeo epitheton esse apparet. Sed ista interpretatio vocabuli notatione nititur incertissima, immo manifesto falsa, multisque

1) Cf. schol. ad II, 458. III, 3. VIII, 46. 68. XIV, 288. Voss. sched. crit. II p. 201. Voelcker. geogr. Hom. p. 17.

locis nullo modo apta est. Nec minus incerta est Doederlini, viri praestantissimi, sententia, qui, Glossar. Hom. I p. 225, ὁπλότατος eiusdem atque ἁπαλός stirpis esse credit. Equidem etymologiam in medio relinquendam, significationem autem eam tenendam esse suadeo, quam nullus locus respuit, multi necessario flagitant. — Ceterum imitatus hunc theogoniae locum Vergilius videri potest, de Fama loquens, Aen. IV, 178: Illam Terra parens, ira irritata deorum, extremam, ut perhibent, Coeo Enceladoque sororem progenuit: in quo loco item dubitarunt veteres interpretes, quo sensu extrema diceretur, minimane natu, an pessima et deterrima, alii autem utrumque significari voluerunt, quoniam apud medicos partus extremi degenerare dicerentur.

In proximo versu 822:

Ταρτάρου ἐν φιλότητι διὰ χρυσέην Ἀφροδίτην

quum aureae Veneris commemoratio displicere potest, qua de re infra dicendum erit, tum iure offendimur hac inexpectata Tartari persona. Nam ceteris theogoniae locis omnibus tartarus nihil est nisi locus subterraneus vastaque vorago, sive infra orbem terrarum tantundem depressa, quantum superne caelum attollitur, sive in ipsius terrae sinu et cavitate. Vid. dissert. de extrem. mundi partium descr. Hesiod. ann. 1846 a nobis editam, p. 5 et 7. Neque diversa nominis significatio est v. 119: *Τάρταρά τ' ἠερόεντα μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης*, ubi ipsum genus neutrum numerusque pluralis de persona nos cogitare vetant; quumque multi eo loco Tartarum una cum Chao, Terra et Amore, qui ibidem memorantur, in primis rerum principiis numerari crediderint, verior sine dubio est eorum interpretatio, qui versum illum arctissime cum praecedente, *ἀθανάτων οἳ ἔχουσι κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου*, cohaerere statuunt, ut pendeat *Τάρταρα* a verbo *ἔχουσι*, significenturque duo genera deorum, qui in Olympo quique in Tartaro degant. Contra qui Tartarum patrem Typhoei fecit, sine dubio de pestifera quadam illius voraginis natura cogitavit, eamque naturam, poetarum more, persona indutam cum Terra tanquam coniuge copulavit. Neque id inepte: sed tamen, opinor, si unius poetae ingenio haec theogonia deberetur, is sine dubio etiam in superiore parte cosmogonica providisset, ut Tartarum nobis tanquam personam quandam divinam proponeret, ne nunc sic repente illum concumbentem cum Terra filiumque ex ea procreantem miraremur.

Incipit deinde roboris et figurae Typhoei descriptio his verbis:

οὔ χεῖρες μὲν ἔασιν ἐπ' ἰσχύϊ ἔργματ' ἔχουσαι
καὶ πόδες ἀκάματοι κρατεροῦ θεοῦ.

in quibus primum haec loquutio ἐπ' ἰσχύϊ ἔργματα ἔχειν non sine 7
causa insolens omnibus et obscura, nonnullis autem adeo intolerabilis visa est, ut ab emendatione remedium peterent. Et Clerici quidem ineptias referre piget: neque Guietum quisquam audiet, ἐπ' ἰσχύϊ θαῦμα ἀκοῦσαι rescribentem, hoc, ut opinor, sensu: *quae propter robur mirabiles auditu sunt.* Sed Mützellius, vir doctissimus, de emend. th. Hes. p. 171, correctionem proposuit primo quidem adspectu longe omnium lenissimam: nam non plus una littera mutata scribit ἐπ' ἰσχὺν ἔργματ' ἔχουσαι, idque dictum esse vult pro ἰσχὺν ἐπ' ἔργματ' ἔχουσαι, transpositionem praepositionis defendi posse ratus Homericis exemplis, Od. XI, 115: δήεις δ' ἐν πήματα οἴκῳ, pro πήματ' ἐν οἴκῳ, et Od. V, 155: παρ' οὐκ ἐθέλων ἐθελούσῃ pro οὐκ ἐθέλων παρ' ἐθελούσῃ. Laetaremur profecto tam leni remedio, remotaque sic non solum insolentia loquutionis ἔργματα ἔχειν pro ἐργάζεσθαι, sed etiam obscuritate verborum ἐπ' ἰσχύϊ, quae quomodo accipienda sint inter viros doctissimos non constat; sed veremur tamen ut Homerica exempla istam praepositionis collocationem comprobare possint. Nam in neutro illorum idem est duorum nominum casus, et haec ipsa casuum diversitas efficit, ut, ad utrum nomen praepositio pertineat, dubitari non possit, quod in huiusmodi loquutione, ἐπ' ἰσχὺν ἔργματα ἔχειν, secus esse apparet. — Heynius quod olim coniecerat ἐπισχερὼ ἔργ. ἐχ,. mox ipse repudiavit, quumque interpretationem postea tentatam ap. Wolf. p. 156, ut ἐπ' ἰσχύϊ ἔργματα ἔχειν esset i. q. ἰσχύϊ ἔργματα ἐπέχειν, *viribus res quas efficiant admovere sive occupare vires suas rebus agendis,* duriorem esse sentiret — est autem nullo modo probabilis —, acquievit tandem in eo, ut ἔργματ' ἔχουσαι pro ἐργαζόμεναι, ἐπ' ἰσχύϊ autem pro σὺν ἰσχύϊ dictum esse statueret. Hoc idem ante Heynium Wopkensius voluerat Lectt. Tull. p. 244, quamquam exemplis usus parum ad rem probandam idoneis. Nam apud Herodianum, quem citat, I, 13, est μένειν ἐπὶ ἡσυχίᾳ, *permanere in otio,* quo sensu etiam ἐφ' ἡσυχίας dici potuit, sicut in aliis loquutionibus, ubi status aut conditio indicatur, quam quis obtinet, ἐπὶ cum utroque casu construitur; in theogoniae autem versu 540: ὀστέα λευκὰ βοὸς δολίῃ ἐπὶ τέχνῃ εὐθετίσας κατέθηκε, quid significet δολίῃ ἐπὶ τέχνῃ non certe satis in aperto est. Utitur enim eodem illo versu Lennepius ad

probandam interpretationem nostri loci longe diversam, ut χεῖρες ἐπ' ἰσχύϊ ἔργματ' ἔχουσαι sint manus occupatae factis, quibus robur suum arguant — unde coniicias, eum ὀστέα δολίῃ ἐπὶ τέχνῃ εὐθετίσας κατέθηκε interpretatum esse in hunc fere modum: ossa scite composuit dolosi artificii exhibendi aut perficiendi causa, similiterque alterum, quem conferri iubet, versum 555: ὡς ἴδεν ὀστέα λευκὰ βοὸς δολίῃ ἐπὶ τέχνῃ, subaudito scilicet participio κατατεθέντα. Quod autem Matthiaeum antestatur, §. 585 ἐπὶ seq. dativo saepe propositum significare docentem: docet hoc sane Matthiaeus, neque res ignota est; sed significat propositum sic demum, si de re agitur, cuius vel efficiendae vel consequendae causa aliquid facimus, veluti διώλεσαν πόλιν ἐφ' ἁρπαγαῖσι h. e. praedae faciendae causa, aut οὐκ ἐπὶ τέχνῃ ἔμαθες, ὡς δημιουργὸς ἐσόμενος, ἀλλ' ἐπὶ παιδείᾳ h. e. didicisti non artis exercendae, sed comparandae eruditionis causa. Manus autem Typhoei vereor ut aut exercendarum aut comparandarum virium causa operatae sint. Restant Wolfius et Goettlingius, quorum alter, desperata probabili interpretatione, locum vix sanum esse pronuntiat, alter sanissimum esse affirmat, sed pro interpretatione nihil nisi ad v. 146 et 153 nos ablegat. Est autem illorum locorum non sane magna neque inter se neque cum hoc nostro similitudo. Alter enim sic habet, de Cyclopibus: ἰσχύς τ' ἠδὲ βίη καὶ μηχαναὶ ἦσαν ἐπ' ἔργοις, cui similis hic noster sic demum foret, si scriberetur ἐπ' ἔργμασιν ἰσχὺν ἔχουσαι, quemadmodum etiam Pausanias loquitur X, 32, 4: τὸ δὲ ἄγαλμα τοῦ Ἀπόλλωνος — ἰσχὺν ἐπὶ ἔργῳ παρέχεται παντί: vires ad omne opus idoneas. In altero autem loco, v. 153, ubi Centimanis tribuitur ἰσχὺς ἄπλητος, κρατερή, μεγάλῳ ἐπὶ εἴδει, praepositionis haec vis est, ut accessisse ad enormem illorum speciem etiam robur dicatur huic speciei congruum, quemadmodum apud Homerum Od. XVII, 454: οὐκ ἄρα σοί γ' ἐπὶ εἴδεϊ καὶ φρένες ἦσαν, et v. 308: εἰ δὴ καὶ ταχὺς ἔσκε θέειν ἐπὶ εἴδεϊ τῷδε. Ad hunc igitur modum si nostrum locum interpretabimur, Typhoei manus ad robur, quo pollebant, etiam opera habuisse s. perpetrasse dicentur huic robori congrua: ac nescio an haec interpretatio non certe deterior habenda sit, quam quas alii protulerunt. Quamquam fatendum tamen est, miro quodam et perobscuro genere dicendi poetam usum esse. — Sed restat alia in hoc versu difficultas, quam mireris ab omnibus silentio praetermissam esse, praeterquam ab Hermanno. Is enim veris-

sime, diss. de theog. form. antiq. p. 19, „quo modo," inquit, „ἔασιν dici potuit de eo, qui postea fulmine ictus et in tartarum deiectus est? de quo ἔσαν dici debebat, ut factum v. 829." Profecto praesentis temporis explicandi nulla probabilis ratio excogitari potest. Nam deiectus in tartarum Typhoeus, quamvis non interemptus, fractus tamen et debilitatus iacet, ἐξεβροντήθη σθένος, ut Aeschyli verbis utar, καὶ νῦν ἀχρεῖον καὶ παράορον δέμας κεῖται, cui quamvis etiam hic Hesiodeus poeta talem quandam vim superfuisse statuerit, ut motibus suis terram superimpositam concuteret flammasque ex ore exhalaret, manus tamen certe ἐπ' ἰσχύϊ ἔργματ' ἔχουσαι non amplius dici potuerunt. Itaque Hermannus totum versum tanquam suppositicium resecuit; cui quum proximus arctissime copulatus sit, hunc quoque eadem sectione removit, quo facto quum qui sequitur v. 825 iam cum praecedentibus construi nequeat, pro ἦν ἑκατὸν κεφ. reponendum censuit τοῦ δ' ἑκατὸν κεφαλαί. Sed ne hoc quidem satis. Nam qui restant versus 820—22 et 825—27, licet uno constructionis tenore sententiam absolvant, strophae tamen, qualem Hermannus quaerebat, quinariae mensuram uno versiculo excedunt, quamobrem unus insuper eximendus erat, quo facillime careri poterat, v. 821. Nam aliam huius delendi causam vir summus nullam habuit. Quid igitur? imitabimurne hoc genus medicinae, hactenus saltem, ut, si non tres, duos tamen versus 822. 3 removeamus? Sed unde tandem hos versus illatos esse dicemus? An ab interpolatore? Atqui ne interpolatorem quidem fugere potuit, praesens tempus ἔασι rei non conveniens esse, quamobrem, si augere aliquo additamento carmen voluit, adaptasset illud etiam huic contextui. Itaque abiecta ista interpolationis suspicione aliam medicinam circumspiciemus: neque ea difficilis inventu est. In codice enim Veneto I verbum ἔασι non extat: quod licet casu sine dubio factum sit, admonere tamen verae rationis potest. Nimirum simili quodam casu factum est, ut in antiquo exemplo, unde no- 9
strorum codicum scriptura fluxit, vocabulum post χεῖρες μὲν excideret, non illud quidem, quo mox imperiti correctores lacunam sarcire conati sunt, ἔασι, sed adiectivum quoddam ad χεῖρες appositum, quale est ἄαπτοι, quo et Homerus saepissime, et theogoniae poetae v. 649 de Centimanorum manibus utitur. Nam verbum substantivum, ἦσαν, in hoc contextu omitti potuisse nemo non intelligit, quum praesertim mox ἦν v. 825 sequatur. Exempla conquirere nihil opus est. Cf. modo

th. v. 153: ἰσχὺς δ' ἄπληστος κρατερῇ μεγάλῳ ἐπὶ εἴδει. Hom. Od. V, 236. Il. IV, 328. V, 266, quorum similia ubivis occurrunt.

Sequitur v. 824—828:

ἐκ δέ οἱ ὤμων
ἦν ἑκατὸν κεφαλαί ὄφιος, δεινοῖο δράκοντος,
γλώσσῃσι δνοφερῇσι λελιχμότες, ἐκ δέ οἱ ὄσσων
θεσπεσίῃς κεφαλῇσιν ὑπ' ὀφρύσι πῦρ ἀμάρυσσε,
πασέων δ' ἐκ κεφαλέων πῦρ καίετο δερκομένοιο.

In his ἐκ δέ οἱ ὤμων ἦν ἑκ. κεφ. dictum est ad similitudinem versus 151: κεφαλαὶ δὲ ἑκάστῳ πεντήκοντα ἐξ ὤμων ἐπέφυκον, qui repetitur v. 672. Verbum ἦν autem non, cum recentioribus quibusdam, pro singulari numero per schema Boeoticum posito, sed cum veteribus grammaticis, Herodiano π. μον. λέξ. p. 44. Choerobosco Bekk. p. 1293 aliisque, pro decurtata forma plurali accipiendum esse nunc quidem satis constat. Cf. Lehrs in Mus. Rhen. nov. II p. 125. Ahrens de dial. dor. p. 326. Sed pro λελιχμότες quod Guietus coniecerat λελιχμότος, postea in duobus codicibus inventum et a nonnullis probatum est, qui masculinam participii formam nomini feminino appositam aegre ferrent. Tamen rem ipsam accuratius reputanti haec lectio vix placere poterit. Nam quum dicitur κεφαλαὶ ὄφιος, δεινοῖο δράκοντος, genitivo singularis numeri non unum aliquem draconem, sed genus tantummodo universum designari apparet, quasi dicas κεφαλαὶ ὀφιόνεαι, δρακόντειαι: quum autem dicuntur linguis atris lambere, hoc non iam ad generis universi descriptionem pertinet, sed ad haec tantum centum Typhoei capita: quamobrem participium potius cum κεφαλαί quam cum ὄφιος aut δράκοντος construendum fuit. Et capita lambentia videmus etiam apud Aristoph. Vesp. v. 1054: ἑκατὸν δὲ κύκλῳ κεφαλαὶ κολάκων οἰμωξομένων ἐλιχμῶντο. Usus igitur poeta est schemate Euboico, masculinam participii formam pro communi usurpans, (cf. Cramer. Anecd. IV p. 270,) quemadmodum πληγέντε apud Hom. Il. VIII, 455, προλιπόντε in Hesiod. O. et D. v. 199, aliaque apud schol. Soph. Oed. Col. v. 1676, Philem. lex. techn. s. v. εὐφυής, Phavorin. Ecl. p. 781, Wernsdorf. ad Himer. XIII, 23, Musgr. ad Eur. Iphig. T. v. 844, Valcken. Diatr. p. 175, Lobeck. Agl. p. 216 sq. denique Hermann. ad Orph. hymn. LXXVIII, 4 et Add. p. XIII, ubi etiam hunc theogoniae versum eodem refert. Pro λελιχμότες codices plerique λελειχμότες: sed altera forma mihi cum Lennepio ad h. l. et Nauckio ad Aristoph. Byz. fr. p. 48 probabilior videtur.

— In proximo versu ὑπ' ὀφρύσι similiter dictum, atque apud Homerum Il. XV, 607: τὼ δέ οἱ ὄσσε λαμπέσθην βλοσυρῇσιν ὑπ' ὀφρύσιν: et vellem ad hoc exemplum etiam reliqua paullo propius accederent in hunc modum: θεσπέσιον βλοσυρῇσιν ὑπ' ὀφρύσι πῦρ ἀμάρυσσε. Nam meo iudicio epitheton igni potius quam capitibus debebatur, quorum repetita commemoratio non solum supervacanea, sed etiam molesta est: nec de casu dativo satis liquet, commodine cum Goettlingio, an loci cum Hermanno diss. p. 19 dicendus sit. Quamquam hoc equidem verius puto, quoniam dativus commodi iam in superiore versu est, ἐκ δέ οἱ ὄσσων. Ceterum ὄσσων forma est Homero inusitata, neque in Hesiodeis alibi extat. Sed in Scuti parte ea, quam recentiorem esse constat, aliquoties ὄσσοις legitur, v. 145. 426. 430, et utramque formam aeolicae, ut videtur, et doricae dialecti propriam, posteriores poetae saepius usurparunt. Vid. Ahrens de dial. aeol. p. 236. Apud epicos nullum antiquius exemplum esse arbitror, quam hymn. Hom. XXXI, 9: σμερδνὸν δ' ὅγε δέρκεται ὄσσοις. Etiam verbum ἀμαρύσσω ab Homeri sermone alienum est, neque in Hesiodeis praeterquam hoc loco legitur. Affertur tamen verbale nomen ἀμάρυγμα ex Hesiodo ap. Etym. M. p. 77, 3[2]). — Postremo versui, πασέων δ' ἐκ κεφαλέων πῦρ καίετο δερκομένοιο, merito obelum appositum esse nemo diffitebitur. Qui varias olim recensiones theogoniae fuisse volunt, hunc in alia recensione pro duobus superioribus scriptum fuisse iudicant. Nobis credibilius est, adscriptum esse ab aliquo, sive ex alio quopiam carmine, comparandi gratia, sive ex ingenio, ut aemularetur cum altero, id quod non paucis locis factum esse etiam Rankius statuit ad Scut. p. 332. Quamquam Wolfio, ad Scut. p. 183 et v. 293, mali poetae etiam ipsi nonnunquam sui interpolatores fuisse videntur, quorum in numero si quis etiam hunc nostrum habeat, equidem non intercedam. Et causam sui interpolandi aut eam habere potuit, quam Lennepius coniecit, ut maiore cum emphasi ex *omnibus* quotquot erant capitibus, quoties contueretur Typhoeus, ignem erupsisse, aut ut ignem illum non solum *splenduisse* sed etiam *arsisse* affirmaret.

Septem proximis versibus, 829—835, Typhoei voces mirae ac multiplices describuntur:

---

2) Verbum ἀμαρύσσειν legitur hymn. in Mercur. v. 279 et 415: ducta autem hinc nomina Ἀμαρυγκεύς et Ἀμαρυγκείδης etiam in Iliade sunt.

φωναὶ δ' ἐν πάσῃσιν ἔσαν δειναῖς κεφαλῇσι
παντοίην ὄπ' ἰεῖσαι ἀθέσφατον· ἄλλοτε μὲν γὰρ
φθέγγονθ' ὥστε θεοῖσι συνιέμεν, ἄλλοτε δ' αὖτε
ταύρου ἐριβρύχεω, μένος ἀσχέτου, ὄσσαν ἀγαύρου,
ἄλλοτε δ' αὖτε λέοντος ἀναιδέα θυμὸν ἔχοντος,
ἄλλοτε δ' αὖ σκυλάκεσσιν ἐοικότα, θαύματ' ἀκοῦσαι,
ἄλλοτε δ' αὖ ῥοίζεσχ', ὑπὸ δ' ἤχεεν οὔρεα μακρά.

Si cui forte displiceant *φωναὶ ὄπ' ἰεῖσαι*, quum alibi ipsae *φωναὶ* mitti, *ἵεσθαι*, dicantur, huic opponi poterit, vocabulum illud, sicut vocem apud Latinos, non solum de sono, sed etiam de facultate dici sonum mittendi. Verbi *ἱέναι* psilosin verissime, ut arbitror, Goettlingius aeolicam esse statuit, quo minus eam in Hesiodeo carmine mirabimur. Dixit autem ad hoc exemplum etiam Homericus poeta, hymn. in Dian. XXVII, 18, *αἱ δ' ἀμβροσίην ὄπ' ἰεῖσαι*, quo loco quod Hermannus reponebat *ἄμβροτον ὄσσαν ἰεῖσαι*, mihi non magis quam Naekio ad Choeril. p. 146 probandum esse videtur. Neque magis Hermanno assentior de verbis *φθέγγονθ' ὥστε θεοῖσι συνιέμεν*, qui-
11 bus ille quum ingentem vocis sonum significari crederet, qui in ipsis deorum sedibus exaudiretur, hoc potius dicendum fuisse censuit, usque ad caelum eius sonum pervenisse: nam, inquit, dii facile omnia exaudire credebantur. Atqui *συνιέμεν* non de audiendo, sed de intelligendo accipiendum erat, quemadmodum a superioribus interpretibus plerisque acceptum est. Neque igitur quanta, sed qualis vox Typhoei fuerit, his verbis indicatur, talis scilicet, quam dii intelligerent, hoc est deorum sermoni congrua. Nam proprium quendam deorum sermonem fuisse non uno testimonio discimus [3]). Quodsi quis tamen hoc reprehendat, voces, quas dii intelligant, pro sermone divino dici, quasi dii non etiam aut hominum sermonem aut bestia-

3) Qualis fuerit sermo deorum, multi quaesiverunt, ab Homeri locis profecti, ubi quaedam eius propria vocabula afferuntur. Vid. praeter Goettling. ad h. l. Koeppen. ad Il. I, 404. Usteri in Wolfii lectt. ad Il. II, 813. Nitzsch. ad Odyss. tom. III p. 133. Naegelsbach. Theol. Hom. p. 177. Id. ad Il. I, 403. Lobeck. Agl. p. 858. Nos nunc unum adscribemus locum Clementis Alex. Strom. I, 21 §. 143: *ὁ Πλάτων δὲ καὶ τοῖς θεοῖς διάλεκτον ἀπονέμει τινὰ, μάλιστα μὲν ἀπὸ τῶν ὀνειράτων τεκμαιρόμενος καὶ τῶν χρησμῶν, ἄλλως δὲ καὶ ἀπὸ τῶν δαιμονώντων, οἳ τὴν αὐτῶν οὐ φθέγγονται φωνὴν οὐδὲ διάλεκτον, ἀλλὰ τὴν τῶν ὑπεισιόντων δαιμόνων. Οἴεται δὲ καὶ ἀλόγων ζώων διαλέκτους εἶναι, ὧν τὰ ὁμογενῆ ἐπακούειν.*

rum voces intelligere potuerint, quas quidem etiam a vatibus intellectas esse legimus[4]), non repugnabo equidem: modo ne, quidquid reprehendi iure potest, propterea statim spurium esse dicamus. Quippe etiam Homerum nonnunquam dormitasse constat: hic autem, qui theogoniam aut hanc theogoniae partem composuit, poeta fuit perquam mediocris, et cum Homeri certe praestantia nullo modo comparandus. Ceterum genus hoc loquendi, dicere quod dii intelligant pro deorum sermone uti, comprobari potest non absimilibus aliorum scriptorum exemplis. Sic enim Thucydides I, 3, *ὅσοι ἀλλήλων ξυνίεσαν*, qui se mutuo intelligebant, dixit pro *ὅσοι ὁμόγλωσσοι ἦσαν*, qui eodem sermone utebantur, et in mysteriorum edictis invitabantur *ὅστις χεῖρας καθαρὸς καὶ φωνὴν συνετός*, cuius manus purae essent sermoque intelligeretur, h. e graece loquens, ut recte Lobeckius explicat Aglaoph. p. 15, qui contulit etiam Max. Tyr. XIV, 267: *τὸ βαρβαρικὸν τοῦ Ἑλληνικοῦ διήρηται φωνῆς συνέσει.* In structura verborum *φθέγγονθ᾽ ὥστε θεοῖσι συνιέμεν* dativum casum *θεοῖσι*, cuius loco etiam accusativus poni potuit, recte Goettlingius explicavit. Est enim dativus quem commodi vocare consuevimus, quasi dicas: sonabant sic, ut esset diis ad intelligendum, h. e. ut a diis intelligeretur. De particula *ὥστε* minus assentior doctissimo amico. Neque enim eam proprie idem significare credo, quod usque ad, sed habere semper quandam comparandi vim, id quod dudum Immanuel Bekkerus monuit, atque hinc eius cum infinitivo structuram explicavit, ubi effectus alicuius rei indicatur, Diar. litt. Ien. ann. 1810 no. 186 p. 283. Nempe causa qualis aut quanta sit, non aliunde nisi effectus comparatione aestimare ac metiri possumus, qua de re cf. A. Trendelenburgium Quaestt. logic. I p. 286. Effectum autem Graeci nudo infinitivo indicant, et activi quidem generis, ubi satis est actionem sim- 12
pliciter indicari, quae utrum in eo an ab eo fiat, de quo ante dictum est, res ipsa dubitare non sinat. — Versu proximo *ἐριβρύχεω* voca-

4) Velut a Melampode, qui quomodo eam facultatem oaetus sit, docet Apollod. I, 9, 11. — Quid? quod ad alitum colloquia iotelligeoda etiam Democritus viam monstrasse dicitur ap. Plin. H. N. X c. 49: quod merito miratur Gellius N. A. X, 12, 17. Mious mirabimur Apollonium Tyanensem passerum colloquia iotelligeotem, ap. Philostratum in ei. vit. IV c. 1. Barbaros quosdam avium sermoois gnaros Porphyrius memorat, de abst. III, 4 p. 221, idemque, ib. c. 3 p. 220, de puero narrat eadem facultate praedito, sed mox privato, quum mater in aures eius imminxisset.

bulum ab hoc poeta factum videri potest, quem posteriores quidam imitati sunt. Nam apud Homerum ceterosque antiquiores non invenitur. In eodem versu ὄσσαν sensu magis generali, quam apud Homerum assolet, usurpatum esse iam alii notarunt, velut Buttmannus Lexilog. I p. 24: de bestiarum voce qui dixerit praeter nostrum poetam neminem novi. Accusativum ut construamus cum adiectivo ἀγαύρου, ad eundem modum quo antea μένος ἀσχέτου, ipsa concinnitas et verborum collocatio postulat. Sic tamen genitivus ταύρου, itemque in proximo versu λέοντος, non habet unde pendeat: nam φθέγγεσθαι ταύρου, λέοντος, pro φθέγγεσθαι φθογγὸν ταύρου, λέοντος h. e. ταυρηδόν, λεοντηδόν, vereor ut accipi possit. Malim igitur rescribi ὄσσαν ἄγαυρον. Voci quidem hoc epitheton alibi non memini additum: sed apparet, qui ὄσσαν ἄγαυρος, eius etiam ὄσσαν ipsam ἄγαυρον dici potuisse. Est autem hoc vocabulum omnino e rarioribus, neque invenitur ante Herodotum VII, 57, ubi de insolentia et superbia dicitur. Originem ab ἄγαμαι, unde est etiam ἀγαυός, nemo non agnoscit. Conf. Doederlin. Gloss. Hom. p. 53. — Versu 835 paullo concinnius h. e. superioris orationis conformationi convenientius, pro ῥοίζεσχ', ὑπὸ δ' ἤχεε scribi potuit ῥοίζεσκον, ὑπήχεε δ' —; nec tamen aegre ferimus talem inconcinnitatem. Ceterum ῥοίζεσκον, non ῥοίζασκον, scribendum iudicavi cum Goettlingio: quamquam etiam altera forma, ex plerisque codicibus a Lennepio recepta, non utique damnanda est. Grammaticorum de his formis praecepta, et quae his vel congruunt vel adversantur exempla diligentissime Spitznerus persequutus est, Obss. in Quint. Smyrn. p. 209—215.

Post absolutam Typhoei descriptionem ad certaminis cum Iove narrationem deducimur transitu sane quam subito et abrupto v. 836—838:

καί νύ κεν ἔπλετο ἔργον ἀμήχανον ἤματι κείνῳ,
καί κεν ὅγε θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισιν ἄναξεν,
εἰ μὴ ἄρ' ὀξὺ νόησε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Ἤματι κείνῳ qua ratione dictum sit, equidem nescio. Goettlingius epicum esse ait pro τότε: sed opinor tamen nonnihil discriminis esse. Nam τότε universe dici potuit de illo tempore, quod fuit postquam Typhoeum terra pepererat; ἤματι κείνῳ dici non potuit, certe non debuit, nisi quinam esset ille dies aut ex proxime praecedentibus aut ex universo contextu narrationis intelligi posset, aut subiuncta enuntiatione relativa definiretur, quemadmodum fit apud Homerum Il. III,

189: *ἤματι τῷ, ὅτε τ' ἦλθον Ἀμαζόνες ἀντιάνειραι* [5]). Reliqua exempla Homerica haec sunt: Il. II, 37 de Agamemnone: *φῆ γὰρ ὅγ' αἱρήσειν Πριάμου πόλιν ἤματι κείνῳ*, ubi manifestum est illum ipsum diem designari, qui tunc illuxerat, postquam nocturno somnio Agamemno ludificatus erat. Ib. v. 482: *τοῖον ἄρ' Ἀτρείδην θῆκε Ζεὺς ἤματι κείνῳ*, h. e. illo ipso die proelii, in cuius narratione poeta quum maxime versatur. Eadem est ratio IV, 543: *πολλοὶ γὰρ Τρώων καὶ Ἀχαιῶν ἤματι κείνῳ πρηνέες ἐν κονίῃσι παρ' ἀλλήλοισι τέταντο.* Denique Il. XVIII, 324: *ὢ πόποι, ἦ ῥ' ἅλιον ἔπος ἔκβαλον ἤματι κείνῳ, θαρσύνων ἥρωα Μενοίτιον ἐν μεγάροισιν*: obversatur loquenti illius diei memoria, quo Menoetium consolatus erat. Ab his igitur omnibus nostrum locum diversum esse apparet, ut 13
ego quidem ineptum imitatorem mihi agnoscere videar, clausulam versus Homericam non recte usurpantem. Goettlingius autem hunc versum alius recensionis esse suspicatur pro eo, qui nunc ei subiunctus est, versu 837: idemque etiam Hermannus vult, diss. laud. p. 19. 20, scilicet quod alterutro versu deleto reliqui usque ad 841 in stropham quinariam coeunt. Mihi neque hoc stropharum studium neque diversarum recensionum suspicio magnopere placet: et si maxime fuerint duae recensiones, vix tamen credibile fuerit, in altera earum solum v. 836, non autem 837 fuisse; nam necesse erat, quod in illo dicitur *ἔργον ἀμήχανον*, quale esset, disertius indicari, id quod fieri videmus versu 837. — Versus 838 totidem verbis est apud Homerum, Il. VIII, 132.

Iam incipit certaminis descriptio, et primum quidem Iupiter inducitur tela sua vehementer magnoque cum strepitu contorquens, v. 839—843:

σκληρὸν δ' ἐβρόντησε καὶ ὄμβριμον, ἀμφὶ δὲ γαῖα
σμερδαλέον κονάβησε καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,
πόντος τ' Ὠκεανοῦ τε ῥοαὶ καὶ τάρταρα γαίης·
ποσσὶ δ' ὑπ' ἀθανάτοισι μέγας πελεμίζετ' Ὄλυμπος
ὀρνυμένοιο ἄνακτος, ὑπεστενάχιζε δὲ γαῖα.

Horum partem ex Homeri imitatione fluxisse videmus, verbis aut iisdem, quibus ille utitur, aut leviter immutatis. Nam *σμερδαλέον κονάβησε* v. 840 habet Il. II, 334 et saepius, *καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν*

5) Eiusdem generis exempla sunt Il. V, 210. VI, 345. VIII, 474. IX, 253. 439. XIV, 250. XV, 76. XVIII, 85. XIX, 60. Od. XX, 19 et Theog. v. 291 et 390.

Il. XV, 36: quamquam hoc etiam in reliquis theogoniae partibus aliquoties legitur. In versu 842 facile agnoscas Homericum Il. VIII, 443, τῷ δ' ὑπὸ ποσσὶ μέγας πελεμίζετ' Ὄλυμπος, et v. 843 ὑπεστενάχιζε δὲ γαῖα est ex Il. II, 95: ὑπὸ δὲ στοναχίζετο γαῖα. Proprii nostri poetae sunt v. 839 et 841: nam τάρταρα γαίης Homerus nulla novit, neque σκληρὸν βροντᾶν sed δεινὸν dicere solet. Posteriores autem, inde ab Herodoto VIII, 12, — nam antiquius exemplum extare non videtur, — σκληρὰς βροντὰς saepius dixerunt. Vid. Ellendt. ad Arrian. E. A. I, 17, 6 et intt. ad Suid. vol. II, 2 p. 798 Bernh.

In proximis versibus 844—847:

καῦμα δ' ὑπ' ἀμφοτέρων κάτεχεν ἰοειδέα πόντον
βροντῆς τε στεροπῆς τε πυρός τ' ἀπὸ τοῖο πελώρου,
πρηστήρων ἀνέμων τε κεραυνοῦ τε φλεγέθοντος·
ἔζεε δὲ χθὼν πᾶσα καὶ οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσα.

non constat apud interpretes, quid significetur verbis ὑπ' ἀμφοτέρων. Nam Goettlingius quidem, etiam in altera editione, Olympum et terram intelligi vult, quoniam his duobus mare inferius sit. Atqui mare etiam terra inferius esse vereor ut concedi possit: potius magna terrae pars sub mari est, τοῦ ὕδατος περὶ τὴν γῆν περιτεταμένου, ut ait Aristot. Meteor. II, 2, 5, veteresque physici omnes terrae infimum locum, sub aqua non minus quam sub aere assignant, quemadmodum est apud Lucilium iuniorem, de Aetn. v. 101: sors data caelo prima, sequuta maris deseditque infima tellus. Cf. Cic. d. N. D. II, 26. 39. 45. Audiendus itaque Hermannus erat, in censura ed.
14 Goettl., Opusc. VI, 1 p. 188, Iovem potius sive Iovis fulmina et Typhoeum eiusque ignes intelligendos esse monens, quam etiam veterum interpretum sententiam fuisse schol. Ven. ostendunt: ὑπὸ τοῦ Διὸς καὶ τῶν κεφαλῶν τοῦ Τυφωέως, τοῦ μὲν διὰ τὰς βροντάς, τοῦ δὲ διὰ τὰ πνεύματα. — Ἰοειδέα πόντον ad Homeri exemplum dictum esse non est quod moneam. Quod autem in sequentibus versibus primum Iovis tela memorantur, βροντή et στεροπή, tunc Typhoei πῦρ et πρηστῆρες, ac deinde rursus κεραυνός, quem Iovis esse dubitari nequit, non levem sane offensionem habet, quam removit Mützellius p. 165 membris in hunc modum transpositis:

βροντῆς τε στεροπῆς τε κεραυνοῦ τε φλεγέθοντος,
πρηστήρων τ' ἀνέμων τε πυρὸς ἀπὸ τοῖο πελώρου.

cui quum Lennepius propterea se assentiri posse negat, quod non appareat causa, quae librarios ad turbandum tam aptum et concinnum

ordinem impulerit, non reputavit scilicet vir alioquin consideratissimus, mutationes a librariis multo saepius casu et errore quam consulto factas esse. Goettlingio vero haec vivida, ut ait, reciprocatio, quam vulgata lectio habeat, illi quam Mützellius suasit collocationi longe etiam praestare videtur. Nimirum poeta fervore quodam animi abreptus quum *κεραυνόν* suo loco nominare oblitus esset, postea saltem, quamvis loco minus apto, commemorare voluit. De hoc igitur pro se quisque statuat: mihi tamen de isto hominis fervore non satis liquere profiteor, hoc autem intelligere videor, bonum poetam — bonus autem nemo nisi prudens est — sic potius verba ordinare debuisse ut Mützellius voluit, utque etiam postea ordinata sunt v. 854, qui versus repetitus est ex Titanomachia v. 707. Mutata autem verborum collocatione etiam copulam post *πυρός* deleri quam conservari verius fuit. Nam in codicibus cur ea addita sit, causa in aperto est; altero autem ordine restituto non videntur venti simpliciter, sed ignei tantum venti commemorari debuisse, *ἄνεμοι πυρός*, quemadmodum fulminis ventos Vergilius dixit Aen. II, 694, et *πρηστῆρας πυρὸς* Colluthus v. 52, loco iam a Mützellio citato. Ita *πρηστήρων τ' ἀνέμων τε πυρός* dictum esse statuemus ad eum modum, quo saepenumero post speciem genus universum per copulam adiungitur: presteribus aliisque ventis igneis. (Vid. comm. ad Plut. Ag. p. 74 sq.) Nam presteres ipsos quoque ventos igneos esse notum est. — In vulgata autem lectione — nolumus enim hanc prorsus respuere — rursus dubitationem movet copula *τε* post *πρηστήρων* in aliis codicibus addita, in aliis omissa. Qui eam tuentur, Hermannus Opusc. l. l. et Lennepius, *πρηστήρων τ' ἀνέμων τε* per figuram *ἓν διὰ δυοῖν* dictum volunt: quod quale sit, non satis me perspicere fateor, neque arbitror illam figuram recte adhiberi, nisi ita, ut generalioris significationis vocabulo alterum adiungatur speciem designans, ad notionem rei antea universe significatae accuratius definiendam: quamobrem *ἀνέμων τε πρηστήρων τε* dici fortasse potuit pro *ἀνέμων πρηστηρίων*; at *πρηστήρων τ' ἀνέμων τε* non aliter accipi licet, quam de presteribus ceterisque in universum ventis. Vere autem Goettlingius in ed. 1. observavit, non sic ventos in universum commemorari debuisse, sed calidos tantum sive igneos, quales habemus, si Mützellii transpositionem sequimur; in vulgata lectione non item. Quamobrem in hac equidem satius puto copulam post *πρηστήρων* cum Goettlingio aliisque delere, ut *πρηστήρων* instar adiectivi sit ad *ἀνέμων* appositi. Nam quod Lennepius ait, 15

copulam sic collocatam non convenire epicorum sermoni: sit ita sane; sed sunt etiam alia in hac parte a ceterorum epicorum sermone abhorrentia: apud alios autem talem collocationem particulae haud ita raram esse constat. Cf. Hermann. ad Eurip. Hec. v. 77. Reisig. comm. crit. ad Soph. Oed. Col. v. 443. — Sed dicendum est etiam de duplicis recensionis suspicione in hoc rursus loco ab Hermanno mota, nec Goettlingio improbata. Censuit enim ille alteram recensionem solum versum 846 absque 845, alteram hunc solum absque illo habuisse. Equidem versu 845 careri potuisse concedo: hunc autem solum ab aliquo vetere poeta positum esse non adducor ut credam. Tribuisset enim ille sic Iovi sonitum tantummodo et fulgorem, detraxisset autem fulmen, in quo solo omnis feriendi et incendendi vis est. Vid. de *βροντῆς, ἀστραπῆς* et *κεραυνοῦ* discrimine Aristot. Meteor. II, 9, 7 sqq. cum Ideleri comm. p. 615. — Unum adhuc dicendum restat, quamquam minus illud ad hunc locum, quam ad superiorem Typhoei descriptionem pertinens. Nempe legimus modo de igne Typhoei, quo non minus quam Iovis fulmine terra, caelum, mare efferbuerint; in ista autem descriptione nullum nisi oculorum ignem commemoratum vidimus. Quid igitur? huncine fuisse dicemus, quo illa incensa sint? Atqui oculis ignem atque ardorem prudentes poetae tantum propter similitudinem tribuere solent, non quasi vere incendere atque urere possint, sed quia splendent coruscantque ad ignis instar. Quid desideretur apparet: scilicet Typhoeum ignem halitu oris evomuisse, ut est apud Apollodorum I, 6, 3, 5: *πολλὴ δὲ ἐκ τοῦ στόματος πυρὸς ἐξέβρασσε ζάλη*, quemadmodum Chimaera dicitur th. v. 319 *πνέουσα ἀμαιμάκετον πῦρ*, et boves Aeetae apud Pindarum Pyth. IV, v. 400, *οἳ φλόγ' ἀπὸ ξανθᾶν γενύων πνέον καιομένοιο πυρός*, similiterque alii apud alios. Praetermissum igitur in ista descriptione illud ipsum esse fatebimur, quod omnium maxime ad rem pertineret.

Tanta porro fuisse dicitur certaminis vehementia, ut non solum mare exaestuaret omniaque concuterentur, sed etiam inferorum rex et Titanes in Tartaro inclusi hoc tumulto contremiscerent, v. 848—852:

θῦε δ' ἄρ' ἀμφ' ἀκτὰς περί τ' ἀμφί τε κύματα μακρὰ
ῥιπῇ ὕπ' ἀθανάτων, ἔνοσις δ' ἄσβεστος ὀρώρει.
τρέε δ' Ἀΐδης, ἐνέροισι καταφθιμένοισιν ἀνάσσων,
Τιτῆνές θ' ὑποταρτάριοι, Κρόνον ἀμφὶς ἐόντες,
ἀσβέστου κελάδοιο καὶ αἰνῆς δηϊοτῆτος.

In primo versu Hermannus, diss. p. 20, insolitam praepositionum

cumulationem ἀμφ' ἀκτὰς περί τ' ἀμφί τε vix ferri posse ait, quare excidisse versum suspicatur, in quo scilicet fuerit aliquid, quocum haec περί τ' ἀμφί τε κύματα μακρὰ constructione cohaererent. Mihi haec insolentia ab huius versificatoris arte et ingenio haudquaquam aliena videtur, qui posteaquam ἀμφ' ἀκτὰς dixit, vim praepositionis iterum ac dupliciter inculcavit, magis versus explendi quam sententiae causa. Nam hoc quidem περί τ' ἀμφί τε etiam Homerus habet Il. XVII, 760: πολλὰ δὲ τεύχεα καλὰ πέσον περί τ' ἀμφί τε τάφρον, et hymn. Hom. in Cer. 276: περί τ' ἀμφί τε κάλλος ἄητο, ab aliis autem etiam περιαμφί coniunctim dicebatur: neque absimile est 16
ἀμφὶ περὶ κρήνην, Iliad. II, 305, aut περὶ πίδακας ἀμφί apud Theocrit. VII, 142. Nos quoque, opinor, non laudaremus quidem, sed ferremus tamen fortasse si quis auderet dicere: Um die Ufer um und um thürmten sich die Wogen. — Proximus versus ex titanomachia expressus est, ubi totidem fere verbis legitur v. 681: ῥιπῇ ὕπ' ἀθανάτων, ἔνοσις δ' ἵκανε βαρεῖα. — Hermannus quidem, diss. p. 20, nostro loco ὑπ' ἀμφοτέρων pro ὑπ' ἀθανάτων legi voluit. „Nam“ inquit „soli inter se Iupiter et Typhoeus depugnant.“ Atqui fuerunt hi duo immortales, quamobrem nihil mutandum est. In sequentibus manifesta est imitatio loci Homerici in theomachia, Il. XX, 61: ἔδδεισεν δ' ὑπένερθεν ἄναξ ἐνέρων Ἀϊδωνεύς. Addidit noster poeta Titanes, sed in his quoque Homeri verbis usus, Il. XIV, 274, ubi sunt οἱ ἔνερθε θεοὶ Κρόνον ἀμφὶς ἐόντες, vocanturque ὑποταρτάριοι v. 279. Sed de lectione nostri loci non constat. In nonnullorum codicum scriptura, τρέσσ' Ἀΐδης, offendit asyndeton; quae in aliis extant, τρέσσε δ' Ἀΐδης aut τρέσσε δ' Ἅδης, horum altero versus pessumdatur, alterum nominis formam habet inauditam et incredibilem. Verum videtur, quod Lennepius Mützellii monitu reposuit, τρέε δ' Ἀΐδης, quam scripturam Tricha de metr. p. 72 itemque Elias p. 82 suppeditant, breves duas syllabas per synizesin pro una longa esse docentes. Est autem etiam tempus imperfectum hoc loco aptissimum, eodemque etiam supra poetam uti videmus v. 842 πελεμίζετο, 844 κάτεχεν, 847 ἔζεε, cum diutina repraesentatione, ut in simili re Gellius ait N. A. X, 3, 12: nam sunt haec omnia eiusmodi, in quorum contemplatione auditoris animum quodammodo morari, eaque non solum ut peracta accipere, sed ipsa, dum aguntur, quasi intueri conveniat. Cf. ad Plutarch. Ag. p. 84 et 142. — Versu 852 genitivos casus ἀσβέστου κελάδοιο καὶ αἰνῆς δηϊοτῆτος Hermannus Opusc. VI, 189

habere negat unde pendeant, ideoque movendum versum hoc loco censet, utpote ex alia recensione intrusum, ubi positus fuerit post v. 844: *καῦμα δ' ὑπ' ἀμφοτέρων κάτεχεν ἰοειδέα πόντον ἀσβέστου κελάδοιο καὶ αἰνῆς δηιοτῆτος.* Vellem autem docuisset, quonam modo *καῦμα* ex *κελάδῳ* oriri potuisset. Sed postea, in dissert. p. 20, versum 852 plane omisit, neque unde venisset aut quid eo fieri vellet, significavit. Ego iam alibi me iis assentiri professus sum, qui genitivos a verbo *τρέε* pendere censent, significatione causali, quae similiter in aliorum verborum affectus animi indicantium constructione obtinet. Vid. diss. II de interpolat. th. Hes. p. 7.

Hinc quasi novo exordio sumpto poeta omnem certaminis narrationem insperata brevitate quattuor versibus absolvit, 853—856:

Ζεὺς δ', ἐπεὶ οὖν κόρθυνεν ἑὸν μένος εἵλετο δ' ὅπλα,
βροντήν τε στεροπήν τε καὶ αἰθαλόεντα κεραυνόν,
πλῆξεν ἀπ' Οὐλύμποιο ἐπάλμενος, ἀμφὶ δὲ πάσας
ἔπρεσε θεσπεσίας κεφαλὰς δεινοῖο πελώρου.

Goettlingius, offensus, ut videtur, tam compendiaria proelii narratione, maiorem lacunam esse suspicatur post v. 852, eamque suspicionem comprobari censet Apollodori relatione, I, 6, 3, qui Iovem initio inferiorem adversario fuisse nervisque exsectis in antrum Corycium coniectum esse scribit, donec Mercurii et Aegipanis ope solutus viribusque refectis certamen meliore successu instauraverit. Etiam verba Apol-
17 lodori, *Ζεὺς δὲ τὴν ἰδίαν ἀνακομισάμενος ἰσχύν*, respondere quodammodo hisce *Ζεὺς δ' ἐπεὶ οὖν κόρθ. ἑὸν μένος*, quibus videatur novum certamen indicari, sicut apud Apollodorum, quamquam aliter narrandum. Verum Apollodorus in tam multis fabulis alios quam Hesiodeam hanc theogoniam auctores sequitur, atque etiam in principio huius ipsius de Typhoeo narrationis tantopere ab ea recedit, ut nulla idonea causa sit, cur in certaminis descriptione maior inter eum et theogoniam similitudo intercessisse credatur. Neque ipse vir doctissimus huic coniecturae suae multum confisus esse videtur: addit enim aliam, ut versus 853—856 alius recensionis esse dicantur pro 839—851, hoc est ut fuerit una recensio, quae narrationem certaminis post v. 838 statim inchoaret a verbis *Ζεὺς δ' ἐπεὶ οὖν* —, altera autem, quae tantum haberet v. 839—851, hisque statim subiungeret versum 857, *αὐτὰρ ἐπεὶ δή μιν δάμασε* —. Et potuit sane a versu 853 recte certaminis narratio inchoari; vix tamen sic, ut is continuo versum 838 exciperet, id quod suus quemque sensus docebit. Et si quid

esse etiam in hac, quam nunc legimus, conformatione narrationis dicatur, quod merito offendat: est hoc sane concedendum; non video tamen, cur id diversarum recensionum contaminationi, quam ipsius poetae mediocritati imputare malimus. Hermannus quoque vulgatum ordinem non mutat: tantum, diss. p. 20, versum 854 eiicit, scilicet ut, assumptis duobus proximis 857. 8, stropham nanciscatur quinariam. — Ceterum loquutio, qua noster poeta utitur, *κόρθυνεν ἑὸν μένος*, nova est, non tamen vituperabilis. Versus 854 repetitus est ex th. v. 707, et *αἰθαλόεις κεραυνός* aliquoties in theogonia dicitur, nunquam apud Homerum qui *ψολόεντα* potius dicit, fulmen corpora velut fuligine colorans, ut ait Seneca Qu. nat. II, 21. — De forma verbi *ἔπρεσε*, v. 856, cuius aliud exemplum nullum extat, satis a Mützellio, Lennepio, Goettlingio dictum est. Res autem, quae hoc versu narratur, possit ex aliqua Heraclea expressa videri. Nam Hercules, aut eius armiger Iolaus, hydrae Lernaeae capita, quum abscissa renascerentur, igni exussisse dicitur.

Denique victus Typhoeus et prostratus tantam vim flammarum exhalat, ut omnis circa terra liquescat, tandemque a Iove in Tartarum praecipitatur, v. 857—868:

αὐτὰρ ἐπεὶ δή μιν δάμασε πληγῇσιν ἱμάσσας,
ἤριπε γυιωθείς· στενάχιζε δὲ γαῖα πελώρη.
φλὸξ δὲ κεραυνωθέντος ἀπέσσυτο τοῖο ἄνακτος
οὔρεος ἐν βήσσῃσιν ἀϊδνῆς, παιπαλοέσσης,
πληγέντος· πολλὴ δὲ πελώρη καίετο γαῖα
ἀτμῇ θεσπεσίῃ καὶ ἐτήκετο κασσίτερος ὣς
τέχνῃ ὕπ' αἰζήων ὑπό τ' εὐτρήτου χοάνοιο
θαλφθείς, ἠὲ σίδηρος, ὅπερ κρατερώτατός ἐστιν,
οὔρεος ἐν βήσσῃσι δαμαζόμενος πυρὶ κηλέῳ
τήκεται ἐν χθονὶ δίῃ ὑφ' Ἡφαίστου παλάμῃσιν.
ὣς ἄρα τήκετο γαῖα σέλᾳ πυρὸς αἰθομένοιο.
ῥῖψε δέ μιν θυμῷ ἀκαχὼν ἐς Τάρταρον εὐρύν.

Hic primum quaerat aliquis, flammae ex Typhoeo prostrato erumpentes quam originem habuisse putandae sint: ex halitune monstri, an ex oculis, an ex reliquo corpore. Sed de halitu, quem alii igneum fuisse tradiderunt, nihil in superioribus dictum esse iam antea notavimus: de oculis cogitare ineptum fuerit: restabit igitur, ut corpus fulmine incensum in flammas abiisse dicamus, quae tamen an fuerit vere poetae nostri mens, sciri non potest. Mira etiam *ἄνακτος* appellatio, hoc

quidem loco. Quod enim Lennepius ait, esse hanc solemnem deorum appellationem: vocantur sane saepe dii ἄνακτες, sed significatur tamen hoc nomine aliqua eorum potestas partesque quaedam in mundi administratione iis attributae; Typhoeus autem affectaverat quidem regnum, tantum autem aberat, ut aliquam eius partem obtineret, ut oppressus a Iove et fractus omnique potestate privatus ἄχρειον, ut Aeschylus ait, et παράορον δέμας iaceret, in cuius ipsius cladis commemoratione quam recte ἄναξ dicatur, non intelligo. Nisi quis forte ironiam quandam poetae subesse statuat. Sed haec ab omni huius narrationis tenore aliena est, posuitque illud nomen versificator sine dubio tantum variandae orationis causa, ne idem, quod paullo ante dixerat, v. 845, τοῖο πελώρου, nunc repeteret, quum praesertim etiam πελώρῃ in fine superioris versus posuisset. — Locus cladis fuisse dicitur οὔρεος ἐν βήσσῃσιν αἰδνῆς, παιπαλοέσσῃς: quae designatio quum nonnullis nimis indefiuita videretur, nomen montis requisiverunt, Aetnae scilicet, sub qua victum Typhoeum iacere Pindarus, Aeschylus aliique plurimi testantur. Accedebat quod αἰδνός vocabulum insolentius neque alias ab antiquioribus quidem usurpatum videbant, Aetnae autem mentionem iam in Hesiodeis carminibus factam esse a Strabone acceperant, I p. 42, quamquam is theogoniam non nominat. Hinc igitur iam e veteribus criticis fuisse videntur, qui rescriberent οὔρεος ἐν βήσσῃσιν Αἴτνης, id quod e Tzetzae schol. ad Lycophr. v. 688 colligi potest: ὁ μὲν Καισαρεὺς Προκόπιος τὴν Δάμασκόν φησι Διὸς τρόπαιον κατὰ Γιγάντων, ἕτεροι δὲ τὴν Σικελίαν, ὅπου καὶ τὸν Τυφῶνα κεραυνοῖ, ὡς καὶ Ἡσίοδός φησι: quibus subiunguntur in aliquot codicibus etiam versus theogoniae 859—861, in duobus autem ipsum illud Αἴτνης scriptum est, quod Hermanno, diss. p. 20, non displicuisse videtur. Improbat certe repudiatum a novissimis editoribus, qui diduci nomen in tres syllabas non potuisse crediderint. Deberet tamen lectio illa firmioribus argumentis muniri; ut nunc est, acquiescemus in ea, quam Hesiodei codices omnes offerunt et scholiastae quoque solam memorant. Merito autem Hermannus, diss. p. 20, vituperat πληγέντος versu 861 positum, quum modo praecesserit κεραυνωθέντος v. 859: quod autem insuper suspicatus est, sic olim scriptum fuisse, quo etiam versus 865 ducat,

φλὸξ δὲ κεραυνωθέντος ἀπέσσυτο τοῖο ἄνακτος
οὔρεος ἐν βήσσῃσι δαμαζομένου πυρὶ κηλέῳ,
ἐσσυμένως —

haec autem amplificata esse ab alio, qui post *στενάχιζε δὲ γαῖα πελώρη* v. 858 subiecerit versus 861—867: equidem omne hoc genus suspicandi, nullo alio fundamento nisi informata quadam et optata specie carminis bene compositi nixum, longe ab theogonia arcendum esse iudico. — Versu 862 *ἀτμή* abhorret ab antiquorum epicorum usu, qui *ἀϋτμήν* potius dicunt, quod habet etiam theog. v. 696. Cf. Koechly ad Quint. Smyrn. II, 224. Particulam *ὥς* in fine ver- 19
sus positam Goettlingius sibi displicere non sine causa profitetur; quam ne quis defendi posse dicat exemplis Homericis, qualia sunt Il. II, 764: *ποδώκέας, ὄρνιθας ὥς.* III, 2: *Τρῶες μὲν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν ὄρνιθες ὥς.* IV, 482: *χαμαὶ πέσεν αἴγειρος ὥς.* XIII, 531: *ἐπάλμενος, αἰγυπιὸς ὥς.* XIV, 185: *λευκὸν δ' ἦν ἠέλιος ὥς.* Od. VI, 309: *ἐφήμενος, ἀθάνατος ὥς.* XIX, 234: *λαμπρὸς δ' ἦν, ἠέλιος ὥς*: ab his omnibus exemplis noster locus eo differt, quod particula illa non ad solum nomen sese applicat, subaudito e praecedentibus verbo, sed suum, quo pertineat, verbum habet, *τήκεται*, v. 866 demum positum. Omnem autem hanc comparationem terrae liquefactae cum massa stanni aut ferri a metallariis cocti molestam habere imaginum eandem rem significantium repetitionem nemo facile diffitebitur. Non mirum igitur, hic quoque duarum recensionum suspicionem motam esse, quarum altera versus 863. 864, altera autem 865. 866 habuerit. Denique non sane laudandum est, quod post verbosam hanc comparationem v. 868 subito oratio rursus ad Iovem redit, qui tamen neque in hoc ipso versu nominatur, neque in proximis ante versibus nominatus est: quamobrem Hermann., diss. p. 21, tam abrupto genere narrandi merito offensus, versum hinc eximi vult, ut ex alia recensione appositum, in qua fuerit pro iis, qui nunc sunt 857. 858. Mihi haec omnia nihil aliud demonstrare videntur, nisi minus elegans in theogoniae compositore quam in nostris criticis iudicium fuisse.

Sequuntur de ventis ex Typhoeo oriundis versus duodecim, de quibus breviter dicendum est. Primum v. 869 *ἀνέμων μένος ὑγρὸν ἀέντων* est ex Homero, Od. V, 478 et XIX, 440, unde mutuati sunt posteriores, velut Hesiod. O. et D. v. 625, et mutato adverbio, *ἀνέμων μένος λαβρὸν ἀέντων*, Quint. Sm. I, 40. — Excipiuntur ex horum numero Notus, Boreas, Zephyrus, quippe qui sint *θεόφιν γενεή, θνητοῖς μέγ' ὄνειαρ*, v. 871. Quamquam, si verum dicere volumus, ne illis quidem, qui a Typhoeo originem habent, *θεόφιν γενεή* abiudicari

potuit, siquidem etiam Typhoeus, quamvis immane monstrum, generis tamen divini fuit, vocaturque θεός ab ipso nostro poeta v. 824, sicut apud Hesychium II p. 1437: *Τυφωεύς, θεός τις γηγενὴς ἐναντιωθεὶς τῷ βασιλεῖ τῶν θεῶν.* Sic etiam Chimaera, Typhoei et Echidnae filia, th. v. 319, Apollod. II, 3, 1, 6, ab Homero vocatur *θεῖον γένος*, Il. VI, 180, et Harpyiae, quamvis foedae et detestabiles, deae tamen sunt, Valer. Flacc. Arg. IV, 519, omninoque quidquid origine ac natura supra humanum et mortale genus eminet, divinum dicitur. Fatendum igitur erit, poetam nostrum, si trium ventorum originem, ut divinam, opponere horum, qui ex Typhoeo sunt, genere voluit, non satis considerate fecisse. Ceterum salubres illi venti, *θνητοῖς μέγ' ὄνειαρ*, utrum tres tantum sint, quos modo posuimus, an quartus etiam adnumerandus sit Argestes, non satis constat. Nam versum 870 alii codices sic scriptum habent: *νόσφι Νότου Βορέω τε καὶ ἀργέστεω Ζεφύροιο*, alii autem sic: *νόσφι Νότου Βορέω τε καὶ Ἀργέστεω Ζεφύρου τε*, quam scripturam qui probarunt, *Ἀργέστην* eum esse voluerunt, qui alias *Ἀπηλιώτης*, Subsolanus dicitur, contra Homeri ceterorumque scriptorum omnium auctoritatem. Nam apud Homerum satis constat *ἀργέστην* non proprium venti nomen esse, sed epitheton Noto tributum, ei, quem posteriores *Λευκόνοτον* vocarunt. Vid. Il. XI, 366. XXI, 334. Apud recentiores autem, qui ex epitheto proprium nomen fecerunt, nunquam tamen Subsolanus, sed Caurus tantum sive Corus, qui inter Zephyrum et Boream medius est, hoc nomine appellatur. Vid. Aristot. Meteor. II, 6 cum Ideleri annot. et Kappii excurs. III ad lib. de mundo p. 367 sqq. Ut autem Hesiodi *Ἀργέστην* Subsolanum esse vellent, non alia causa permoti sunt, quam quod quattuor ventos cardinales commemorari debuisse censuerunt, ad eamque opinionem non modo huius loci scripturam accommodarunt, sed etiam alterius loci interpunctionem et interpretationem, vers. 379, ubi Aurora ex Aristaeo peperisse dicitur *ἀργέστην (ἀργεστὴν) Ζέφυρον Βορέην τ' αἰψηροκέλευθον καὶ Νότον.* Fuisse enim, qui *Ἀργέστην* hic quoque non epitheton Zephyri, sed Subsolanum esse statuerent, in quibus ipsum fortasse Aristarchum, e scholiis cognoscitur. Vid. comment. nostr. de schol. th. Hes. a. 1848 editam, p. 8. Veriorem, ut mihi quidem videtur, sententiam e veteribus Acusilaus et Hyginus pr. p. 10, e recentioribus Heynius ad Il. XI, 306, Wolfius, Vossius, Antisymbol. p. 261, Mützellius p. 474, Dindorfius, Orellius, Lennepius, denique Limburg-Brouwer, de Graec. cultura ci-

vili et relig. II p. 87, amplexi sunt, deterior Goettlingio, F. S. Lehrsio
et G. Grotio, hist. Graec., I p. 9 vers. germ. placuit. Quodsi quis mi-
retur, cur tres tantum ventos salutares poeta numeraverit, Subsolanum
excluserit, causa sine dubio posita erat in locorum, quos habitabat,
situ. Nam non eandem in omnibus Graeciae partibus ventorum natu-
ram fuisse certum est, testanturque Theophrastus de vent. §. 5. 29. 51,
aliique. — In versu 872: *αἱ δ' ἄλλαι μαψαῦραι ἐπιπνείουσι θά-
λασσαν*, ambigitur, an *μὰψ αὖραι* potius scribendum sit, ut construa-
tur *μὰψ ἐπιπνείουσι*. Sic enim habent aliquot codices, receperunt-
que hanc scripturam Goettlingius et Lehrsius. Mihi altera placet, quam
non solum codicum maior pars, sed veterum etiam grammaticorum
auctoritas tuetur, e quibus Hesychius: *μαψαῦραι*, inquit, *οἱ μάταιοι
ἄνεμοι ἢ κοῦφαι πνοαί*, quae quin ad nostrum locum pertineant,
dubitari non potest. Etiam apud Lycophronem legitur v. 395, *κόκ-
κυγα κομπάζοντα μαψαύρας στόβους*: quamquam ibi *μαψαύρους*
potius scribendum videtur cum codicibus non paucis. Adiectivum
enim, non substantivum esse apparet. Nostro autem loco scriptum
mallem *οἱ δ' ἄλλοι μαψαῦραι ἐπιπν. θαλ.*, ad eum modum, quo
Homerus dixit Od. X, 495, *τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν*. Sic enim con-
cinnius, servato genere masculino, quod utrisque commune est, op-
ponerentur inter se *οἵ γε μὲν — θνητοῖς μέγ' ὄνειαρ, οἱ δ' ἄλλοι,
μαψαῦραι* scil. *ὄντες*: neque obstat quod in sequentibus femininum
genus est, *αἳ δή τοι πίπτουσαι* v. 873, *κείνῃσι* v. 877, *αἱ δ' αὖ* v.
878, *πιμπλεῦσαι* v. 880: licebat enim orationem utrovis modo con-
formare, ut aut ad subiectum, quod est *οἵ*, aut ad praedicatum, quod
est *μαψαῦραι*, accommodaretur. Pro *αἳ δή τοι* recentiores editores
ex uno codice rescripserunt *αἱ δ' ἤτοι*, Hermanni praeceptum sequuti
ad h. Hom. in Ven. v. 226, de cuius veritate mihi non persuasum esse
fateor. Quamvis enim saepe in his voculis a librariis peccatum esse
concedam, tamen cur *δή τοι* ab epicorum sermone prorsus alienum
esse iudicemus, tanto minus intelligo, quod alios scriptores particula-
rum illarum copulationem haudquaquam refugisse constat: velut *μετὰ
μεγάλων σημείων καὶ οὐ δή τοι ἀμάρτυρόν γε* dicit Thucyd. II,
41, et *ὥς δή τοι τὸ λεγόμενον* Plato Timae. p. 26 B. Assentior
itaque Vossio ad Arat. v. 28 *δ' ἤτοι* plerumque, non tamen semper
verius esse iudicanti. Cf. etiam Wellauer. ad Apollon. Rh. II, 841 et 21
Hartung. de partic. II p. 363. Utrum horum praestet, ex cuiusque loci
contextu diiudicandum erit: et nostro quidem loco meliorem structu-

ram esse per relativum αἵ δή τοι quam per demonstrativum cum δέ coniunctione, αἱ δ' ἤτοι, nemo facile diffitebitur. — De plurali verbo ἄεισι, v. 874, satis est Ahrensium laudare de dial. aeol. p. 139; pro ἄλλαι autem ἄλλῃ legendum videtur cum Etym. M. p. 22, 12, quod etiam supra scriptum est in Flor. C. Lennepii, in Rehdigerano autem in ἄλλῃ depravatum. Est enim ἄλλῃ i. q. ἄλλως, ut Iliad. XV, 51: καὶ εἰ μάλα βούλεται ἄλλῃ: idque ad sensum huius loci aptius. Nam illud quidem de omnibus in universum ventis dici potuit, alios alio tempore spirare; sed procellosis ac noxiis hoc proprium est, ut iidem modo sic modo aliter spirent, sintque non συνεχεῖς καὶ ὁμαλεῖς, sed διαλείποντες καὶ ἀνωμαλεῖς, ut Theophrastus ait de vent. §. 1 p. 757 Schneid. Maximeque hoc cadit in repentinos illos flatus, qui exhalante terra coorti rursusque deiecti multiformes existunt, in quibus numerantur a Plinio, H. N. II, 48, ecnephiae, turbines, presteres, non sane degener Typhoei progenies. — In versu 879 memorabile est epitheton χαμαιγενέων ἀνθρώπων, ut disertum testimonium veteris opinionis de ortu generis humani ex terra, quam Homerus, etiamsi vix dubites, quin idem opinatus sit, nusquam tamen disertis verbis eloquitur: epitheti autem illius praeter hunc nostrum locum nulla antiquiora exempla extant quam hymn. Hom. in Ven. v. 108. in Cer. 353. Pind. Pyth. IV, 98.

Dicendum nunc est de significatione huius fabulae, et quo consilio eam theogoniae compositor hoc loco inseruisse videatur. Nomen Typhoei recte cum Hermanno, de myth. Gr. ant. in Opusc. II p. 88, Vaporinum interpretabimur, utpote ductum a verbo τύφω, quod de iis maxime vaporibus dicitur, qui calore excitantur. Vaporum autem vim ingentem in terrae visceribus gigni multorumque saepe et magnorum malorum causam esse veteres statuebant. Modo enim exhalatos e terra et aeri admistos in nubes densari, quae magna vi incitatae atque collisae procellas, vortices, quumque inflammarentur propter vehementissimam volutationem, etiam globos fumigantes igneosque turbines efficerent, quos presteres Graeci dicunt: modo autem, interclusis aliquo casu spiraculis, quum exitu prohiberentur, vehementer prorumpere annisos concutere terram tremoresque efficere, incensosque etiam ignescere exitumque sibi aperire, unde magna cum vi flammas, fumum, aquas rerumque liquefactarum torrentes egeri [6]). Horum igitur vapo-

6) Cf. Ideler. ad Arist. Meteor. III, 1 p. 250 sqq. et p. 582. — Addo locum Probi grammatici ad Verg. Georg. II, 478 p. 365 Lion. ut emendem: „Terrae au-

rum vim veterum illorum opinio, quum, quidquid in rerum natura validius moveretur, alicuius divinae personae numine ac potestate effici crederent, ad Typhoeum referebat, cui cur Terram matrem dederint iam apparet. Neque illud obscurum est, cur Iovi Typhoeum adversarium fecerint. Maxime enim contrariae horum naturae et inimicae inter se atque infestae sunt. Iovi, cuius est hoc sublimen candens, 22
unde lux et serenitas rerumque omnium salubritas et conservatio manat, adversatur ille caliginis auctor, qui nihil nisi disturbare rerum ordinem atque confundere, quaeque Iupiter salubri moderamine tuetur atque conservat, interimere ac pessumdare conatur. Non inepte igitur hunc statim ab initio certamen Iovi de imperio movisse finxerunt, eiusque certaminis narrationi colores adhibuerunt ab earum rerum observatione ductos, quae in terrae motibus igniumque subterraneorum eruptionibus accidere solent; quo pertinet etiam formae Typhoei descriptio, et quae de voce eius terribili ac multiplici dicuntur. Nam serpentum capitibus instructus fingitur vel quoniam omnium animalium serpentes maxime terra ex sese procreare credebatur, vel quod serpentum vis malefica et venenata maxime similis est Typhoei pestilentibus vaporibus, vel quod flammae igneique torrentes apte cum serpentibus comparari possunt: et multiplicibus quidem capitibus, quo magis vis monstri immodica et multiplex significetur. Ardentibus autem oculis, quoniam Typhoei quoque vapores in procellis aut terrae motibus fulgura edunt: voce denique horrenda et varia, quoniam etiam quum procellae saeviunt, maximeque quum terra concutitur, soni varii atque terribiles audiuntur, aut mugitibus similes aut clamori humano aut armorum pulsantium fragori, quemadmodum est apud Plinium H. N. II, 80 p. 90 Gr. Quum autem qui nunc subinde existunt vel terrae motus vel turbines atque procellae aliaeque eiusmodi quamvis vehementes magnarum cladium causae non tamen satis valeant ad disturbandum rerum ordinem a Iove constitutum atque conservatum, hinc consequi

tem tremoris tres causae sunt. Nam aut ventis inclusis exitum quaerentibus fundamenta quassantur, ut iis labefactis superiore continuentur (scrib. superiora concutiantur), aut igni, quem inesse terrae Aetna docet exusta, quum cadunt sonus ipsorum subsidit (scrib. aut igni, q. in. t. A. docet, exusta quum cadunt, onus impositum subsidit. Ad exusta apparet fundamenta subaudienda esse.) aut aquis, quum id quod sustinent (scil. fundamenta) delabi in liquorem patiuntur, sed (scr. et) consumptis terris latius (scr. lacus) constituuntur.“

videbatur inferiorem Iove Typhoeum fractumque esse, licet non plane interemptum, sed conantem identidem resurgere iramque evomentem, sicut vaticinatur apud Aeschylum Prometheus v. 368: *ἐκραγήσονταί ποτε ποταμοὶ πυρὸς δάπτοντες ἀγρίαις γνάθοις τῆς καλλικάρπου Σικελίας λευροὺς γύας. τοιόνδε Τυφὼς ἐξαναζέσει χόλον θερμοῖς ἀπλήστου βέλεσι πυρπνόου ζάλης, καίπερ κεραυνῷ Ζηνὸς ἠνθρακωμένος.* Quodsi fregit Typhoeum et debilitavit Iupiter, conseutaneum fuit hoc factum esse statim initio imperii a Iove capessiti, h. e. post superatos Titanes, ideoque recte hunc locum huic narrationi theogoniae compositor assignavit. Nam quod Goettlingius ait, pertinere Typhoei certamen ad cosmogoniam, reiiciendumque rectius fuisse ad eam theogoniae partem, quae est a v. 116 ad 452: non satis perspexisse videtur vir praestantissimus, quam rationem theogoniae compositor sequutus sit. Fuerunt sane etiam in nascentis mundi primordiis vires naturae indomitae atque immoderatae, quae omnem rerum conformationem atque ordinationem impedire atque evertere conarentur, Cyclopes et Centimani, quorum natura non absimilis Typhoeo erat. Nam Cottum certe quid aliud esse dicemus, quam vim quandam feriendi et concutiendi, qualis quum in terrae motibus tum in turbinum ac procellarum vehementia animadvertitur? Hi autem nisi remoti et oppressi essent, ne existere quidem mundi ornatus ullaque rerum ordinata descriptio potuisset, quamobrem inclusi sunt a Caelo terrae visceribus, neque antea emissi, quam maior quaedam vis et sapientia exorta esset, quae his quoque moderari viresque eorum consilio regere posset: qua vi ac sapientia praeter Iovem nemo fuit. Hic igitur solvit Cyclopes et Centimanos, eorumque auxilio usus est ad debellandos Titanes, h. e. antiquos deos mundi imperio minus idoneos,
23 ac postea quoque eos ministros habuit voluntati suae parentes. Nam Cyclopes fulmen ei ministrant, Briareus, unus e Centimanis, Neptuno satelles additus, maris fundum tuetur Tartarique claustra custodit, ne Titanes erumpant. Typhoeus vero non est in his naturis, quae Iovi se subiunxerunt, sed rebellat identidem armisque suis utitur, quamvis imparibus, castigandusque continuo et reprimendus est, quoties resumere certamen conatur. Itaque huic in illa cosmogonica parte theogoniae locum dari non potuisse apparet, sed recte nunc demum commemorari, posteaquam Iupiter inductus est imperium capessens. Ac probabiliter coniici potest, in antiqua et genuina fabula ortum Typhoei ex ira Terrae repetitum esse Titanes, filios suos, tartaro inclusos aegre ferentis, quemad-

modum a posterioribus, quum praeter titanomachiam etiam gigantomachia ficta esset, Terra ad Titanes ulciscendos Gigantes, deinde, his quoque devictis, magis etiam irata Typhoeum peperisse dicta est. Vid. Apollod. 1, 6, 1. Talem igitur pariendi causam etiam a theogonico poeta propositam malles prae ea, quam nunc significat v. 822: *Ταρτάρου ἐν φιλότητι διὰ χρυσέην Ἀφροδίτην*: quamquam cur id non fecerit, ex aliarum partium comparatione manifestum fit. Nempe in Titanum certamine Terram ipsam Iovi ceterisque diis consilio saltem adesse videmus v. 626, et infra quoque, ubi devictis adversariis dii de ordinando imperio deliberant, eadem Terra consilia iis impertit v. 884: quamobrem nunc in hac Typhoei fabula non potuit tanquam irata Iovi atque infesta induci. Vel sic tamen melius poeta monstri teterrimi generationem non ab amoris affectu et Veneris conciliatione repetivisset, sed ortum fecisset *ἄτερ φιλότητος ἐφιμέρου*, quemadmodum Nox quoque filios infaustos peperit *οὔτινι κοιμηθεῖσα*, v. 213. — De Tartari persona iam supra p. 6 monuimus, figmentum hoc, licet ipsum per se haudquaquam reprehendendum, non satis tamen concordare cum ceteris theogoniae partibus. Quae autem post absolutam de Typhoeo narrationem subiunguntur, quum transitus ad reliqua fit v. 881 — 885:

αὐτὰρ ἐπεί ῥα πόνον μάκαρες θεοὶ ἐξετέλεσσαν,
Τιτήνεσσι δὲ τιμάων κρίναντο βίηφι,
δή ῥα τότ' ὤτρυνον βασιλευέμεν ἠδὲ ἀνάσσειν
Γαίης φραδμοσύνῃσιν Ὀλύμπιον εὐρύοπα Ζῆν
ἀθανάτων· ὁ δὲ τοῖσιν ἐῢ διεδάσσατο τιμάς.

in quibus nullam Typhoei mentionem fieri videmus, non possunt non offendere attentum lectorem. Nam qui a devictis Titanibus ad Typhoeum hoc modo transiit, v. 820:

αὐτὰρ ἐπεὶ Τιτῆνας ἀπ' οὐρανοῦ ἐξέλασε Ζεύς,
ὁπλότατον τέκε παῖδα Τυφωέα Γαῖα πελώρη,

hunc necesse est statim post illos devictos Typhoeum Iovi adversarium exortum voluisse, ante igitur, quam is stabilire regnum et ordinare, coniugiisque contractis alios deos sibi in mundo administrando socios atque ministros procreare potuisset, in quarum rerum commemoratione extrema pars theogoniae versatur. Potuit autem quod desideramus facillime fieri uno versiculo post 820 addito huiusmodi:

κεῖτο δὲ γυιωθεὶς Κρονίδεω πληγῇσι Τυφωεύς:

possitque aliquis, illustrium exemplorum aemulator, talem versum aut

24 excidisse aut, si strophas quinarias quaerat, pro versu 882, utpote ex alia recensione ascito, reponendum dicere. Ego vero me quum hoc tum aliis quae passim notavi indiciis in ea potius sententia confirmari profiteor, ut hanc de Typhoeo narrationem, pariter ac superiorem de Titanibus, ab eo, qui hanc nostram theogoniam composuit, tanquam emblema quoddam, sive ab ipso factum sive aliunde acceptum, carmini insertum esse statuam, loco quidem iusto, sed mediocri tamen cum arte, neque ea iunctura, quae per laeve severos effundat ungues, ut cum Persio loquar. In ipso autem emblemate quam multa sint quae offendant, satis demonstratum esse arbitror. Ut autem adderet hanc narrationem compositor causam non unam habere potuit. Primum enim, quum in superiore theogoniae parte, ubi de Phorci subole refertur, v. 306, Echidna ex Typhaone Orthum, Cerberum, hydram Lernaeam peperisse dicta esset, necesse videbatur, etiam Typhaon ille quis esset aperire. Fallatur enim sine dubio, si quis Typhoeum huic poetae diversum a Typhaone fuisse dicat, quae fuit olim Goettlingii sententia, nunc ab ipso viro cordatissimo abiecta[7]). Nam ceterorum scriptorum, quotquot huius monstri mentionem faciunt, comparatio unum utroque nomine appellatum esse docet: et quamvis offendere aliquem possit haec nominis in eodem carmine diversitas, non tamen ea eiusmodi est, quae etiam de personarum diversitate nos cogitare cogat, in eo praesertim carmine, quod quin ex diversis partibus concinnatum sit, dubitari non potest. Quid? quod eadem inaequalitas etiam in hymno Hom. in Apollinem Pythium deprehenditur, ubi qui v. 128 et 175 Typhaon, idem v. 190 Typhoeus dicitur. Quod autem Typhaon, Echidnae coniux, *ἄνεμος* dicitur, Typhoeus autem pater *ἀνέμων ὑγρὸν ἀέντων*: primum, non satis constat de lectione illius versus, quum in aliquot codicibus *ἄνομον* pro *ἄνεμον* scriptum sit, quam scripturam etiam scholiastes commemorat; deinde, ut verior sit altera scriptura, eam esse Typhoei naturam vidimus, cui illud vocabulum recte conveniret. Et vento patri etiam ventos filios dari non sane mirum est, non magis quam Oceano fluvio fluvios, aut ceteris fluviis nymphas, aut

7) Eandem ante Goettlingium proposuerat Ed. Iacobi Lex. myth. p. 878 sq., repetiitque nuper C. F. Creuzer in libello de hymn. Hom. in Apoll. Pyth. (Pytho's Gründung. Ein homischer Hymnus. Marburg 1849) cuius notitiam debeo Wehrmanni dissertationi de Mercurio (Das Wesen und Wirken des Hermes) in Annal. paedag. Magdeburg. 1849 p. 33.

Boreae auras vel Harpyias, quas quidem Valerius Flaccus, antiquiores sine dubio sequutus, ipsius Typhonis filias dicit, Arg. IV, 428. Est enim in patre universa vis ventorum noxiorum, cuius filii aliam alii partem referunt. Ceterum advertit nos, quod contra reliqui carminis morem de matre horum nihil dicitur, quum salutarium trium ventorum, quorum ipse poeta nos admonet, non pater solum, Astraeus, sed mater etiam, Aurora, memoretur v. 378. Coniicere igitur licet, in horum quidem ortu referendo eum antiquiorem quandam fabulam et opinionem sequutum esse, de illorum autem origine nihil in fabulis relatum invenisse, sed ipsum posuisse, quod naturae eorum conveniens iudicaret, ac patre contentum, matrem aut quaerere oblitum esse, aut aptam invenire non potuisse. Sed redeo unde digressus sum. Alteram igitur causam Typhoei eiusque cum Iove certaminis commemorandi nobilitatem fabulae fuisse arbitror, cuius etiam Homerus testis est, similitudinem inde repetens Iliad. II, 782:

Γαῖα δ'ὑπεστενάχιζε Διῒ ὡς τερπικεραύνῳ
χωομένῳ, ὅτε τ' ἀμφὶ Τυφωεϊ γαῖαν ἱμάσσῃ
εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς.

Denique in ipsa Boeotia celebrem aliquando Typhoei memoriam fuisse montis Typhaonii nomen arguit, in Scuto Herc. v. 32, de Iove Thebas ad Alcmenam properante:

τάχα δ'ἷξε Τυφαόνιον, τόθε δ'αὖτις
Φίκιον ἀκρότατον προσεβήσατο μητίετα Ζεύς,

docentque grammatici, fuisse qui sub hoc monte Typhaonem sepultum esse perhiberent[8]). Atque eum quoque, qui iuxta nominatur, Sphingis montem, *Φίκιον* s. *Σφίγγιον*, ad Typhaonis fabulam Boeoticam pertinere dixeris. Erat enim Sphinx ex eodem genere naturalium pestium, quae terrae vaporibus existunt[9]), ac proinde Typhaonis secundum quosdam filia, secundum theogoniam neptis habita. Hesiodum autem, quem auctorem theogoniae perhibebant, Boeotum fuisse constans erat neque, ut arbitror, vana totius antiquitatis fama: quamobrem etiam huius nostrae theogoniae compositorem, *τὸν ἐμποιήσαντα*

---

8) Vid. schol. Pind. Olymp. IV, 11. Pyth. I, 31. — Crebros olim in Boeotia terrae motus fuisse testatur Strab. IX, 2 p. 256 Tauchn., vestigia eorum et effectus indicans.

9) Conf. C. F. Hermann. diss. de sacris Coloni p. 46. et nostr. diss. de Phorcyne p. 15 [192].

Ἡσιόδῳ τὴν θεογονίαν, ut Pausaniae verbis utar, IX, 27, 2, non sane mirabimur Boeoticae fabulae mentionem a carmine suo abesse noluisse, sive fuit ipse Boeotus, seu videri saltem voluit.

De Hesiodeo Typhoeo satis dictum est: sed adiicere quaedam placet de iis, qui praeter nostrum poetam hanc fabulam tractarunt. Horum primus, quantum quidem traditum est, Stesichorus fuit, is quem nonnulli etiam filium Hesiodi dixerunt, quod quomodo accipiendum sit, nunc quaerere nihil attinet. Stesichorus igitur, ut ait Etymol. M. p. 772, 50, Typhoeum non Terrae sed Iunonis filium dixit: peperisse autem Iunonem solam hunc filium *κατὰ μνησικακίαν Διός*, h. e. propter iram natae ex Iovis capite Minervae. Sic enim res proponitur in hymno Hom. in Apoll. Pyth., cuius auctor paullo fortasse recentior Stesichoro fuisse censendus est. Nam hymnum illum post bellum Crissaeum, quod fuit Ol. XLVII, 2, scriptum esse acute Frankius observavit ad v. 361. Stesichorus autem circa hoc ipsum tempus et paullo ante floruit. Est igitur in hymno Iuno propter Minervae partum Iovi graviter irata, quem ut ulciscatur, Terram, Caelum et Titanes Tartaro inclusos invocat v. 160:

αὐτοὶ νῦν μοι πάντες ἀκούσατε καὶ δότε παῖδα
νόσφι Διὸς, μηδέν τι βίης ἐπιδευέα κείνου,
ἀλλ' ὅγε φέρτερος εἴη ὅσον Κρόνου εὐρύοπα Ζεύς.

Expleto deinde iusto temporis spatio partum edit

οὔτε θεοῖς ἐναλίγκιον οὔτε βροτοῖσι,
δεινόν τ' ἀργαλέοντε Τυφάονα, πῆμα θεοῖσι,

eumque Pythoni serpenti educandum tradit. — Posteriores quomodo
26 fabulam distinxerint, cognoscimus e schol. B, h. e. e Porphyrio, ad Il. II, 783, et Eustathii ad eundem locum commentario: *Φασὶ τὴν Γῆν ἀγανακτοῦσαν ἐπὶ τῷ φόνῳ τῶν Γιγάντων διαβαλεῖν τὸν Δία τῇ Ἥρᾳ· τὴν δὲ πρὸς Κρόνον ἀπελθοῦσαν ἐξειπεῖν· τὸν δὲ δοῦναι αὐτῇ δύο ᾠὰ, τῷ ἰδίῳ χρίσαντα θορῷ καὶ κελεύσαντα κατὰ γῆς ἀποθέσθαι, ἀφ' ὧν ἀναδοθήσεται δαίμων ὁ ἀποστήσων Δία τῆς ἀρχῆς. Ἡ δέ, ὡς εἶχεν ὀργῆς, ἔθετο αὐτὰ ὑπὸ τὸ Ἄριμον τῆς Κιλικίας. ἀναδοθέντος δὲ τοῦ Τυφῶνος Ἥρα διαλλαγεῖσα Διὶ τὸ πᾶν ἐκφαίνει. ὁ δὲ κεραυνώσας τὸν Τυφῶνα τὴν Σικελικὴν Αἴτνην — ὄρος δὲ αὕτη πυρικαές — αὐτῷ ἐπέθηκεν*[10]). Hi igitur quum Terrae instinctu Iunonem pariendi

10) Etiam Pherecydem de Typhoei cum Iove certamine narrasse schol. Apol-

consilium capere faciunt, conciliarunt quodammodo duas fabulas vetustiores, quarum altera Terram, altera Iunonem Typhoei matrem dicebat. Subest etiam fortasse haec significatio: ortum Typhoei partim ad terram, partim autem ad aerem pertinere, siquidem vapores noxii, quorum ille personam gerit, quum ex terra, tum etiam ex aere originem habere videbantur. Saturnum autem, quem Iuno adiisse dicitur, cogitare debemus in Tartaro cum Titanibus inclusum; atque sic recte haec consultatio comparari poterit cum precibus, quibus illam hymni auctor non solum Terram et Caelum, sed etiam Titanes obtestatam ait. Nempe Titanes, licet Tartaro inclusi, nequaquam tamen omni potestate exuti esse videbantur, id quod vel hinc apparet, quod iurantem per Titanes Iunonem Homerus inducit Il. XIV, 279. Ovis porro Saturni viro infectis, unde Typhoeus excluditur, significare fortasse voluerunt Titanicam quandam vim animumque diis infestum illi ingeneratum fuisse. In Arimis autem Ciliciae[11]) ea reponi et excludi fecerunt propterea, quod pervagata erat de Typhoei in Cilicia ortu ac domicilio fama, cuius testes Pindarum Pyth. I, 32, Aeschylum Prometh. v. 359 aliosque plures habemus.

Hactenus omnia eiusmodi sunt, quae pro genuinis Graecorum fabulis haberi etiam ab iis possint, qui ipsam Typhoei notionem non propriam illorum et apud ipsos ortam, sed ab orientalibus populis stirpis Aramaeae, quam in Ciliciam usque radices egisse constat, acceptam esse volunt. Nam non absimilem Typhoeo daemonem maleficum etiam in Phoenicum fabulis fuisse aiunt, eiusque non modo formam habitumque, sed etiam nomen non magnopere ab eo diversum fuisse, quo a Graecis appellatus est. Ziphonem enim vel Tiphonem

Ion. Rh. II, 1210 testatur: ὅτι δὲ ἐπὶ τὸν Καύκασον κατέφυγεν ὁ Τυφὼς διωκόμενος, καὶ ὅτι καιομένου τοῦ ὄρους ἔφυγεν ἐκεῖθεν εἰς Ἰταλίαν, ὅπου τὴν Πιθηκοῦσαν αὐτῷ περιῤῥιφῆναι νῆσον, Φερεκύδης ἐν τῇ Θεογονίᾳ ἱστορεῖ. Lerium hunc, non Syrium esse recte Sturzius ad Pher. fr. p. 166 statuit, cui assentitur Matthiae, script. misc. p. 103 et qui paucis abhinc annis Didotianam fragment. histor. collectionem curavit, C. Müller p. 72. Apud alterum Pherecydem nulla sine dubio Typhoei mentio facta est, quamquam eius Ophioneum nonnulli cum Typhoeo comparari posse indicarunt, velut nuper I. L. Iacobi, de Pherec. fr. apud patr. eccles., in Ullmann. et Umbreit. Stud. theol. ann. 1851, 1 p. 201.

11) De situ Arimorum valde olim controverso (vid. impr. Strab. XIII, 4 p. 152 Tauchn.), nunc satis constat Ciliciae montes esse. Vid. Heyn. excurs. II ad Verg. Aen. IX. — Monstrabatur ibi etiam specus Typhonius prope Corycium. Pomp. Mel. I, 13 p. 23 Gron.

vocatum esse, quo nomine serpentis quoddam genus designari[12]). Quae si vere omnia dicuntur, factum in Typhoeo idem esse dicemus, quod in aliis fabulosis personis quam plurimis, ut nomen ab exteris
27 acceptum Graeci ad sui sermonis proprietatem adaptarent atque ex peregrino graecum facerent, significationis, licet non eiusdem cum peregrino, aptae tamen et ad eam quae suberat notionem accommodatae. Ceterum quasnam Phoenices aut Syri de Ziphone suo fabulas narraverint, quantumque eis, quas e Graecis scriptoribus protulimus, vel similes vel absimiles, quoniam testibus idoneis destituimur, sciri a nobis non potest. Hoc tamen perquam probabile videtur, sedem Typhoeo in Arimis illorum exemplo assignatam esse.

Etiam in Aegyptiorum fabulis deus quidam celebrabatur maleficus et cum melioribus de imperio certans, **Seth** aut **Bebon** v. **Babys**[13]), de quo quae illi tradebant, posteaquam Graecis innotuerunt, magnam partem in Typhoeum translata varieque immutata et exornata sunt[14]). Atque Aegyptiarum quidem fabularum brevem summam Plutarchus proposuit, de Is. et Osir. c. 12—19, Manethonem, ut videtur, auctorem sequutus[15]). In his quum ferretur, inter Typhonem, qui interempto Osiride regnum affectaverat, ceterosque deos bellatum, illumque non sine magno certamine victum esse, arripuerunt hoc Graeci, certaminisque narrationem in eum modum exornarunt, ut etiam ferinas deorum Aegyptiorum formas bestiarumque consecrationem hinc explicarent[16]). Nam perculsos timore deos ac de victoria desperantes in Aegyptum aufugisse ibique, quo melius laterent, bestiarum alios aliarum formas induisse. „Inde adhuc maxime pro diis multas bestias observant coluntque Aegyptii", inquit Nigidius apud schol. German.

---

12 Vid. Movers. Phoenic. I p. 522 sqq.

13) **Seth** aliquoties est apud Plutarch. de Is. et Osir., **Bebonem** idem nominat ex Manethone cap. 49 extr., **Babyn** Hellanic. apud Athen. XV p. 679 F.

14) Nuper Roethius, Hist. phil. occid. I, annot. p. 162 ipsum etiam Typhonis nomen non Graecum sed Aegyptium esse voluit, ex *TOYBE* ortum, quod in Coptorum lingua **adversarium** significet, fueritque illi, qui proprio nomine **Seth** erat, pro cognomento impositum. Essetne huius cognomenti ullum aut apud scriptores aut in monumentis vestigium, quaerere supersedit.

15) Est haec Bunsenii sententia, Aegypt. Stell. in der Weltgesch. I p. 95. 96. Cf. Theodoret. therap. p. 95 Gaisf.

16) Conf. Jablonski Panth. Aeg. tom. III p. 49. sqq. omnium prudentissime de hac Aegyptiae et Graecae fabulae contaminatione disserentem.

Arat. p. 70 Buhl. Nos antiquiorem huius fabulae inter Graecos auctorem nullum habemus, quam Pindarum, cuius testimonium Porphyrius attulit, de Abstin. III, 16 p. 251, his verbis: *Πίνδαρος δὲ ἐν προσοδίοις πάντας τοὺς θεοὺς ἐποίησεν, ὁπότε ὑπὸ Τυφῶνος ἐδιώκοντο, οὐκ ἀνθρώποις ὁμοιωθέντας, ἀλλὰ τοῖς ἀλόγοις ζώοις*[17]). Sed neque Herodotus neque, ut videtur, Hellanicus fugam illam et transformationem deorum commemorarunt: scilicet uterque horum, Aegyptias tantum fabulas referens, Graecorum additamenta respuebat. Orphicae autem theogoniae scriptor, quem Onomacritum fuisse cum viris doctissimis credere licet, quum fabulam Aegyptiam de Osiride occiso et lacerato ad Zagreum suum transferret, pro Typhone Titanes Zagrei interfectores substituebat, neque Typhonis, quantum quidem ex fragmentis colligi potest, ulla in Orphicis mentio facta esse videtur, non eo, opinor, quod Typhon a Graecorum religionibus alienus esset, quae Lobeckii, viri summi, sententia est, Agl. p. 671, sed quia in Orphicorum theologia id facinus Titanibus, quales ipsi informarant, maxime convenire videbatur. — Graecanicam autem fabulae formam plenius quam ceteri Apollodorus tradidit, Bibl. I, 6, 3, 6[18]), ex quo haec insuper cognoscimus: Post fugam ceterorum deorum Iovem solum Typhoni restitisse, quumque iam superior esse videretur, implicatum adversarii spiris anguinis succubuisse, exsectisque nervis in Ciliciae antrum Corycium coniectum, nervos autem in propinquo occultatos esse, Delphyne dracaena custode apposita. Mercurium autem cum Aegipane nervos furatum esse Iovique restituisse, quo facto hunc redintegratis viribus Typhonem rursus aggressum esse tandemque devicisse. Proprias Aegipani partes Oppianus memorat, Halieut. III, 18—22:

κεῖνος γὰρ δείπνοισιν ἐπ᾽ ἰχθυβόλοισι δολώσας
σμερδαλέον Τυφῶνα παρήπαφεν ἔκ τε βερέθρου

---

17) Scribitur vulgo *τοῖς ἄλλοις ζώοις*, quod correxit Wesseling. ad Diodor. I, 86 et post eum R. Unger. Theb. paradox. p. 425.

18) Apollodoro Pherecydem auctorem fuisse Heynius suspicatur, ideoque quum in Apollodori narratione Iupiter Typhoeum, ante quam ab hoc vinciretur, usque ad Casium montem persequutus esse dicatur, e Pherecyde ap. schol. Apoll. II, 1210 pro Casio monte Caucasum rescribendum censet. Sed huic correctioni universus contextus narrationis Apollodori repugnat, neque ullum indicium est, unde colligi possit, Pherecydem de hoc certamine similia atque Apollodorum retulisse.

δύμεναι εὐρωποῖο καὶ εἰς ἁλὸς ἐλθέμεν ἀκτὴν,
ἔνθα μιν ὀξεῖαι στεροπαὶ ῥιπαί τε κεραυνῶν
ζαφλεγέες πρήνιξαν.

Alii adiutorem Iovi et consiliarium Cadmum dederunt, in quibus Pisander, non vetus ille Camirensis, cuius Heraclea ab huiusmodi fabulae narratione longe sine dubio abhorrebat[19]), sed aut Larandensis, tertii p. C. saeculi scriptor, aut aliquis Pseudo-Pisander, quem Welckerus, vir clarissimus, de cycl. ep. p. 98 sq., Alexandrina aetate scripsisse suspicatur. De Pisandro igitur Olympiodorus, ad Platon. Phaed. p. 346 ed. Tauchn., haec habet: *Κάδμος ὁ ὑποσέληνος κόσμος— διὸ καὶ Ἁρμονίᾳ σύνεστι τῇ θεῷ. Δηλοῖ δὲ καὶ ὁ Πείσανδρος θεολογῶν τὰ κατὰ Κάδμον ἐν τῷ μύθῳ, ἐν ᾧ φησι τὸν Κάδμον ὑποτίθεσθαι τῷ Διὶ, πῶς ἂν καταγωνίσαιτο τὸν Τυφῶνα.* De eodem Cadmo Nonnus exponit Dionys. I, 362 sqq., ut pastoris habitu a Pane instructus fistulae cantu delinitum Typhoeum deceperit, facilemque Iovi victoriam fecerit: quae accuratius persequi non opus est. Patet autem hinc latissimus coniecturae campus. Nam in veterum Pelasgorum religionibus, quas, posteaquam in pleraque Graecia praevalentibus Hellenibus obscuratae et repressae erant, Samothracum sacerdotes conservarunt mysteriisque involutas propagarunt, Cadmus, quem non diversum a Cadmilo aut a Mercurio volunt, deus fuisse creditur summae dignitatis, cui a supremo deo praecipuum quoddam ministerium iniunctum sit in huius mundi constitutione atque ordinatione: unde etiam nomen inditum, quod *Κόσμον* sive Ordinatorem significet. Itaque ad illud eius ministerium etiam hanc operam Iovi contra Typhoeum praestitam pertinere dicemus: quae fabula utrum propria Pelasgorum, an a Phoenicibus aut a Philistaeis, quorum de genere Pelasgos esse nonnulli volunt, tradita fuerit, illis disceptandum relinquemus, quibus de Phoenicibus et Philistaeis plus quam nobis compertum est.

Scrib. Gryphiswaldiae Idibus Martiis ann. MDCCCLI.

---

19) Dubitavit de hoc iam Heynius Exurs. I ad Verg. Aen. II p. 398: incautius indicavit Vossius, sched. crit. II p. 327.

DE APPENDICE THEOGONIAE HESIODEAE.

Ex omni numero carminum, quae a veteribus Hesiodi esse crede- 3
bantur, unum longe nobilissimum illud erat, quo heroes celebrabantur ex mortalibus mulieribus cum deis immortalibus prognati, cuius carminis quum singulae partes a mulieribus, heroum matribus, exordirentur, nomen ei inditum erat mulierum catalogi aut catalogorum, numero plurali: nam in plures libros divisum erat. Huic non absimile alterum carmen erat, Ἠοιῶν nomine appellatum propter formulam ἢ οἵη — aut qualis, scil. haec vel illa fuit — in connectendis singulis partibus perpetuo usurpatam. Versabatur enim et ipsum in heroum fabulis, itemque exordium uniuscuiusque eorum celebrandi a matris commemoratione ducebat. Propter hanc argumenti ac dispositionis similitudinem factum esse videtur, ut, quum primum veterum poetarum reliquiae a studiosis hominibus colligi et componi coeptae sunt, haec duo carmina ad unum auctorem referrentur in unumque corpus coniungerentur, quattuor libros complexum, quorum tres priores Catalogum, quartus Eoeas habebat. Eruditior deinde aetas, exculta paullatim critica facultate, intellexit quidem non unius utrumque carmen poetae, et neutrum fortasse Hesiodi esse; nihilo secius tamen vulgo et nomen Hesiodeum iis haesit et coniunctio etiam servata est, corpusque illud totum aut Catalogi s. Catalogorum aut fortassis etiam Eoearum nomine citari solitum[1]).

1) Fortassis, dixi: nam Catalogi quidem nomine etiam Eoeas comprehendi solitas esse veteris grammatici testimonio constat, apud Goettling. Hesiod. ed. 2 p. 108, qui Scuti initium, quod ex Eoeis esse ipse primus versus docet, *ἐν τῷ δ' καταλόγῳ* extare ait; de Eoearum autem nomine corpori universo tributo ex uno Hesychio coniectura ducitur, apud quem legitur: *Ἠοῖαι ὁ κατάλογος Ἡσιόδου.*

Theogoniam quoque aliquando maiori cuidam corpori iunctam fuisse ipse eius exitus manifestum facit. Namque hi duo versus:

νῦν δὲ γυναικῶν φῦλον ἀείσατε, ἡδυέπειαι
Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο,

apertissime transitum indicant ad carmen de mulieribus: id autem cur diversum fuisse statuamus a Catalogo et Eoeis, nulla idonea causa est, siquidem de alio quopiam carmine Hesiodeo, quo mulieres celebratae sint, nihil quidquam memoriae proditum accepimus[2]). Et iudicarunt ita plerique: dissenserunt tantum duo viri doctissimi, Muetzellius et Marckscheffelius[3]); sed alter horum nullas, alter admodum leves dis-

---

Quid autem? si quis cum Heinsio scribat, uoa litterula addita, Ἠοῖαι ὁ δ' κατάλ. Ἡσ. Nam Etymologi Gudiani verba, p. 246, 23, Ἠοῖαι ἐστὶ κατάλογος (non ὁ κατάλ.) Ἡσιόδου, possont etiam sic aceipi, Eoens esse unnm ex Catalogis, nempe quartum. Goettlingius quidem, praef. p. LVI, etiam ox co, quod Eustathius ad Il. p. 13 ab Hesiodo in Catalogo Butae, Neptaoi f., mcotiooem factam esse doceat, eundem autem Buteu in Eoeis memoratum esse Pausanias IV, 2, 1 testetur, nihil discriminis intec utramqne appellationem fuisse argumentatar. Atqui si Catalogi aomen geaerale erat et Eoeas quoque compleetebatuc, potuit pcofecto locns, qoi in Eoeis erat, h. e. in qoacto libco Catalogi, etiam ex Catalogo citari, quemadmodnm, nt hoc utac, Homeri de Tlepolemo testimoninm, Il. II, 673 sqq., potuit vel ex Iliade citari vel e Boeotia, quae pacs est Iliadis. Praeterea haudqunquam eectum, immo ne credibile quidem est, Buten illnm utroque loco euadem faisse; et ut fuerit, quidni idem io utroque carmine memorari potuecit? — Vecissima antem est Marckscheffelii observatio (Hesiodi etc. fragm. p. 111), a Pausania, qoi Catalogum Hesiodo adscribere non dubitet, Eoeos tamen nnmquam Hesiodi nomine laudaci: oeque elevari huius observationis poudus sic potost, ut cum Goettlingio dicamus, Pausaniam Boeotorum iudicium sequntum esse, qui nihil Hesiodi praetec Ἔργα esse dixerint. Hos enim si sequeretur Pausanias, no Catalogum quidem Hesiodi dicere potuisset. Ceterum distiogui Eoeas a Catalogo apud schol. Apoll. Rh. II, 181 ipse Goettlingias non dissimnlavit. Hinc autem non illud solum concladere debebat, oon unius auctoris quattuoc illos libcos fuisse, vecnm hoc quoque agnoscere, quod monifestissimam est, inter ipsos veteres Gcammaticos foisse, qui Catalogum et Eoeas pro diversis libcis haberent, nec pcomiscue utrovis nomine uterentur.

2) Fuisse tamen praetec haec Hesiodea etiam alia foctasse carmina antiqua de mulieribus facile credimus Heinrichio prolegg. in Scut. p. LII. Cf. Vogel. Hercul. p. 6. — Nicaeaeti Samii aut Abdecitae κατάλογον γυναικῶν aliqaoties commemocat Athenaens; sed hunc poetam post Ol. CXL. vixisso ex XIV p. 674 eolligitur.

3) Moetzell. de emend. Theog. Hes. p. 503 sqq. brevias qoodam carmen fnisse suspicentur do muliecibus, ex quo postea demum multorum studiis amplificato Catalogi extiterint: quam suspicioaem, licet fortasse aon improbabilem, tamen ar-

sensionis suae rationes protulit. Argumentum enim Catalogi a Theogonia alienum fuisse autumat. Atqui non adeo tamen alienum fuit, ut subiungi Theogoniae Catalogum non liceret. Nam non longius certe alterum argumentum ab altero distabat, quam a diis heroes, a parentibus filii distant, quamobrem Heroogonia, quo nomine Catalogus a nonnullis appellatur[4]), non incommode Theogoniam excipiebat. — Porro postremos Theogoniae versus ita comparatos esse ait, ut ab iis novi carminis exordium fieri nullo modo potuerit. Verum apte iam Goettlingius nos admonuit Epigonorum, cuius carminis hoc initium fuisse traditur[5]):

νῦν αὖθ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν μνησώμεθα, Μοῦσαι —

quod quam simile sit illi

νῦν δὲ γυναικῶν φῦλον ἀείσατε, ἡδυέπειαι

nemo non videt. Quodsi quis illud Epigonorum initium non ipsi carminis auctori, sed diasceuastae cuidam deberi obiiciat, carmen separatim a poeta editum cum Thebaide item separatim edita ad cycli compagem accommodanti[6]), nihil obstat, opinor, quominus similem quandam *διασκεύασιν* etiam in connectendo cum Theogonia Catalogo adhibitam esse statuamus[7]).

Itaque coniunctam aliquando Theogoniam cum Catalogo fuisse, si 6
minus certum, perquam saltem probabile est[8]). Transitus autem ab

---

gumentis, quae fidem facere possint, nullis munitam esse recte Marckscheff. monuit l. l. p. 98. Ipse sententiam suam exposuit p. 101.

4) Procl. ad O. et D. p. 9 et Tzetz. p. 17 Gaisf.

5) In certam. Hes. et Hom. p. 324 Goettl.

6) Conf. quae de Aethiopidis initio cum Iliadis exitu conflato Lobeckius ait Aglaoph. p. 417. Add. Welcker. de Cyclo I p. 213. II p. 170. Goettl. praef. Hes. p. LVII. Nitzsch. d. Sagenpoesie d. Gr. p. 40.

7) Qui coniecturis ludere velit, genuinum Catalogi initium ad similitudinem Op. et D. tale fingere possit:

Μοῦσαι Πιερίηθεν ἀοιδῇσι κλείουσαι
δεῦτε, γυναικῶν φῦλον ἀείσατε θηλυτεράων,
ὅσσαι ὑπ' ἀθανάτοισι θεοῖς φιλότητι καὶ εὐνῇ
δμηθεῖσαι γείναντο θεοῖς ἐπιείκελα τέκνα.

quale initium quam facilem diasceuastis laborem reddiderit, in aperto est.

8) Ex hac Theogoniae cum Catalogi libris coniunctione Hermanno (in Diurn. schol. ann. 1833. II p. 920) etiam illud fortasse explicari posse videbatur, quod a Lactantio Placido schol. ad Stat. Theb. IV, 483 Hesiodus citatur „in his libris quos de Theogonia scripsit“: cogitasse enim Lactantium de toto illo cor-

altero ad alterum carmen non illis solum versibus paratur, quos supra posui, sed omni illa parte, quae est post Th. v. 963, ubi post absolutam narrationem de ortibus deorum subiungitur commemoratio filiorum a deabus ex mortalium compressu procreatorum. Horum genus, quamvis simile sit illorum, de quibus in Catalogo exponebatur, differt tamen eo, quod maternam, non, ut illi, paternam originem divinam habebant, quamobrem in Catalogo, qui nullos nisi mortalium matrum filios complecteretur, locum iis non fuisse apparet. Non magis autem in ipsa Theogonia, quippe quae deorum dumtaxat, non hominum aut semideorum ortus percensendos haberet. Quod quum tamen abesse
7 eorum commemoratio ab hoc corpore theogonico et heroogonico non posse videretur, propterea locus iis datus est inter utrumque carmen medius, ac potest proinde haec pars aut pro appendice Theogoniae aut pro Catalogi quasi quodam praeludio haberi. Peculiari autem nomine nunquam haec appellata, sed aut Theogoniae aut Catalogi appellatione comprehensa esse videtur, quorum alterum hodieque a nobis fieri solet, alterum ut a veteribus factum esse credam, moveor propemodum Pausaniae auctoritate, siquidem is I, 3, 1, Hesiodum antestans *ἐν ἔπεσι τοῖς ἐς τὰς γυναῖκας*, quae non diversa a Catalogo esse satis constat, eum ipsum locum significare videtur, qui extat in Theog. v. 986 sqq. Sed quoniam de Pausaniae testimonio haudquaquam omnes consentiunt nonnullique prorsus contrariam sententiam eo probari censuerunt[9]), iudicii mei rationes paullo accuratius explicandae sunt. Verba Pausaniae in codicibus sic scripta leguntur: *ἔπεστι τῷ κεράμῳ τῆς στοᾶς* (loquitur de porticu regia in Ceramico) *ἀγάλ-*

---

pore, quad praeter Theoganiam etiam Catalagum et Eoeas boberet. Potest sane sic esse: sed potest etiam aliter. Ceterum Lactantii illud scholium in ea quidem editinne, qua sola nunc uti possum, J. Veenhusii, Lugd. Bat. 1671, mirifice et apertissime corruptum est. Pertinet illud ad Statii versus hasce, quibns Tiresias inducitur nocturnis sacris umbras evocaturus Hecatenque alloquens: „Tu separe coetu Elysios, Persei, pios, virgaque potenti Nubilus Areas agat“: scriptum est autem sie: „Nubilus, infernus. Imperat autem Mercurio et Libero, ut animas piorum evocent. Quare autem per se eate est ratio. Quidam enim volunt non Iovis filinm esse Mercurium, sed Pyrrhae, in qua opinione et Hesiodus versatur in his libris, quos de theogonia scripsit.“ Apparet scholiasten scripsisse: „Imperat autem Mercurio et Hecatae“, deinde: „quare autem Perseis Hecate, haec est ratio.“ postremo: „non Iovis filiam esse Hecaten, sed Persae.“ Persen Hecates patrem Hesiodus dicit Theog. v. 409 sqq.

9) In his est Marckscheff l. l. p. 93.

ματα ὀπτῆς γῆς, ἀφιεὶς Θησεὺς ἐς θάλασσαν Σκίρωνα, καὶ φέρουσα Ἡμέρα Κέφαλον, ὃν κάλλιστον γενόμενόν φασιν ὑπὸ Ἡμέρας ἐρασθείσης ἁρπασθῆναι, καί οἱ παῖδα γενέσθαι Φαέθοντα· καὶ φύλακα ἐποίησε τοῦ ναοῦ. Ταῦτα ἄλλοι τε καὶ Ἡσίοδος εἴρηκεν ἐν ἔπεσι τοῖς ἐς τὰς γυναῖκας. Hesiodea autem de Cephalo et Phaethonte narratio in versibus Theogoniae adiunctis haec est, 984—991:

Τιθωνῷ δ' Ἠὼς τέκε Μέμνονα χαλκοκορυστήν, — —
αὐτάρ τοι Κεφάλῳ φιτύσατο φαίδιμον υἱόν,
ἴφθιμον Φαέθοντα, θεοῖς ἐπιείκελον ἄνδρα.
τόν ῥα νέον τέρεν ἄνθος ἔχοντ' ἐρικυδέος ἥβης
παῖδ' ἀταλὰ φρονέοντα φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη
ὦρτ' ἀνερειψαμένη, καί μιν ζαθέοις ἐνὶ νηοῖς
νηοπόλον νύχιον ποιήσατο, δαίμονα δῖον.

Videtur sane primo adspectu Pausaniae relatio ab iis, quae his versibus narrantur, tam multis modis discrepare, ut non mirum sit, si quis non hos, sed alios longe diversos ex deperdito Catalogo a Pausania significari contendat. Sed re accuratius perpensa omnem hanc discrepantiam ad nihilum recidere videbimus. Primum quod *Ἡμέραν* Pausanias dicit, quum in Hesiodeis versibus *Ἠώς* nominetur: monuerunt iam alii, haec nomina a scriptoribus recentioribus promiscue usurpari, et quae dea apud veteres *Ἠώς* est, eandem apud illos *Ἡμέραν* appellari solere[10]), ut non mirum sit, eius nomina etiam a Pausania permutata esse. Plane idem factum videmus ab Heraclide, sive is Heraclitus dicendus est, in Alleg. Homer. c. 7 p. 14 Mehl., quum *τὴν Ἡμέραν* ab Homero *ἠριγένειαν* dici autumat, quod epitheton apud hunc poetam *Ἠοῦς*, non *Ἡμέρας* esse nemo ignorat. Idem cap. 68 p. 133, quamvis adscripto versu Homerico, *ὡς μὲν ὅτ' Ὠρίων' ἕλετο ῥοδοδάκτυλος Ἠώς*, tamen *τὸν Ἡμέρας καὶ Ὠρίωνος ἔρωτα* ab Homero allegorice proponi ait. Nec desunt eiusmodi exempla etiam apud doctiores Homeri scholiastas, velut ad Il. III, 151: *Τιθωνοῦ ἠράσθη ἡ Ἡμέρα, ἐξ οὗπερ ἐποίησεν υἱὸν Μέμνονα*: quae qui scripsit, non ignoravit tamen profecto, ab Homero illam Tithoni coniugem,

10) Iam apud Euripidem, Troad. v. 848 sqq., Tithoni uxor *Ἡμέρα* dicitur. Cf. schol. Vatic. ad h. l., in Geelii edit. Phoenissarum, p. 307, qui *Ἠώ* et *Ἡμέραν* ab Hesiodo distingui, ab Euripide confundi observat. Add. Voss. epist. myth. II p. 68 et 71 sqq.

Memnonis matrem, nunquam hoc nomine, sed semper altero appellari. — Quod porro Pausanias Cephalum pulcherrimum fuisse, ideoque amatum ab Aurora s. Hemera et raptum esse memorat, quum in Theogonia nulla nec pulchritudinis eius nec raptus mentio fiat, hoc nullius plane momenti est. Nam Pausanias non unum Hesiodum, sed alios quoque auctores antestatur: *ἄλλοι τε*, ait, *καὶ Ἡσίοδος*. Quidni igitur et raptum Cephali, rem a multis celebratam, et pulchritudinem eius in his fuisse dicamus, quae alii tradiderint? — At, inquit, una tamen restat tam insignis discrepantia, quae sola sufficiat ad decidendam quaestionem. Nam in Theogoniae versibus Phaethon a Venere
9 raptus templique eius custos factus esse dicitur; Pausanias contra eum ab Hemera s. Aurora templi antistitem factum esse memorat. Videtur sane hoc Pausanias memorare; sed videtur tantum. Nam ut nunc locus scriptus est, ne hoc quidem satis liquet, utrum de Cephalo an de Phaethonte loquatur, siquidem verba haec *καὶ φύλακα ἐποίησε τοῦ ναοῦ* non minore iure ad Cephalum, quem raptum, quam ad Phaethontem, quem natum ex Aurora dixerat, referri posse apparet. Ad hanc autem ambiguitatem accedit etiam mira structurae inconcinnitas, quum subito post indirectam orationem, *φασὶν ἁρπασθῆναι καὶ παῖδα γενέσθαι*, directa oratione mutatoque subiecto pergatur, *καὶ φύλακα ἐποίησε*, non *καὶ φύλακα ποιηθῆναι*. Summo iure igitur viri doctissimi locum corruptum esse iudicaverunt, quumque ad structuram emendandam tollendamque sententiae ambiguitatem sufficere possit pronomen relativum *ὅν* ante *καὶ φύλακα ἐποίησε* insertum, quemadmodum Hartungus voluit, tamen dubitari non potest, quin paullo maior lacuna sit. Nam addito illo pronomine diceretur tamen Phaethon Aurorae templi custos factus esse: id autem non modo cum Hesiodi ceterorumque omnium, qui de Phaethonte retulerunt, auctoritate pugnat, sed ipsum per se prorsus incredibile est. Nam templa Aurorae in Graecia nulla fuisse pro certo affirmare licet[11]). Itaque exci-

11) Queritur Aurora apud Ovidium, Met. XIII, 588, quod sibi sint totum rarissima templa per orbem; ubi quod rarissima, neque tamen nulla dicit, cogitandum arbitror de barbaris gentibus, quarum unam aut alteram Auroram coluisse probabile est. In Graecia autem templa eius deae nulla unquam memorantur, ne Cypri quidem, ubi festa quaedam eius celebrata esse Engelius, Cypr. II p. 646, non satis circumspecte colligit ex Hesychii verbis, *ἑῴα — — καὶ θυσία ἐν Κύπρῳ*. Nam Hesychius non de festo, sed de sacrificio loquitur, idque sacrificium Aurorae fuisse ex nomine non tutius coniicitur, quam si quis apud Latinos

disse apud Pausaniam haec fere videntur, quae Westermannus[12]) proposuit: *οἱ δέ φασιν ὅτι Ἀφροδίτη ἥρπασε τὸν Φαέθοντα* —, quali supplemento ascito nullam amplius causam esse apparet, cur Pausaniae non hic ipse, quem supra posui, Theogoniae locus obversatus esse statuatur; quem quod ille non tamen ex Theogonia, sed ex mulierum Catalogo citavit, id quomodo accipiendum putem supra indicavi. Non repugnabo tamen, si quis aliter statuat, et Pausaniam errore memoriae falsum nomen carminis posuisse credat. Nam coniunctam olim cum Catalogo et Eoeis Theogoniam fuisse nihilo minus certum aut saltem probabile est.

Vix est autem ut moneam, ab eis, qui hanc trium carminum copulationem instituerunt, nullum tamen callidioris *διασκευάσεως* artificium adhibitum credi debere. Consistebat sine dubio omnis eorum opera in eo, ut aliquo probabili transitu Theogoniam cum Catalogo, Catalogum cum Eoeis necterent; aliis autem mutationibus in ipso carminum tenore abstinebant: et erat omnino horum forma et conditio eiusmodi, quae ad concinnitatem partium et corporis vere unius similitudinem revocari

matutina sacra matris Matutae fuisse dicat. Quid? quod oe coustat quidem, *ἑῷος* vocahulum apod Cyprios eadem stirpe ac sigoificatioue fuisse, qua npud Atticos. — Malto miaos Aurorae cultum demonstrat, quod Adonis, quem illi religiosissime colebant, etiam *Ἀῷος* dictus et Aurorae filios habitus esse perhibetur. Nam vera nominis forma *Ἀῶ* fuit, nou diversa fortasse ah *Ἰάω*, de quo oomioe cf. Macrob. Sat. 1, 18, Jahlonsk. Panth. Aeg. II, 6 p. 250, et Loheck. Agl. p. 461, qui pro eo in oraculi Clarii versibus op. Macrob. illud nlterum *Ἄδωνις* repoui vult: nescio quam recte. Aliam nomiais formam, *Γαύας*, Lycophron usurpavit v. 831, ubi cf. schol. Haee omnia noo graeca sed barbara sunt, Graeci aotem ex *Ἀῶ* ad soi sermoais formam eoavenienter finxeruut *Ἀῷον*, idque cum *ἠοῦς* nomiue cognutum putahnat, qoemadmodum etiam *Βήλου* nomen a multis eum *ἡλίῳ* compositum esse coostat. Vid. Meinek. Analect. Alex. p. 130 sq., et de variis Adooidis nomioihus ih. p. 281 sq. — *Ἀῷον* aotem alii Aurorae et Cephali filium primumque Cypri regem dixerunt, ut Phileas docet ap. Etym. M. s. v., alii eundem atque Adonin, quem quidem etiam *Ἠοίην* a Paoyaside vocutum esse Hesychius refert. Sed huius quoque uominis origo et sigoificatio plane in obscuro est, de quo quae Alberti (ad Hesychium), F. P. Fuucke, (de Puuyas. Hal. vit. et poesi. Bonn. 1837 p. 59), et utroque cautior J. P. Tzschiroer, (Panyas. Hal. Heracleid. fr. in Progr. gymn. Magd. Vratisl. ann. 1842 p. 50) proposuerunt, uon opus est hoc loco repeti.

12) Commeot. erit. in script. Graec. I p. 5. — Clavierius et Siebelis lacunom sic explebant: *καὶ Ἀφροδίτη φύλακα ἐποιήσατο τοῦ ναοῦ*, probante O. Müllero, script. miuor. I p. 237; Zestermannus uatem, de Basilicis p. 19 sic: *καὶ Ἀφρ. Φαέθοντα φύλακα ἐποίησε τοῦ ἑαυτῆς ναοῦ.*

nulla arte posset. Itaque nec repetitiones multarum rerum, de quibus et in Catalogo, et rursus in Eoeis diceretur, nec dissensiones, quum de
11 iisdem non eadem in utroque carmine traderentur, neque alia id genus plurima vestigia aberant, quae diversam carminum originem arguerent corporisque unitati repugnarent: unde non mirum est, a severioribus criticis tria illa carmina rursus separata, omnemque eorum coniunctionis memoriam obscuratam et paene oblitteratam esse. Et Catalogi quidem cum Eoeis dissensiones sat multas hodieque ex fragmentis cognoscimus[13]); de Theogoniae cum illis dissensu pauciora sunt indicia, neque id mirum propter diversum genus argumentorum. Sed extremae huius partis, quam vel appendicem Theogoniae vel Catalogi praeludium dicere licet, unam perquam memorabilem dissensionem cum Catalogo ex Ioannis Lydi quodam loco cognoscimus, de qua paucis dicendum videtur. Nam quum in hac appendice Latinum Ulixis et Circae filium dici videamus his versibus, 1011—1013:

Κίρκη δ' Ἠελίου θυγάτηρ Ὑπεριονίδαο
γείνατ' Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος ἐν φιλότητι
Ἄγριον ἠδὲ Λατῖνον ἀμύμονά τε κρατερόν τε.

in Catalogis contra longe aliter de Latino relatum esse Lydi illius testimonio discimus. Verba eius haec sunt, de mensib. 1 p. 7 ed. Bonn.: *τοσούτων οὖν ἐπιξενωθέντων τῆς Ἰταλίας, ὥσπερ ἐδείχθη, Λατίνους μὲν τοὺς ἐπιχωριάζοντας, Γραικοὺς δὲ τοὺς ἑλληνίζοντας ἐκάλουν, ἀπὸ Λατίνου τοῦ ἄρτι ἡμῖν ῥηθέντος* (dixerat modo Latinum Aeneae socerum factum esse) *καὶ Γραικοῦ, τῶν ἀδελφῶν, ὥς φησιν Ἡσίοδος ἐν καταλόγοις*: quibus deinde subiunguntur hi versus:

Ἄγριον ἠδὲ Λατῖνον.
Κούρη δ' ἐν μεγάροισιν ἀγαυοῦ Δευκαλίωνος
Πανδώρη Διῒ πατρὶ, θεῶν σημάντορι πάντων,
μιχθεῖσ' ἐν φιλότητι τέκε Γραικὸν μενεχάρμην:

quorum tres qui integri sunt id saltem demonstrant, Graecum in
12 Catalogis Iovis et Pandorae filium fuisse, cuius quum Latinum fratrem dictum esse Ioannes Lydus testetur, necesse est, Latinum quoque non Ulixis et Circae, ut in Theogonia, sed Pandorae et Iovis filium fuisse, quamvis mentio eius in his, qui adscripti sunt, versibus non fiat. Nam praecedens hemistichium *Ἄγριον ἠδὲ Λατῖνον* ab hoc contextu

13) Vid. Marckscheff. p. 109. 123. item fr. 12 et 158. fr. 44. fr. 61 et 160.

prorsus alienum esse apparet. Hanc ob causam Mützellius p. 508 id transponendum putabat post versum tertium, ut ἄγριον acciperetur pro altero Graeci epitheto: nam ad Latinum ne traheretur, collocatio verborum obstabat. Mihi autem epitheton ne si ad Graecum quidem trahatur, recte collocatum videtur, neque credibile est, casu aliquo fieri potuisse, ut idem vocabulum, eadem verborum iunctura, sed diversa potestate, in Catalogis et in Theogonia usurparetur: nam in hac quidem proprium nomen, non epitheton Ἄγριον esse apparet. Longe probabilius est, intercidisse apud Lydum versum Catalogi eum, in quo Latinus nominabatur, verba autem illa Ἄγριον ἠδὲ Λατῖνον ab aliquo lectore, qui Theogoniae recordaretur, in margine appositum ac dein temere in contextum illatum esse [14]). Ceterum est sane permi- 13

14) Sic statuit etiam Hermannus in censura ed. Goettl., opusc. VI p. 193, Goettlingius autem genuinam in Theogoniae versu lectionem fuisse putat Γραικόν τ' ἠδὲ Λατῖνον, atque haec ipsa verba citasse Ioannem Lydum, praemissis tantum his, ὥς φησιν Ἡσίοδος, quibus postea ab aliquo erudito lectore et catalogorum citationem (ἐν καταλόγοις), et tres ex iis versus adiectos esse. Haec coniectura vel propterea parum probabilis est, quod sola illa verba Γραικόν τ' ἠδὲ Λατῖνον non suffecissent ad probandum id quod Hesiodi testimonio probare Lydus voluit, Graecum et Latinum fratres fuisse. Accedit, quod Ἄγριον praeter codices tam Lydi quam Hesiodi, uno excepto, omnes, etiam schol. Apoll. Rh. III, 200 et Eustath. ad Od. XII, 118 p. 1796, 48 tuentur, ut de veritate lectionis dubitari non posse videatur. Hanc ob causam etiam reliquas coniecturas, certatim a viris doctis prolatas, repudiabimus: velut Ἄδριον, a Clerico propositum, quod Heynius quoque et Wolfius non displicere sibi professi sunt, mihi autem, licet non recipiendum, non tamen certe tam ineptum, quam Goettlingio, videtur. Movit hunc fortasse Vossius, qui in sched. crit. II p. 407 Ἄδριον propterea damnat, quod Adriatica regio Graecis non ante Phocaeensium navigationes innotuerit. Sed haec ratio nulla est: siquidem Herodotus, quem Vossio auctorem obversatum esse ex epist. myth. I, 15 p. 89 apparet, lib. I c. 163 non solum Adriam sed etiam Tyrrhenos Graecis per Phocaeenses innotuisse dicit: quamobrem, quum Tyrrhenos poetae theogonico notos esse videamus v. 1015, non est cur eidem Adriam notum fuisse negemus. Vossius ipse pro Ἄγριον coniecit Ἀντίαν, per synizesin, opinor, δισυλλάβως pronuntiandum. Grotefendus (Zur Geogr. u. Gesch. v. Alt-Italien, II p. 11) Ἄβριον proposuit, quo nomine Umbros designatos putat. Denique C. Meyerus in Ephem. Monac. (Münchener gel. Anz.) ann. 1843 vol. XVI p. 710 Ἄχριον, quod in Hesiodi codice Vaticano scriptum est, non spernendum, idque nomen cum Ἄργος et Ἀρκάς cohaerere opinatur. Mihi, ut dixi, Ἄγριον tenendum videtur. Quodsi quis quaerat quis sit ille Ἄγριος, respondebo cum Lennepio, referendum nomen videri ad feritatem Tyrrhenorum, qui quam infames propter latrocinia apud Graecos fuerint, nemo ignorat. Atque hoc etiam Nitzschio placere video, ad Od. tom II p. 76.

rum, in tanta Catalogorum Hesiodeorum celebritate memorabilem hanc de Latini ortu fabulam a nullo vetere scriptore, praeterquam ab uno illo Lydo, quem vix adhuc in veteribus numerare liceat, commemoratam esse: unde merito suspiceris testimonium eius ementitum, versusque aut ab ipso aut ab aliquo grammatico subditos esse, a qua suspicione Mützellius, vir cordatissimus, se non abhorrere profitetur.

Idem vir doctissimus subditicium etiam in Theogonia versum esse suspicatur eum, qui in omnibus fere exemplaribus post illos de Agrio et Latino legitur, 1014:

Τηλέγονόν τε ἔτικτε διὰ χρυσέην Ἀφροδίτην:

neque negari potest, sat multas esse suspicandi causas. Primum enim scholiastes Apollonii, III, 200, hunc Theogoniae locum citans, tres tantum versus 1011—1013 adscripsit, hunc de Telegono omisit. Porro Eustathius ad Od. XII, 118 p. 1796, 48 Circae et Ulixis filios ab Hesiodo Agrium et Latinum nominari ait, nulla Telegoni mentione facta, ut manifestum sit, versum 1014 ab eo lectum non esse. Denique abest is versus etiam a duobus codicibus Mediceis, in aliis autem scriptura variat, *Τηλέγονόν δ' ἔτικτε — Τηλέγονον δ' ἔτεκε — Τηλέγονον δ' ἔτεκεν — Τηλέγονον τε ἔτικτεν*, quam scripturam
14 Goettlingius merito praetulit. Haec sane eiusmodi sunt, ut Mützellio, ac iam ante eum aliis, nuperque etiam Lennepio non sine causa interpolationis suspicionem natam esse fateamur. At omnibus rationibus diligenter subductis assentiri huic suspicioni non possum. Scripturae quidem varietas non certe maior est, quam in aliis versibus plurimis, quos tamen nemo propterea damnandos censeat. Scholiastes Apollonii locum Hesiodi eo tantum citat, ut Circen ab hoc poeta Solis filiam dici ostendat, cui consilio quum unus versus 1011 sufficere potuisset, addidit tamen etiam proximos duos, scilicet quia his demum enuntiatio absolvitur: quartum insuper ut adderet, nulla causa fuit. Ab Eustathio denique, aut ab eo, quem is compilavit, apparet quidem versum in suo Theogoniae exemplo non lectum esse, quem hodieque in duobus codicibus desiderari paullo ante monui: sed nimirum manca scriptorum exemplaria nullo non tempore fuerunt; ego autem longe probabilius arbitror, tali quodam exemplari Eustathium aut auctorem Eustathii usum, quam ab ipso theogonico poeta, quum Agrium et Latinum memoraret, Telegonum, duobus illis longe nobiliorem multumque in fabulari historia celebratum, silentio praetermissum esse.

Sed prorsus manifestam interpolationem plerique sibi deprehen-

dere visi sunt in versibus 979—983, qui fabulam de Geryone, Chrysaoris et Callirrhoae filio, iam supra in Theogonia v. 287—294 commemoratam, paullo tantum brevius repetunt, quae res ipsum adeo Clericum, alias ab omni interpolationis suspicione longe remotum, tantopere offendit, ut „haec omnia ab imperita manu addita" pronuntiaret, quum praesertim ipsa fabula ab hoc loco aliena esset. Nam sermonem hic esse de iis, quos viri mortales cum deabus generassent; Chrysaorem autem virum mortalem haberi propter superiorem Theogoniae locum non posse. Assenserunt huic iudicio plerique: Goettlingius hoc insuper addidit, etiam Geryonem inepte *βροτῶν κάρτιστον ἀπάντων* dici, v. 981: nam deum fuisse non minus quam Typhoeum. Id equidem non infitior, si de vera et genuina fabulae significatione quaeritur; sed hanc huic poetae notam fuisse nego, eamque significationis ignorationem nec mirandam nec vituperandam esse arbitror, quoniam causae eius satis apertae sunt. Primum, quod ad patrem Geryonis Chrysaorem attinet, habuit is matrem certe mortalem: nam Medusam, ex cuius sanguine ille natus est, mortalem fuisse disertis verbis testatum legimus v. 277. Quid mirum igitur, si ex mortali matre natum mortalem et ipsum poeta credidit?[14b] quum praesertim etiam filium eius, licet ex Oceanitide, h. e. ex immortali matre procreatum, morti tamen occubuisse videret, quod qui fieri potuisset, nisi alterum saltem parentem mortalem haberet, non facile erat ad intelligendum; certe non culpandus poeta, si non intellexit. Patet autem hinc etiam, nullo modo cum Typhoeo Geryonem aequiparari debuisse, a quo non una ratione diversus est. Typhoeus enim parentes Tartarum Terramque habuit, non immortales solum, sed omnium immortalium antiquissimos; Geryonis pater fuit mortali matre, et in ipsa eius morte genitus, qui proinde pro deo immortali haberi non facile posset: Typhoeus tantum viribus valuit, ut de mundi imperio cum Iove certaret; Geryones cum armentis suis in Erythea insula se continuit: denique Typhoeus longo et ancipiti certamine vinci quidem a Iove et debilitari, haudquaquam tamen interimi potuit; Geryones contra ab Hercule, h. e. ab homine, non modo superatus sed etiam interfectus est. Non sine causa igitur hunc a poeta nostro in *βροτῶν* h. e. in mortalium numero habitum, itemque patrem eius Chrysaorem mortalibus viris accensitum esse fatebimur. Quod si ita est, non tam illud reprehendendum esse apparet, quod

14b) Cf. schol. ad Theog. v. 142. Tzetz. ad Lycophr. v. 17 et schol. ad 842.

huic fabulae locus in hac parte carminis datus, quam mirandum, quod eadem iam supra in ipsa Theogonia narrata est. Sic igitur, si qua est interpolationis suspicio, haec omnis ab hac parte in illam potius alteram convertetur.

Omnino autem de hac appendice Theogoniae paullo iniquius a viris doctissimis iudicatum, multaque calidius iacta esse videntur, quae
16 res ipsa satis diligenter perpensa facile redarguat. Velut Wolfius hanc partem totam conflatam dixit ex aliis poetae carminibus, nominatim ex Catalogis, eamque suspicionem firmari credidit illo Pausaniae testimonio de Phaethonte, de quo quid mihi videatur paullo ante exposui. Refutatur autem illa suspicio etiam diversitate argumentorum: siquidem in Catalogis de mulierum mortalium filiis dicebatur, haec autem appendix dearum dumtaxat immortalium filios memorat. — A Wolfii iudicio non multum Mützellius dissentiens ex laciniis hanc partem compositam esse autumat, p. 505, insignique versuum defectu deturpatam, quod malum a nonnullis tum de coniectura tum ex veterum citationibus improspere curatum esse. Fragmenta etiam Bernhardius sibi agnoscere visus est, ex genealogicis Hesiodi carminibus festinanter excerpta nulloque recto consilio composita aut tractata. Ad hoc etiam breviorem dearum atque heroum recensum esse, quam deberet quamque ipsius poetae professio polliceri videretur. Postremo neque plenam publicarum religionum commemorationem esse queritur, nec systema fabularum heroicarum, sed nihil nisi doctae cuiusdam collectionis rudimenta[15]). — Haec fere accusatores: iam videamus, num quid contra dici possit. Ac primum quidem de brevitate, — nam hinc commodissime ordiemur, — non video quid in ea reprehendi aut quo iure longius carmen postulari potuerit. Poeta certe nihil nisi
17 relaturum se promisit, quae deae ex mortalium complexu liberos

---

15) Non satis scio, quam recte viri doctissimi orationem paullo abstrusiorem perceperim, quamobrem ipsa eius verba adscribam. Dicit igitur hanc partem (Hist. litt. Gr. II p. 185) „einen wider Erwarten kurzen Abschnitt der Heroogonie, dem vermöge des grossen Anlaufs v. 963 ein breiterer Raum bestimmt war. — In diesen Schlussstücken, welche des inneren Masses entbehrten, und weder ein volles Verzeichniss der positiven Kulte noch ein System heroischer Fabeln beabsichtigten, vielmehr bloss gelehrte Sammlungen begründen sollten, wächst die Unsicherheit“. Et p. 191: „Endlich können die planlos (wie 979—83) gearbeiteten Bruchstücke nach 963 bloss für eilige Auszüge aus genealogischen Gedichten des Hesiodus gelten.

peperissent, idque fecit non magno quodam hiatu, et quasi grande aliquid prolaturus, sed quam potuit simplicissime, his quattuor versiculis:

νῦν δὲ θεάων φῦλον ἀείσατε, ἡδυέπειαι
Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο,
ὅσσαι δὴ θνητοῖσι παρ' ἀνδράσιν εὐνηθεῖσαι
ἀθάναται γείναντο θεοῖς ἐπιείκελα τέκνα.

In ipsa deinceps relatione non sane maior est brevitas, quam in superiore Theogonia, quae item nihil fere, nisi quinam cum quibusnam copulati sint, quosque liberos procreaverint, paucis verbis commemorat, additis subinde epithetis quibusdam honorificis aut brevibus descriptionibus, sed nulla longiore tractatione, prorsus ad eundem modum, quem etiam in hac extrema parte servatum videmus. Neque obiiciat mihi aliquis, narrationes tamen quasdam hic illic Theogoniae insertas esse paullo longiores, velut de Caeli castratione v. 154, de Iove matris consiliis servato v. 459, de Prometheo eiusque delictis atque supplicio v. 520, de certaminibus Iovis cum Titanibus et Typhoeo v. 617: nam harum nulla ornandi tantum et amplificandi carminis causa intexta est, sed pertinent omnes ad summam rem, ut cognoscatur, quibus quasi gradibus deorum genus ex chao primigenio per Caeli ac Saturni et Titanum regnum usque ad Iovem eiusque familiam processerit, quaque ratione factum sit, ut deiectis et oppressis deis antiquioribus novi in eorum locum succederent summoque imperio potirentur. Talem autem narrationum inserendi causam in hac de deabus appendice nullam fuisse apparet: quamobrem non est quod nuda hac nullisque digressionibus distincta brevitate offendamur. An forte ipsum tamen recensum iusto breviorem esse dicemus? Taceri deas quasdam dearumque filios, qui taceri non debuerint? Tale quid eum voluisse suspicor, qui plenam publicarum religionum commemorationem aut heroicarum fabularum systema requirit. In quo illud maxime miror, quod de publicis religionibus loquitur: quasi vero non omnis Theogonia ad fabularum potius cognitionem, quam ad religiones cultumque 18
deorum pertineat. Heroicarum autem fabularum systema proponi qui potuit in hac parte carminis, ubi de uno tantum genere heroum dicendum fuit, qui deabus nati essent? An forte horum ipsorum nimis multos omissos esse dicemus? Fateor equidem, si quis Apollodorum, Pausaniam aliosque fabularis historiae fontes studiose perscrutetur, posse huius quoque generis aliquanto maiorem numerum confici, prae-

sertim si etiam Nympharum filii connumerentur. Nymphae enim non paucae cum mortalibus concubuisse filiosque ex eis peperisse dicuntur, velut apud Homerum Abarbarea quaedam ex Bucolione Aesepum et Pedasum, alia, cuius nomen tacetur, ex Enope Satnium, alibi Meliboea quaedam e Pelasgo Lycaonem, Perihoea ex Icario Aleten, Oenone ex Paride Corythum[16]). Hoscine igitur horumque similes omissos criminabimur? Non opinor, sed laudabimus potius poetam prudenterque fecisse dicemus, quod non quosvis ignobiles et obscuros, sed eos tantum enumeraverit, qui aut propter magnam in fabulari historia celebritatem aut propter parentum claritatem memorabiles viderentur. Maiorum autem dearum, earumque, quae vere Olympiae dicendae sunt, admodum rara fuerunt cum mortalibus coniugia[17]), horumque, nisi fallor, omnium ab hoc poeta mentio facta est, praeterquam unius fortasse Lunae cum Endymione, ex quo illam quinquaginta haud minus
19 filias peperisse Pausanias V, 1, 2 ab Eleis narratum refert: rem sane memorabilem et quam poetae nostro non tacendam fuisse dixeris. Nempe si nosset. Sed plerique omnes amatum quidem a Luna Endymionem aiunt, de filiabus ex eo susceptis nihil memorant: poeta autem non de amoribus dearum, sed de liberis se dicturum promiserat, quamobrem Lunae et Endymioni locum in carmine dare non potuit. Immo miretur forsitan aliquis aut Circae locum concessum, minorum gentium deae, aut Medeae, quam posteriores ne deam quidem esse crediderunt. Verum de antiqua Medeae divinitate satis inter peritos constat: quamobrem eius cum Iasone nuptiae non fuerunt praetermittendae. Quod autem de filiis Medeae, quos alii plures memorant, unus Medeus nominatur, quem plerique Medum vocant, neque ex Iasone sed ex Aegeo

16) Homer. Il. VI, 21. XIV, 444. Apollod. III, 8, 1, 2. 10, 6, 1. Tzetz. Lycophr. v. 57.

17) Huiusmodi coniugia deis perquam invisa esse queritur Calypso apud Homerum Od. V, 118 sqq., eamque ob causam et Orionem, cui Aurora, et Iasionem, cui Ceres se coniunxerit, ab iratis deis interemptos. Neque ignorat illam deorum invidiam Anchises, Hymn. in Ven. v. 190, ipsaque adeo Venus v. 200 summo se dolore cruciari ait, quod mortalis viri amplexus passa sit „caelestemque homini concubuisse pudet“, ut est apud Ovidium, Fast. VI, 573. Non caret haec veterum persuasio certa quadam ratione, quam obiter attigi ad Aesch. Prometh. p. 138, neque nunc accuratius explicare vacat. Admonebo tamen Aegyptiorum persuasionis, qua illud quidem fieri potuisse statuebant, ut ex deis mulieres mortales, non autem ut ex viris mortalibus deae liberos susciperent. V. Plutarch. Num. c. 4. Sympos. quaestt. VIII, 1 c. 3 extr.

susceptum aiunt: fuerunt nimirum de his aliae aliis temporibus aut locis fabulae[18]), ex quibus eam quisque repetebat, quae aut nota ipsi aut maxime probata esset. Item Circae et Calypsonis filios propter patris Ulixi claritatem memoratos esse apparet, licet ipsi praeter Telegonum et Latinum obscuri et ignobiles fuerint[19]). Callirrhoae denique eiusque filio Geryoni propter Heraclearum fabularum claritatem locum dari debuisse nemo non intelligit, eamque causam etiam ipsius poetae versus satis aperte indicant.

Reliquum est, ut etiam de dispositione rerum dicamus, siquidem haec maxime in causa fuisse videtur, ut ex laciniis quibusdam et carminum genealogicorum fragmentis nullo certo consilio congestis omnis haec pars Theogoniae constare putaretur. Nimirum requirebant censores iustum fabularum ordinem et quasi filum quoddam, quo inter se aliae aliis necterentur, quod quum non invenirent, temere omnia nullaque ratione, ut quodque fragmentum sese obtulisset, in chartas coniecta esse iudicabant. Neque id mirum accidisse obiter intuentibus, praesertim si solas matres spectarunt. Qui autem sic, ut censorem decet, h. e. diligenter animoque acriter in rem intento singula consideraverit, agnoscet, opinor, non matrum, sed liberorum potius rationem habendam fuisse, quandoquidem illae omnes non nisi liberorum causa commemorantur. In liberis autem ordinandis eam poeta rationem se-

---

18) Etiam a Ciuaetbone, qui c. Olymp. V. vixit, Medum v. Medeum s. Medium (Μήδειον Pausanine codices habent, Medium Iustin. II, 6, 14. XLII, 2, 16. cf. O. Müller. ad Varron. VI, 60. Ribbeck. trag. Lat. fr. p. 87) Iasouis et Medeae filium dictum esse Pausanias refert II, 3, 7. Addiderat is etiam filiam Eriopin, nibil autem de utriusque fatis narraverat. Posteriores Medum in Asia imperitasse populumqne Medorum ab ea appellatum esse voluerunt, quas Μηδείους etiam Pindarus vacat, Pytb. I, 78 (151), ubi cf. Boeckbii not. crit. et Bergler ad Alcipbr. I, 38, 16. Sed antiquam banc opinianem propter multas ratianes non credo (cf. Strab. XV, 3 p. 735. Voss. sched. crit. II p. 162); quumque naster poeta Medeum a Chiroue educatum dicat, v. 1001, couiicere licet, eam maxime artem ac scientiam ei traditam, qua magister excellebat, ut φαρμάκων peritus fieret itidem ut mater, cuius nomen referebat. Hanc autem ad Lunam virtutesque lunares pertiuere non obscurum est, (cf. diss. noatr. de Hecate p. 26. 27,) eodemqne etiam filiae uamen Eriopis haud inepte retuleris.

19) Nausithoum et Nausinoum praeter nostrum poetam nemo, nisi fallar, memorat, nisi quod apud Hyginum fab. 125 Nausiphonus naminatur, quod nomen e Nausithoo corruptum probabiliter Munckerus statuit. Sed mater huius ab Hygino non Calypso, ut in Theog., sed Circe dicitur. Varietatem traditionum de Latino et Telegano commemorare h. l. nihil attinet.

quitur, qua commodiorem ne ab iis quidem ipsis, qui hunc vituperant, inveniri potuisse arbitror, in tali scilicet materia, quae constaret rebus nullo interno ac naturali vinculo inter se cohaerentibus. Huius igitur digerendae legem quasi extrinsecus sibi petendam esse iudicavit, ut aut sortem atque conditionem eorum, de quibus dicturus erat, aut aetatem, qua quisque vixisset, intueretur. Et conditione quidem a ceteris diversa fuerunt Plutus, Ino, Semele, quippe qui, licet mortalibus, ut quidem poetae cum plerisque videbantur, patribus generati, ipsi tamen immortalitatem sortemque divinam nacti essent. Nam Plutum, Iasionis et Cereris filium, in deorum numero habitum esse satis constat: Inonem autem et Semelen, Cadmi et Harmoniae filias, alteram morti exemptam mutatoque nomine Leucotheam deam marinam factam,
21 alteram a filio Dionyso ex inferis reductam et in Olympo collocatam Thyonenque dictam esse fabulae testantur. Hi tres igitur segregandi a ceteris, qui mortales manserunt, iisque anteponendi videbantur, et primo quidem loco Plutus, post hunc Ino et Semele, propterea quod harum sorores, Agaue et Autonoe, quas seiungi ab eis non potuisse apparet, ad alterum genus pertinebant. Immortalis quidem etiam Aurorae filius Phaethon factus est, quem ipse poeta *δαίμονα δῖον* vocat[20]);

20) Hygious P. A. II, 42 Aurorae et Cephali filium, h. e. hunc ipsum Phaethontem, Luciferum sive Hesperum esse dicit: neque id falso, quando quidem Hesperum eundem ac Luciferum esse constat. Sed hoc Graecis tameo igootum fuit ante Pythagoram aut Parmenidem (vid. Diog. L. VIII, 14. IX, 23. Suid. s. v. *Παρμενίδης*) et inveotores huius de Phaethoote fabulae tantum de Lucifero cogitasse manifestum est, siquidem Aurorae filius oon vespertinus, sed matutinus tantum esse potuit. Is quia noctu latet, sub diluculum in coospectum prodit, propterea noctu morari iu templo Veoeris dicitur, ut *νηοπόλος νύχιος*, noo *μύχιος*, quam scripturam et codices oonoulli habeot, et Archilochus (Aristarchus?) probasse a scholiasta dicitur. Quam proclivis fuerit horum vocabolorum permutatio, apparet; eratque etiam apud veteres controversia de Latonae cognomine, utrum *μυχία* esset an *νυχία*. Vid. Plotarch. fr. de Daedal. c. 3. tom. V, II p. 757 Wytt. Sed de Phaethonte *μύχιος* epithetoo plane otiosum est, *νύχιος* contra rei convenientissimum, meritoque probatum quum ab editoribus Hesiodi, tum ouper ab Ed. Gerhardo in diss. de Erote Commentt. Acad. Berol. ano. 1848 p. 284, qui causam epitheti a pervigiliis Veneris nocturnisque sacris repetit, quemodmodum iam olim Wolfius. Nolo equidem intercedere, quamquam nihil opus ista causa fuisse arbitror. Neque illud peritos offeodet, quod Phaethontem Luciferum interpretamur, quum *Ἑωσφόρος*, h. e. item Lucifer, supra v. 381 Aurorae et Astraei filius dictus sit: si qui autem sint paullo imperitiores, hi, velim, mihi credant, nihil esse hac in re offeosionis. — Cur autem et quam mature singuli planetae certis deis, Lucifer Veneri, alii aliis coosecrati sint, quaerere hoc loco noo vacat. Quantum quidem

possitque igitur huic quoque locus in hac parte, inter Plutum et Iuonem ac Semelem, debitus videri. Sed non licebat tamen eum a ceteris Aurorae filiis divelli, quibus propter temporis rationem posterior locus assignandus fuit. Ex mortalibus autem primum locum Autonoe et Agaue sibi deposcebant, quippe quae neque a sororibus suis separari 22
commode possent, et temporis etiam ratione ceteris, qui post memorantur, priores essent. Horum autem antiquissimi Herculis aequales sunt: primum Geryones, Callirrhoae filius, quem ille propter boves interemisse dicitur: deinde Aurorae filius Emathion, ab eodem in itinere ad Hesperides interfectus. Reliquos igitur Aurorae filios, Memnonem et Phaethontem, et ipsos hoc loco memorari conveniebat, licet alter eorum usque ad Troica tempora perduraverit, alter autem generis fuerit diversi. Sed in Herculis aetatem incidit etiam Argonautarum expeditio, quamobrem proximo loco Medeae cum Iasone, Argonautarum duce, nuptiae filiusque eorum Medeus memorantur. Sequitur Psamathae Nereidis et Aeaci filius Phocus, quem item Herculis aequalem fuisse fabulae demonstrant. Hunc excipit alterius Nereidis, Thetidis, filius Achilles, Troiano bello clarus: post hunc Veneris filius Aeneas, Achillis aequalis; postremo loco Latinus, Telegonus, ceterique Ulixis filii, proximo post Troiam eversam tempore geniti. — Sic omnia satis bene disposita sunt, erraruntque sine dubio, qui nihil in his nisi tumultuariam quandam fragmentorum congeriem agnoscere potuerunt. — Ceterum, quum ab iniquis criminationibus hanc Theogoniae appendicem defendendam duxerim, nolo tamen hoc sic accipi, quasi totam plane probem nihilque in ea esse contendam, quod reprehendi iure possit. Sunt sane huius generis nonnulla, verum nec plura tamen nec graviora, quam quae in ceteris quibusvis Theogoniae partibus nos offendunt. Propterea ego ne illud quidem concedendum esse arbitror, quod plerique pro certo statuunt, hanc extremam partem Theogoniae a recentiore quopiam interpolatore assutam esse[21]). Nihil enim causae esse video, cur non 23

ego nnoe memini, prima diserta rei mentio est apud Platonem de republ. X p. 616. 17. in Timaeo p. 38 D, oisi quis antiquiores putat Orphicos versus a Tzetza ad Hes. O. et D. v. 763 citatos, aut adeo Ps. Timaeum Locrum de anima mundi p. 432 Stallb.

21) Marckscheffelio p. 99 „posterioris aetatis indicium contineri videtur Latini memoria Tyrrhenorum regis.“ Nempe si constiterit, primum, quo tempore reliqua Theogonia composita sit; dein, quando nomen Latinorum ac Tyrrhenorum Graecis innotescere coeperit. Constatne igitur aut de utroque aut de alterutro?

unius hominis ingenio ac studio cum reliqua carminis compositione haec etiam appendix tribuenda sit, una cum clausula sua, quae ad Catalogos transitum parat. Quod si ita se res habet, quid hinc porro consequatur de omnis huius compositionis ratione et consilio, non nimis difficile arbitror ad suspicandum. Sed haec nunc quidem velim pro se quisque perpendat, quoniam mihi rem persequi hac scriptione non licet.

Scrib. Gryphiswaldiae m. Octob. MDCCCLI.

DE FALSIS INDICIIS LACUNARUM THEOGONIAE HESIODEAE.

De Theogonia Hesiodea sic fere hodie a viris doctissimis iudicari solet, ut eam variis per longum aevum mutationibus a prisca et genuina forma multis modis deflexam suique prorsus dissimilem factam esse statuant[1]). Et primus quidem Guietus ultra minutam illam *διορθωτικήν*, in qua priorum curae substiterant, altiorem etiam criticen attingere ausus, versus sat multos sibi spurios videri pronuntiavit, rationes tamen iudicii sui vix unquam exposuit. Post hunc alii deinceps longius progressi partes carminis minores maioresve non paucas aut propter perversum narrationis ordinem, aut propter inutiles ac molestas repetitiones, aut propter repugnantiam rerum, aut denique propter orationis genus inelegans et inconcinnum, tanquam morbosa de sano corpore membra recidenda censuerunt: Heynius autem non modo obelum multis locis apposuit, sed universam carminis compositionem adeo malam et inconcinnam esse pronuntiavit, ut non unius poetae fetu procreatum, sed e pluribus carminibus consarcinatum videri deberet[2]): quod quidem iudicium iam pridem Thomas Galeus praeiverat quodammodo in commentario ad Apollodorum. Abhinc annos triginta Thierschius similem sententiam amplexus ita conformavit, ut antiquam theogoniam admodum exiguam fuisse, totamque fere in nominibus deorum ac generationibus brevissime percensendis versa- 3

1) Nitzsch. de hist. Homer. I p. 124.

2) Comment. Gotting. Vol. II p. 134. 147. 154 et ap. Wolf. obs. in theogon. pag. 116.

tam, post a rhapsodis, quibus tam ieiunum et exile carmen parum accommodatum ad auditorum animos delectandos videretur, variis additamentis hinc inde desumptis aut etiam fortasse ipsorum benigno ingenio procreatis auctam, atque sic hanc quam nunc habemus theogoniam pleniorem quidem sed morbosam factam esse vellet[3]). Nuper demum Gruppius, promptissimi ingenii elegantisque iudicii vir, illud etiam efficere conatus est, quod adhuc reliquum erat, ut ex hac compo-
4 sitione illud ipsum carmen antiquum eiusque veram et primitivam formam erueret et, quantum fieri posset, restitueret. Et initio quidem, quum videretur sibi perspexisse, priscam theogoniam strophis quibusdam sive complexibus versuum quinariis compositam fuisse, hoc inventum suum Adolpho Soetberio, docto adolescenti, publicandum et exornandum concessit, abs quo theogoniam accepimus strophis quinariis duabus et septuaginta, versibus itaque trecentis sexaginta constantem[4]). Mox autem Gruppius, re identidem perpensa, iudicium hactenus mutavit, ut strophas non quinarias sed ternarias fuisse statueret. Hinc iam nacti sumus theogoniam versuum haud amplius centum et undecim, pro ea quam habebamus decuplo fere longiorem[5]). Ceterum hanc parvulam et primitivam theogoniam non integram a se restitutam, sed aliquam eius partem intercidisse profitetur, neque tamen plus quam duodecim ad summum aut tredecim strophas, ut universae fuerint quinquaginta, seu versus centum et quinquaginta. Non sane dolebimus tam magna parte carminis recisa, admoniti praesertim a Soetberio praecepti Hesiodei, πλέον ἥμισυ παντός: quamquam hic nobis ne ἥμισυ quidem relictum videmus: sed hoc ipsum quamvis exiguum, si modo verum et genuinum sit, pluris tamen faciendum erit, quam opus quamvis differtissimum alienis atque subditiciis additamentis. Illud tamen nostro iure requiremus, ut quae ita grassatur critice ipsa se veram, non adulterinam praestet, hoc est ut certa via et ratione procedat, argumentisque utatur non precariis aut ex opinabili praesumptione haustis, sed firmis et ad rem demonstrandam idoneis. Sed mihi quidem, ut dicam quod sentio, diligenter perlecto Gruppii

3) Act. acad. Monac. ann. 1813 p. 22 sq.

4) Versuch die Urform der Hesiodeischen Theogonie nachzuweisen. Von A. Soetbeer. Berlin 1837.

5) Ueber die Theogonie des Hesiod, ihr Verderbniss und ihre ursprüngliche Gestalt. Von Dr. O. F. Gruppe. Berlin 1841.

libello, hoc totum genus disputandi plane lubricum et incertum, conatus autem ille praeproperus et immaturus esse videtur, multaeque rerum gravissimarum quaestiones ante absolvendae, quam de prisca et genuina theogoniae forma tuto iudicare liceat. Nam etiamsi pleraque eorum concedimus, unde primum criticorum suspiciones motae sunt, fatemurque, ut Wolfii verbis utar[6]), mythorum in theogonia seriem difficili saepe tenore deductam, rerum exhibendarum et ornandarum modum mire inaequalem, multa porro supervacanea et otiosa, quibus detractis nihil neque ad intellectum neque ad ornatum rerum desideretur, alia autem manca et imperfecta, ubi pleniorem et disertiorem expositionem tuo iure postules, transitum denique ab alia parte ad aliam nonnunquam iusto duriorem: haec omnia si fatemur, illud ante omnia quaerendum restat, num quid causae sit, cur tale carmen non statim ab initio fuisse, sed paullatim per varias depravationes in hanc formam corruptum esse statuamus. Etenim hoc quidem, opinor, negari non potest, etiam in hac, quam nunc habemus, theogoniae forma non rudem et indigestam narrationum farraginem, sed compositionem certo consilio institutam et tenorem quendam ac connexionem rerum, etsi duriorem nonnunquam, at perspicuam tamen agnosci posse[7]). 5
Quid igitur, si is ipse, qui omnium primus corpus hoc theogonicum contexere deorumque stirpem et cognationes ab ultima origine exponere instituit, in plerisque partibus compositorem potius quam poetam egerit? ita ut ex aliorum carminibus quae consilio suo accommodata viderentur desumeret, hisque de suo adiiceret, quibus aut apte necterentur hae partes, aut adderentur ac supplerentur, quae ad systema theogonicum deessent. Hoc ipsum sine dubio etiam Heynio obversatum est, quum Hesiodum sua e pluribus poetis collegisse statuit: quam sententiam qui spreverunt, opinione potius et praeiudicio quodam, quam certis rationibus moti videntur. Certe qui Heynium redarguerit eiusque sententiam admitti non posse demonstraverit, equidem novi neminem. Nisi forte pro argumentis talia nobis venditari patiamur, qualia in promptu habent, qui de veterum operibus philosophari audacius quam quaerere accuratius consueverunt, et ante quam, quid et quale

6) Observatt. in theogon. p. 57.

7) Ordinem et quasi filum compositionis non male Weiskius persequntus est in opere postumo de Prometheo (Prometheus u. sein Mythenkreis. Lpz. 1842) p. 139 sqq.

quidque sit, diligenter ac sobrie perpenderint, quale id esse conveniat ex artis, quam ipsi scilicet teneant, certis et immutabilibus legibus compertum habent. Nempe adhibendam esse aiunt normam quandam intelligendi et iudicandi non aliunde quam ex eius, quod aptum et rectum sit, sensu et scientia, formaeque, quam res ipsa tanquam necessariam sibi poscat, cognitione repetitam, eamque normam plus valere, quam quaevis alia critices instrumenta ex veterum monumentorum fide testimoniorumque auctoritate desumpta: esse enim altiorem quandam criticen philosophicam et aestheticam, qua duce certius et longius procedere liceat, quam philologorum criticorum scrupulosa et superstitiosa secta audeat. Nobis contra verendum videtur, ne hac ratione admissa imaginem potius et fallacem speciem, quam intellectum rerum sequamur. Nam normam illam sensumque recti et veri, formaeque necessariae cognitionem, unde tandem accipimus? Aut natura insitam aut discendo comparatam esse oportet. Si insitam natura habemus, quis affirmare ausit, eandem fuisse naturae vim et benignitatem in omnibus Graecis scriptoribus, ut non etiam quae minus essent apta et convenientia componere potuerint? sin discendo comparatam, disci non aliter potuit, quam scriptorum assidua contemplatione, eorum quidem, qui in quoque genere maxime excelluerunt. Atqui ex hoc genere genealogico et theogonico hanc unam habemus theogoniam Hesiodeam: quamobrem in hoc genere quae fuerit veterum scriptorum ars, quae ratio et forma compositionis, aut nusquam aut ex hac ipsa, quam habemus, theogonia discendum erit. At, inquit, huius ipsius partes admodum inter se diversas esse apparet: alias nativa quadam simplicitate conspicuas, nihil nisi quod maxime ad rem pertinet breviter et cum modico verborum ornatu proponentes, et singulas generationes ternorum versiculorum ambitu includentes, alias contra dictione diversa, cum multo inutilium verborum strepitu, neque isti versiculorum symmetriae adstrictas, et has quidem omnes in eiusmodi rebus
6 occupatas, quae aut plane non pertineant ad deorum generationes, aut si pertineant, tamen ea nobis numina exhibeant, quae a vetere poeta in hanc deorum genealogiam adscita esse parum probabile sit, quum contra illae alterae partes fere omnia complectantur, quae ad iustam theogoniam satis sint. Habent haec fortasse aliquam veri speciem, sed quae accuratius rem consideranti cito rursus evanescat. Primum quaenam sint illae partes si quaerimus, ex omni carmine, inde a v. 116 — nam de prooemio nunc non loquor — sexaginta tres haud amplius

versus isti normae respondent, ex quibus una et viginti conficiuntur strophae: sedecim strophas alias ita demum nanciscimur, si aliquot versus recidi et tanquam otiosos et supervacaneos exterminari patiamur: quumque ne sic quidem omnia satis apte coeant, aliquot stropharum lacuna statuenda est. Quae autem percensentur his partibus numina, post Chaos, Tellurem et Amorem, haec sunt: primum Coelus et Pontus, deinde Coeli ex Tellure progenies, Saturnus eiusque fratres et sorores: porro Furiae et Gigantes e Coeli castrati sanguine exorti: Tethyos ex Oceano filii, fluvii quinque et viginti: Hyperionis et Thiae liberi, Sol, Luna et Aurora: Crii et Eurybiae Astraeus, Pallas, Perses: Coei et Phoebes Latona: Saturni et Rheae Vesta, Ceres, Iuno, Pluto, Neptunus, Iupiter: Iovis Horae tres ex Themide, Gratiae totidem ex Eurynome, Proserpina e Cerere, Musae ex Mnemosyne, Apollo et Diana ex Latona, Iuventus, Mars, Ilithyia ex Iunone, Minerva ex ipsius capite: postremo Iunonis filius absque concubitu natus Vulcanus. Itaque primitiva ista theogonia nequaquam omnes deos, quorum aut sanctissima apud Graecos religio aut celebratissima apud poetas nomina essent, sed quosdam tantummodo quasi selectos enumerabat, aliis non minus nobilibus omissis. Nam desunt Venus, Bacchus, Mercurius, omittuntur Nereus et Nereides, tam saepe a poetis celebratae, ex quibus maxime Amphitriten desideres, Neptuni uxorem marisque reginam, et Thetidem, tot fabulis nobilitatam: silentur Oceanitides omnes, in quibus Dione, non sane infima dea neque apud poetas neque in religione populari, aliique plures, qui cur minus digni memoratu viderentur, quam aut Astraeus aut Pallas aut Perses nescio quis, nemo dixerit. Quid? quod sunt quarum originem omitti lex artis sine dubio vetaret, Metis, Eurynome, Eurybia. Nam quum Metidis et Eurynomes cum Iove, Eurybiae cum Crio connubia et progenies enumerentur, postulabat, opinor, artis lex et ratio, ut doceremur a poeta, hae deae quaenam et qua stirpe ortae essent. — Et quo tandem consilio huiusmodi cantiunculam a vetere poeta compositam esse dicemus? Ad delectandos auditores? Sed quaenam delectatio percipi potuit ex tam arida et ieiuna nominum et generationum enumeratione, omni ornatu, praeter pauca quaedam epitheta, detracto nullaque rerum gestarum narratione, praeter Coeli castrationem et Saturni fortasse deiectionem, pauculis versiculis satis ieiune propositas. An memoriae sublevandae causa? Ecquem vero non modo illa aetate, sed vel his nostris temporibus, tantopere imminuta memoriae vi, tale subsidium in huiusmodi rebus desiderasse cre-

demus? Hieraticum quoddam genus poeseos commenti sunt, incognitum ad hunc diem, a sacerdotibus factitatum: quasi vero nomine invento res per se improbabilis probabilior fieret. Nescio equidem, quid
7 illi de antiqua Graecorum sacerdotum disciplina et institutis compererint: mihi, quum reputo, quales nobis sacerdotes Graecorum historia ostendat, omne hoc breviculi et quasi catechismi cuiusdam theogonici componendi consilium longissime ab eorum rationibus disiunctum fuisse videtur.

Haec igitur et talia Gruppio, et si quis Gruppio assentitur, recte opponi poterunt: contra illi alteri sententiae, quam mihi magis probari supra significavi, et quae Heynio quoque placuit, quid recte opponi possit non video. Nam nec dissimulat haec sententia quidquam earum rerum, quae in compositione theogoniae merito critici reprehenderunt, et earum explicationem affert simplicem et probabilem. Composuit aliquis theogoniam ex variis veterum carminum partibus, quae tali argumento convenirent, quae autem deerant ad corpus theogonicum absolvendum, ipse de suo addidit, ita tamen, ut ultra brevem recensum generationum nihil auderet: quem recensum quod aliquoties per terniones aut quiniones versiculorum deductum videmus, concinnitatis cuiusdam amore factum est sponte magis oblatae quam studiose quaesitae. Hanc sententiam si quis confutare velit, huic argumentis utendum erit huiusmodi, ut ostendat, aut non esse hanc nostram theogoniam ex variis et dissimilibus partibus, non optime quidem, nec tamen absurde, compositam, id quod demonstrandum nemo suscipiet, aut hoc totum talis compositionis consilium ab antiquorum cantorum ingenio et habitu tantopere abhorrere, ut prorsus incredibile videri debeat. Quodsi quis forte illa quidem aetate, quae heroogonias et mulierum catalogos tulerit, etiam theogoniae, quae anteponeretur heroogoniis, condendae et hoc modo componendae consilium nasci potuisse concedat, sed Hesiodum illum veterem, Homeri aetati supparem, aliam sine dubio et longe meliorem theogoniam cecinisse, hanc nostram tamen, quum Hesiodi nomen praeferat, non plane ab hoc alienam esse posse, sed aliquid certe ex eius genuino carmine retinuisse, multis autem postea partim lacunis partim alienis additamentis deformatam esse contendat: huic probandum erit ante omnia, fuisse reapse veterem aliquam theogoniam, genuinum Ascraei vatis fetum, aliisque carminibus genealogicis, quae nomen Hesiodi et ipsa praeferebant, longe antiquiorem: neque illud recusare poterit, quin probet, facilius carmen per alios sive

rhapsodos sive diasceuastas in hanc formam corrumpi suique plane dissimile fieri, quam statim ab initio ita componi potuisse. Quamquam hoc ego minime nego, corruptelas theogoniae, posteaquam primum a compositore publicata fuit, sat multas procedente tempore illatas esse, sed tamen pauciores has et minores credo, quam nonnulli volunt, et quae totam formam et compositionem carminis, ut ab initio instituta erat, non magnopere mutarent.

Haec nunc breviter ac summatim proposuisse satis habeo, quoniam accuratior singulorum pertractatio longam orationem et plus loci ac temporis poscit, quam huic scriptioni concessum est. Interim hoc apparere puto, omnem hanc de origine theogoniae eiusque prisca et genuina forma quaestionem absolvi non prius posse, quam historiae testimoniis omnibus diligenter excussis et ponderatis compertum fuerit, et quamnam veteres quoque tempore theogoniam Hesiodeam habuerint, nostramne hanc, an multum ab ea diversam, et cuinam aetati 8
originem theogoniae probabiliter assignare liceat, et quae fuerint huius aetatis rationes et studia: res sane difficilis et intricata, in tenui et obscura omnis illius aevi, de quo quaerendum est, memoria: cui tamen non desperamus paullo plus lucis affundi posse, quam adhuc factum est. Quod autem primo loco posuimus, perfecit quoad fieri potuit I. Mützellius editis libris tribus de emendatione theogoniae Hesiodeae, quorum tertio quidquid testimoniorum apud veteres scriptores extat, unde de forma theogoniae, quam illi legerint, coniectura fieri possit, summa cum diligentia persequutus est. Et constabit viro egregio sua laus, libenterque a nobis praedicabitur, etiamsi in summa re magnopere ab eo dissentimus. Nam quum ille, ut ait in praef. p. x, ex indiciis quibusdam haud ambiguis certo collegisse sibi videatur, eam quae ante Alexandrinos obtinuerit apud Graecos carminis formam, non modo hodierna eius specie, verum ea ipsa, quam critici Alexandrini sive probarunt sive acceperunt traditam, aliquanto fuisse uberiorem, atque etiam post Alexandrinos non paucas carminis partes interceptas esse[7b]), ego contra ne unum quidem huius rei indicium satis certum et manifestum deprehendi posse arbitror. Multis modis theogoniam corruptam esse non nego, quemadmodum iam paullo ante professus sum: etiam lacunas agnosco non paucas, si lacunas esse dicimus in locis eiusmodi, quibus aut ad perficiendam rerum expositionem aut ad

7b) Cf. Wolf. ad Hes. Scut. p. 80.

partes apte connectendas aliquid deesse videatur; verum has lacunas non iam ab initio fuisse, sed procedente demum tempore ortas esse, et plenius olim carmen lectum fuisse, quam a nobis hodieque legitur, hoc unde colligi possit nihil invenio. Huius iudicii mei rationes hac dissertatione paullo accuratius exponere decrevi, id quod fieri aliter non poterit, nisi ut singula quae ad contrariam sententiam probandam afferuntur argumenta diligenter perpendamus, quidque ex his effici possit videamus.

Primum igitur in ea theogoniae parte, ubi gigantes e Coeli cruore procreati esse narrantur, v. 185, olim etiam nomina eorum et formae descriptionem, quae hodie non extant, lecta esse Mützellius p. 418 colligi vult e loco quodam Gregorii Nazianzeni[8]), quem, quo melius de huius testimonii pondere statui possit, paullo integriorem adscribam, quam a Mützellio factum est. Irridet ibi Gregorius Iulianum imperatorem, qui, quo efficacius religioni christianae resisteretur, graecanicae doctrinae cathedras et auditoria per omnes provincias instituere decreverit. Ecquidnam, quaerit, ibi sanum ac salubre homines doceri potuerint? *Παρέξεις αὐτοῖς ὑποφήτας δηλαδὴ θεοφόρων λογίων, ὡς ἂν αὐτοὶ φαίητε, καὶ βίβλους ἀνελίξεις θεολογικάς τε καὶ ἠθικάς. Τίνας ταύτας καὶ τίνων; Καλὸν προσάδεσθαι τὴν Ἡσιόδου θεογονίαν αὐτοῖς καὶ τοὺς ἐκεῖ πολέμους καὶ κλόνους, τοὺς Τιτᾶνας, τοὺς Γίγαντας μετὰ τῶν φοβερῶν ὀνομάτων τε καὶ πραγμάτων· Κότος, Βριάρεως, Γύγης, Ἐγκέλαδος, οἱ δρακοντόποδες ὑμῶν καὶ κεραυνοφόροι θεοί, αἱ τούτοις ἐπιφερόμεναι νῆσοι, βέλη τε ὁμοῦ καὶ τάφοι τοῖς ἀπαντήσασιν — —, ταῦτα ἔστω τῶν Ἡσιόδου καλῶν ταῖς ἀκοαῖς προ-*
9 *τιθέμενα.* Videmus hic non solum nomina formamque gigantum, sed certamen etiam cum diis commemorari: manifestum est enim, insulas illas in adversarios coniectas, tela simul et sepulchra, ad gigantes pertinere, non ad Titanes, ante a Gregorio commemoratos, de quorum pugna tale quid neque in ea, quam nostrum carmen habet, titanomachia, neque alibi, quod sciam, traditum est[9]), quum gigantibus

8) Orat. III advers. Iulian. p. 103 D ed. I. Bill. Colon. 1690.

9) Nisi forte ab aliquo eorum, qui Titanes et Gigantes eosdem crediderunt, velut a schol. Aeschyl Prom. v. 151. Mythogr. Vatic. II, c. 53 de qua confusione vid. Voss. Alte Weltkunde p. XXVIII. Lobeck. Agl. p. 584 et all. quos citant Bodius Mythogr. tom. II p. 176. Voelcker. Myth. Iapet. p. 307 sq. R. Rochette Mémoire sur Atlas (Paris 1835) p. 39. 43.

montes et insulas iniectas multi celebrarint. Itaque si quid Gregorii testimonio credendum est, recusare non poterimus, quin etiam gigantomachiam olim in theogonia lectam fuisse statuamus. Atqui hanc in hac quidem parte carminis, ubi origo gigantum memoratur, nullo modo ne ab ineptissimo quidem compositore inseri potuisse cuilibet apertum esse debet. Restat igitur ut aut in alia quapiam parte, veluti post pugnam Typhoei, aut plane non in theogonia, quae versu 962 finitur, sed in aliquo eorum carminum, quae huic in veterum collectionibus subiuncta erant, de gigantomachia narratum fuisse credamus: quae quidem carmina non accurate ab ipsa theogonia distinxisse Gregorium in tali declamatione, qualis est haec adversus Iulianum, nemo mirabitur [10]. Sed potuit etiam hoc fieri, ut Gregorio nihil praeter confusam quandam memoriam rerum passim a poetis narratarum obversaretur, quarum quum singulos auctores nominare nihil attineret, unum vetustissimum maximeque nobilem posuit, quem si non eadem omnia, nonnulla tamen et non dissimilia tradere meminisset. Et confirmant hanc confusionis suspicionem etiam nomina gigantibus a Gregorio tributa, Cottus, Briareus, Gyges, Enceladus, quorum unum tantummodo Enceladus, gigantis, reliqua Centimanorum sunt, hisque et ab aliis et ab ipso Hesiodo passim imposita [11]. Gigantum nomina a scholiasta Hesiodi afferuntur haec: Alcyoneus, Enceladus, Porphyrio, Mimas, Obrimus, Rhoetus aut etiam Eurytus [12]: quae quod Mützellius p. 419 fortasse servata dicit, ex pleniore scilicet theogoniae exemplo, iure mireris. Pugnat enim secum ipse, haec servata credens, et tamen Gregorio fidem adiungens, longe alia ponenti. Nos autem, opinor, neque huius declamatio permovebit, ut pleniorem hoc loco theogoniam ab eo

10) De scholiasta Gregorii, in catal. bibl. Bodlei. P. I p. 46, theogoniae nomine similiter fortasse abuso, infra dicetur, not. 30.

11) Theog. v. 149. 617. 618. 654. 714. 734. 817. — Briareus tamen Callimacho h. in Del. v. 142 *γίγας χατουδαῖος* est, sub Aetna monte prostratus, idemque cum Encelado esse perhibetur a mythogr. Vatican. secundo c. 53 p. 92 Bod. cf. schol. Pind. Ol. IV, 11. — Centimani Briarei alterum nomen ex Homero notum posuit Schol. Apoll. Rhod. I, 1165: *Τὸν δὲ Αἰγαίωνα Ἡσίοδός φησιν Οὐρανοῦ καὶ Γῆς*: ex quo loco si quis hoc nomen ei etiam in theogonia tributum, ideoque locum de Centimanis v. 147 seq. in veteribus exemplaribus pleniorem fuisse colligat, fallatur sine dubio.

12) Nam corruptum in libris nomen *Φροῦτος* vel *Φοῦτος* non minus ex *Εὔρυτος* quam ex *Ῥοῖτος* fieri potuit, quod Bentleius ad Horat. Carm. II, 19, 23 praeoptavit.

lectam esse statuamus, neque scholiasten nomina ista tam decantata ex theogonia potius quam ex alio quovis libro obvio sumpsisse censebimus.

Probabilius videri possit, quod Mützellius p. 431 post versum 216 olim et nomina trium Hesperidum lecta esse vult, et aliquid narrationis de Hercule aurea mala furato. Et de nominibus quidem testem citat Servium ad Vergil. Aen. IV, 484: „Hesiodus has Hesperidas, Aeglen, Arethusam et Hesperusam, noctis filias, ultra Oceanum mala aurea habuisse dicit:“ quod quum **Hesperusae** nomen versui heroo non aptum sit, **Hesperiam** pro eo reponit, versumque talem fere fuisse suspicatur:

Αἴγλην, Ἑσπερίην καὶ ἀγακλειτὴν Ἀρέθουσαν.

Omitti autem versum ab aliquo, qui hunc locum in compendium redegerit, eo facilius potuisse, quod paucis post versibus ea sit orationis conformatio, ut quae ibi ponuntur Gorgonum nomina pro Hesperidum nominibus accipi potuerint:

Γοργούς θ' αἳ ναίουσι πέρην κλυτοῦ Ὠκεανοῖο,
ἐσχατιῇ πρὸς νυκτός, ἵν' Ἑσπερίδες λιγύφωνοι,
Σθεινώ τ' Εὐρυάλη τε Μέδουσά τε λυγρὰ παθοῦσα.

Mallem vir doctissimus hac coniectura abstinuisset, quippe quum et stupor iste epitomatoris parum credibilis sit, neque opus sit tali commento ad unius versiculi omissionem explicandam. De Hercule autem eiusque furto provocat ad scholiasten Cantabrigiensem, cuius ad v. 215 haec extat adnotatio: *Ἑσπερίδας τὰς ἑσπερινὰς ὥρας λέγει, μῆλα δὲ χρυσᾶ τὰ ἄστρα —, Ἡρακλέα δὲ τὸν ἥλιον. Λέγει δὲ τοῦτο, ὅτι παρερχομένου τοῦ ἡλίου ἐμφαίνονται* [scrib. *οὐκ ἔτι φαίνονται*][13]) *τὰ ἄστρα, ὅ ἐστι τὸ τρυγῆσαι τὸν Ἡρακλέα τὰ μῆλα*: quae sane adnotatio facile persuadere alicui possit, ut Herculis mentionem hoc loco scholiasten invenisse credat, quum praesertim etiam verbum, quo utitur, *τρυγῆσαι*, poeticam orationem sapiat, ac proin hoc ipsum hoc loco ab Hesiodo usurpatum videri queat. Sed cavendum tamen est, ne falsa specie decipiamur. Nimirum omnem hanc scholiorum collectionem e variis fontibus, partim veterum grammaticorum commentariis, partim recentiorum enarrationibus, exiguo

13) Lenior haec correctio est ea quam Muetzell. p. 433 proposuit, *ἀφανίζονται*. Nam Hermannus, in Diar. schol. ann. 1833 p. 925 vulgatam lectionem defendens non satis quid diceret scholiastes attendisse videtur.

plerumque iudicio derivatam esse apparet, fierique facile potuit, ut, quum a vetere aliquo commentatore haec de Hesperidibus fabula copiosius exposita esset, citatis etiam aliis aliorum carminum locis, qui eandem uberius tractarent, essetque in horum aliquo de Herculis furto dictum verbumque τρυγᾶν usurpatum, ex hac expositione excerperentur postea, quae nunc in scholiis legimus, etiam iis non praetermissis, quae ad partem fabulae in theogonia non commemoratam pertinerent. Id si ita fieri potuisse conceditur, ut sane debet concedi, hoc quoque apparet, Mützellii coniecturam, quamvis speciosam, nequaquam tamen certam esse. Minus etiam ponderis Servii testimonium de Hesperidum nominibus habet, quippe quum Hesiodum simpliciter, non theogoniam citet. Nam in aliis quoque carminibus olim ad Hesiodum auctorem relatis de Hesperidibus dictum fuisse vix dubitari potest.

Post v. 273, ubi duae Graeae nominantur, Pephredo et Enyo, 11
excidisse versum, qui tertiam quoque, Dinonem[14]), nominaret, Goettlingius ad h. l. et Mützellius p. 447 coniecerunt propterea, quod et Gorgones tres sunt, quarum Graeae προφύλακες arctissimeque cum iis coniunctae perhibentur, et a ceteris scriptoribus omnibus tres Graeae nominari solent. Est sane hoc ita, fierique facillime potuit, ut unus versiculus excideret. Tamen quum nemo, quod sciam, tertiae Graeae testem Hesiodum citet, equidem non continuo aut convenientiae numeri aut posteriorum scriptorum consensui tantum tribuerim, ut, quod his placuerit, idem etiam Hesiodo placere debuisse statuam. Non certe minus credibile est, tertiam Graeam postea demum additam esse, ob ipsam illam numeri convenientiam: quemadmodum etiam Voelckero visum est, Geogr. myth. I p. 18. Et quo minus tres ab initio Graeae fuisse statuantur, causam Hermannus attulit[15]) e significatione nomi-

14) Vel Iaenonem: quamquam alteram nominis formam unice veram esse mihi persuasum est cum Heynio ad Apollod. not. crit. p. 137.

15) Opusc. VI p. 168. Conf. II p. 180, ubi Πεφρηδώ nomen a φρέω, φορέω habere statuitur, diciturque Auferona, Ἐνυώ autem, ab ὕω, Inundona, haeque cum Romanorum Salacia et Venilia comparantur, h. e. ut Hermannus vult, fluxu et refluxu maris, e Varronis scilicet opinione apud Augustin. de Civ. D. VII, 22, quae quam incerta sit, quantumque ab ea aliorum sententiae abhorreant, non opus est exponere. Et Πεφρηδώ quidni potius a ῥήσσω, Fρήσσω, φρήσσω deducatur? ut fractas in littore undas vehementer illisas significet, Ἐνυώ autem boatum undarum, Δεινώ denique non, ut ille ait, conversionem a fluxu ad refluxum, sed verticem aquarum in semet circumlatarum et revolutarum. Ceterum etiam Ovidius, Metam. IV, 773, duas tantum Graeas nosse videtur.

num petitam; sed hanc, ut nimis incertam, equidem usurpare nolo.

Sequitur in theogonia v. 280 sqq. brevis commemoratio necis Medusae a Perseo interemptae, Chrysaorisque et Pegasi e moriente prognatorum. Hunc locum olim pleniorem fuisse Mützellius p. 488 e Tzetza ad Lycophr. v. 17 et Eudocia p. 336 facile colligi autumat. Vellem paullo disertius indicasset, quanam id ratione fieret. Mihi enim utrumque locum diligenter perlegenti nullum ne tenuissimum quidem indicium deprehendere contigit, unde suspicari aliquis possit, quidquam eorum, quae ibi exponuntur, ad Hesiodum pertinere, cuius ne nomen quidem illi memorant. Nam Tzetzes de Gorgonibus et Perseo haec habet: *Σταλεὶς ὁ Περσεὺς ἐπὶ τὰς Γοργόνας προστάξει τῆς Ἀθηνᾶς τὴν Σθενὼ μὲν καὶ τὴν Εὐρυάλην ἀθανάτας οὔσας παρέδραμε, καρατομεῖ δὲ τὴν Μέδουσαν. Ἐκ τοῦ τραχήλου δὲ ταύτης ὅ τε Πήγασος ἵππος ἐξέθορεν, ὑπόπτερος ὢν, καὶ ὁ Χρυσάωρ, ἄνθρωπος χρυσοῦν ἄορ κρατῶν.* His subiungitur longa narratio de Bellerophonte et utriusque fabulae interpretatio, alterius physica, alterius historica sive pragmatica: de Hesiodo *οὐδὲ γρῦ*. Neque magis hunc Eudocia narrationis suae auctorem habuit, sed scholiasten sine dubio Apollonii Argon. IV, 1515, citatque eosdem, quos hic, Pherecydem et Alexandrum: interpretationem ex eodem quo Tzetzes fonte hausisse videtur.

Eodem theogoniae loco de fonte hippocrene, e Pegasi ungulae ictu enato, expositum fuisse coniecerit fortasse aliquis ex his Hesychii
12 verbis: *Ἱππουκρήνης, τῆς ἐν τῷ Ἑλικῶνι, ἥτις ὠνομάσθη ἀπὸ τοῦ Πηγάσου ἵππου, ὃς διψήσας ἔκρουσε τὴν γῆν τῇ ὁπλῇ, ἡ δὲ τὴν πηγὴν ἀνῆκεν. Ἡσίοδος ἐν τῇ Θεογονίᾳ.* Sed qui Hesychium paullo diligentius tractaverit, nihil eiusmodi ex hoc loco confici posse intelliget. Solet enim ille vocabulis, quae accuratius explicanda iudicat, primum interpretationem originis et significationis adiungere, deinde unum scriptorem commemorare, non qui illius interpretationis auctor sit, sed qui vocabulum illud eo sensu, quem exposuit, usurpaverit. Et usurpavit Hesiodus hippocrenes nomen in theogoniae prooemio v. 6: cumque ipsum locum ab Hesychio respici vel illud documento est, quod genitivi formam, *ἱππουκρήνης*, posuit, quae est apud Hesiodum. Atque huc illam glossam, non ad alterum de Pegasi natalibus locum, qui est v. 281, pertinere intellexit etiam Mützellius p. 370, in eo tamen falsus, quod in illo prooemio olim de hippocrene ex Pegasi ungula excitata aliquid narratum fuisse colligit.

Non magis assentiri possum iis, quae a viro doctissimo p. 463 disputantur de loco, qui est v. 333—335:

Κητὼ δ' ὁπλότατον Φόρκυι φιλότητι μιγεῖσα
γείνατο δεινὸν ὄφιν, ὃς ἐρεμνῆς κεύθεσι γαίης
πείρασιν ἐν μεγάλοις παγχρύσεα μῆλα φυλάσσει.

„Unum hoc est“, inquit, „ex perpaucis exemplum, ubi commemoratur sine nomine soboles: id quod et a consilio genealogici carminis et ab theogoniae tenore sane quam multum discedit.“ Iam quum scholiastes Apollonii Rhodii IV, 1396 et nomen serpentis ponat, Ladonem, et ab aliis eum ex terra editum, ab Hesiodo autem a Typhone generatum dici memoret, hinc Mützellius locum, quem nunc in manibus habemus, quondam longe aliter scriptum fuisse, deinde, quum lacuna depravatus esset, a posterioribus grammaticis Byzantiis in hanc, quam nunc legimus, formam concinnatum esse suspicatur. Nempe lacunam eos invenisse post v. 332, quae narrationem de Ladone serpente ex Echidna et Typhone procreato hauserit, quumque post lacunam legerent v. 336: *τοῦτο μὲν ἐκ Κητοῦς καὶ Φόρκυνος γένος ἐστίν*, hinc eos inductos esse, ut eosdem etiam illi serpenti parentes darent. Unde autem intellexerint, serpentis mentionem in ista lacuna intercidisse, Mützellius non aperuit: locum ipsum inspicienti, si post versum 332 statim sequatur versus 336, plane nihil deesse videbitur. Nisi forte unum tantummodo versum 333 periisse dicamus, servatis reliquis, aut etiam duos, uno versu 335 relicto, qui admonere posset, cuiusnam rei mentio intercepta esset. Talis Byzantiorum magistrorum sollertia mihi quidem parum probabilis, omnisque ista coniectura plane supervacanea et praeter necessitatem facta videtur. Primum enim non credo veterem poetam, si tanquam Typhonis ex Echidna progeniem — alia enim illi uxor vix erat — Ladonem serpentem propositurus erat, hunc ei locum assignaturum fuisse, a reliqua illorum sobole, Ortho, Cerbero, hydra Lernaea, per Chimaeram, Sphingem et Nemeaeum leonem separatum, quum multo commodius una cum fratribus ante hydram commemorari potuisset, veluti hoc modo: *τὸ τρίτον αὖ Λάδωνα δυσώνυμον καρτερόθυμον γείνατο, δεινὸν ὄφιν —— Τέτρατον Ὕδρην αὖτις ἐγείνατο* — aut similiter. Deinde theogoniae 13
auctorem Typhonis et Echidnae, non Phorcynis et Cetus progeniem serpentem hunc dixisse tum demum ex Apollonii scholiasta disceretur, si theogoniam hic nominaret, non simpliciter Hesiodum. An credemus, non etiam in aliis carminibus Hesiodeis Ladonis mentionem fieri, or-

tumque eius alium atque in theogonia memorari potuisse? Erat sane huic etiam in Eoeis locus, ubi de Hercule eiusque laboribus dicebatur: et earundem fabularum non easdem semper in omnibus, sed alias in aliis carminibus Hesiodeis formas proditas fuisse iam ab aliis observatum est[16].

Locos theogoniae eos, qui Saturni imperium nacti rursusque a Iove depulsi mentionem faciunt, quum propter nimiam quandam brevitatem[17], tum propter tenorem narrationis, interpositis fabulis diversis moleste interruptum, reprehendi merito posse nolo equidem infitias ire, et permotus hac offensione Goettlingius ante v. 207 deesse censet narrationem de Crono imperium Urani sibi arrogante[17b]; Wolfius ad v. 501, ubi de solutis a Iove Centimanis legimus, obscuritatem loci queritur, sine dubio ex mutilatione ortam, et ad v. 492 locum de Saturno oppresso excidisse Platonis testimonio probari putat; Mützellius denique p. 479 non modo repetit Wolfii iudicium, sed novum etiam testem Lucianum advocat, alteroque loco v. 501—506, si ante hos versus discrtam de Saturno vincto narrationem olim positam fuisse concedatur, concinniorem simul effici ait sententiarum connexionem p. 481. Sit ita sane: sed quod Platonis et Luciani testimoniis effici volunt, illorum temporibus pleniorem harum rerum narrationem in theogonia lectam esse, paullo calidius factum esse iudico. Audiamus primum Lucianum, Saturn. c. 5, cuius testimonium Mützellius tanquam omnium locupletissimum protulit p. 478. Is vero nihil nisi commemoratis rebus vulgatissimis, ut depulsus a Iove Saturnus et in Tartarum deiectus sit, addit denique hoc: *κἀγὼ ταῦτα οὐ παρ' ἐμαυτοῦ φημί, ἀλλ' Ἡσίοδος καὶ Ὅμηρος, ὀκνῶ γὰρ εἰπεῖν ὅτι καὶ ἄλλοι ἅπαντες ἄνθρωποι σχεδὸν ταῦτα πεπιστεύκασι.* — Nec disertius Platonis testimonium est, de republ. II p. 377, *μύθους* memo-

---

16) Vid. Marckscheffel. Hesiodi, Eumeli etc. fragmm. p. 95—97 et impr. p. 123 sq. add. p. 297 et 343 (fr. 44 et 158). 303 et 344 (fr. 61 et 160) 357. 8 (fr. 185 et 186). Etiam narratio de Amphitruonis et Alcmenae nuptiis, quam ex Hesiodo scholiastes Apollonii, I, 747, refert, non plane conspirat cum Scuti v. 1—56. Denique huc pertinet etiam, quod Eris in theogonia una est, in Operibus duae esse dicuntur.

17) Deesse aliquid ad narrationis perspicuitatem quilibet sentiet, qui quae vv. 154 sqq., 207—210, 501—506 de Cyclopibus Centimanisque a Coelo sub terra absconditis et a Iove solutis proponuntur, inter se contulerit.

17b) Mutavit vir praestantissimus sententiam in edit. secund. praef. p. XLII.

rantis, οὓς Ἡσίοδός τε καὶ Ὅμηρος ἡμῖν ἐλεγέτην καὶ οἱ ἄλλοι ποιηταί — — ὡς Οὐρανός τε εἰργάσατο ἅ φησι δρᾶσαι αὐτὸν Ἡσίοδος, ὅ τε αὖ Κρόνος ὡς ἐτιμωρήσατο αὐτόν. τὰ δὲ δὴ τοῦ Κρόνου ἔργα καὶ πάθη ὑπὸ τοῦ υἱέος οὐδ' ἂν εἰ ἦν ἀληθῆ ᾤμην δεῖν ῥᾳδίως οὕτω λέγεσθαι. Nihil est in his, unde colligas aliam olim narrationem istarum fabularum in theogonia lectam esse, quam quae hodieque legitur, quum praesertim praeter Hesiodum etiam Homerus aliique poetae memorentur, et de Saturni πάθεσιν, etiamsi horum accuratiorem mentionem theogonia nullam faciebat, potuerit tamen recte Hesiodus auctor citari, quoniam non alia eum quam ceteros poetas de his credidisse ex verbis eius, ut hodieque extant, satis manifestum est. Nam mentio quidem omnium diserta fit: ἔργα Saturni, ut Uranum castraverit, accurate proponuntur: vinctos Titanes 14
et in tartarum deiectos legimus v. 717, in quibus Saturnum fuisse patet e v. 207. Nonne igitur hoc satis fuit, ut etiam de πάθεσι Saturni Hesiodus cecinisse diceretur? Nisi quis absque diserta etiam imperii antea erepti mentione Lucianum et Platonem ista de Hesiodo scribere non potuisse credat. Is igitur recusare non poterit, quominus etiam Iohannem Diaconum, saeculi, ut Mützellio videtur, undecimi scriptorem, pleniorem theogoniam habuisse statuat, quandoquidem hic quoque (p. 474 Gaisf.) tanquam ex Hesiodo refert Iovem Saturnum τῆς βασιλείας καταβιβάσαι. Quid autem de Gruppio dicam, qui p. 200 quum Plato in Euthyphrone Saturnum a Iove propterea vinctum et deiectum dicat, quod liberos suos devorasset, negat haec potuisse a Platone ita coniungi, nisi eandem poenae et facinoris coniunctionem etiam apud Hesiodum invenisset? Poteram opponere, Hesiodum in Euthyphrone prorsus non nominari, ideoque nihil ex hoc de theogonia concludi posse; sed esto: largiar Hesiodum ibi respici, non minus, quam illo, quem supra adscripsimus, loco: largiar etiam illud — quamvis non debeam —, non potuisse Platonem vincula Saturno propterea iniecta dicere, quod liberos suos devorasset, nisi hoc quoque ab Hesiodo dictum esset: nonne dictum est hoc ipsum satis diserte illo theogoniae loco, ubi Rhea inducitur Iovem parturiens consiliumque a parentibus, Coelo et Tellure, petens, ut latere possit maritum et clam parere filium ultorem scelerum ab illo erga patrem ac liberos suos perpetratorum? v. 472:

ὅπως λελάθοιτο τεκοῦσα
παῖδα φίλον, τίσαιτο δ' ἐρινῦς πατρὸς ἑοῖο

παίδων [θ']οὓς κατέπινε μέγας Κρόνος ἀγκυλομήτης.

Sed de his versibus, quoniam nec satis emendate in codicibus et editionibus leguntur, nec recte ab interpretibus accepti sunt, pluribus dicendum est. Primum Guietus, quum haec verba *τίσαιτο δ' ἐρινῦς πατρὸς ἑοῖο* non intelligeret, reponi voluit *ἀνδρὸς ἑοῖο*, idque interpretatur: viri sui Saturni furentis —, ex quo apparet eum *ἐρινῦς* pro sceleribus, facinoribus accepisse. Eadem opinione inductus Wolfius retineri quidem codicum lectionem voluit, sed ita orationem construi, ut verbi *τίσαιτο* non Rhea subiectum esset, sed *παῖς*, assumendum scilicet ex accusativo *παῖδα φίλον*, diceretur que Iupiter sui patris Saturni scelera ulturus. Et lexicorum quoque conditores, quotquot inspexi, omnes *ἐρινῦς* hoc loco scelera, impia facinora esse volunt, quemadmodum iam Hesychius, hunc ipsum fortasse locum respiciens, *ἐρινύας* interpretatur *τὰς ἁμαρτίας*. Potest sane talis interpretatio nonnullis locis haud incommode adhiberi; sed nostro loco interpretes loquutionis *ἐρινύας τινὸς τίνειν* et *τίνεσθαι* s. *τίννσθαι* propriam vim advertere debebant, per quam non licet *ἐρινύας τινός* pro sceleribus alicuius, eius scilicet, qui punitur, accipi, sed significantur potius scelera adversus aliquem commissa, quorum poena datur aut repetitur. Nimirum *Ἐρινύες*, ultrices scelerum deae, non aliunde originem in Graecorum religione habuerunt, quam ex dolore et ira eorum, qui impio aliquo et nefario facinore laesi debitam poenam ei, a quo laesi sunt, imprecantur atque praesagiunt. Is dolor futuraeque ultionis spes ac fiducia quum nitatur insito animis nostris sensu ac conscientia iuris divini et aeterni, consentaneum fuit etiam numina quaedam personasque divinas cogitari, quae eiusmodi scelera animadverterent pariterque cum laeso dolerent, imprecationes audirent, poenas exequerentur. Hae sunt *Ἐρινύες τινός*, velut *πατρός, μητρός, παίδων, πτωχῶν*, ultrices scelerum adversus patrem, matrem, liberos, egenos commissorum, quemadmodum est apud Homerum Od. XVIII, 475: *εἴπου πτωχῶν γε θεοὶ καὶ Ἐρινύες εἰσίν.* et ib. XI, 279: *τῷ δ' ἄλγεα κάλλιπ' ὀπίσσω Πολλὰ μάλ', ὅσσα τε μητρὸς Ἐρινύες ἐκτελέουσιν.* item apud Aeschylum Sept. ctr. Theb. v. 70, ubi invocantur ab Eteocle *Ἀρά τ' Ἐρινὺς πατρὸς ἡ μεγασθενής.* et apud Euripidem Phoeniss. v. 627: *πατρὸς οὐ φεύξεσθ' Ἐρινῦς.* Med. v. 1356: *ἀλλά σ' Ἐρινὺς ὀλέσειε τέκνων.* denique ap. Aesch. Agam. v. 1433: *μὰ τὴν τέλειον τῆς ἐμῆς παιδὸς Δίκην, Ἄτην, Ἐρινύν θ', αἷσι τόνδ' ἔσφαξ' ἐγώ.* Iam vero nihil mirum,

hanc loquutionem, *ἐρινῦς τινός*, etiam ita non raro usurpari, ut personarum illarum divinarum notio quasi delitescat, magisque teneatur vel imprecationum significatio vel etiam ipsarum poenarum a Furiis exequendarum. Ita dicuntur *ἐρινῦς τινὸς ἀποτίνειν*, qui sceleris adversus aliquem commissi poenas Furiis debitas luunt, ut apud Homerum Il. XXI, 412: *οὕτω κεν τῆς μητρὸς ἐρινύας ἐξαποτίνοις*, quod veteres interpretes alii *τὰς τιμωρίας ἀποδοίης* interpretantur, alii *τὰς μητρικὰς ἀρὰς δι' ὧν Ἐρινύες ἐρεθίζονται*[18]): medio autem verbi genere, *ἀποτίνεσθαι* v. *τίννυσθαι ἐρινύας τινός*, is qui poenas sceleris adversus aliquem commissi a scelesto repetit. Nihil aliud igitur nostro loco Hesiodus dicit, nisi Rheam celari Iovis partum voluisse, ut ipsa, huius scilicet filii sui ope, poenas a Saturno repeteret scelerum adversus patrem suum, quem castraverat, et adversus liberos, quos devoraverat, commissorum. Poterimus igitur etiam haec verba: *ὅπως τίσαιτο ἐρινῦς πατρὸς ἑοῖο*, in hunc modum interpretari: *ὅπως τίσαιτο τὴν τιμωρίαν τοῦ πατρός*: et apparet necessario copulam *τε* post *παίδων* addendam esse[18b]): nam non patris solum, sed etiam liberorum poenas repetitura erat. — Qui corruptam lectionem, absque copula, interpretari conati sunt, diversas inter se, sed pariter falsas rationes inierunt, alii **furias** i. e. **scelera** patris contra filios significari statuentes, quo modo *πατρὸς ἐρινύας* accipi non posse demonstravimus, alii verba ita construentes: *ὅπως Κρόνος τίσαιτο ἐρινῦς πατρὸς ἑοῖο παίδων* (*ἕνεκα*) *οὓς κατέπινε*, quos refutare nihil attinet, quandoquidem discriminis, quod inter activum *τίνειν* et medium *τίνεσθαι* intercedit, obliti sunt[19]).

Sequitur narratio de Iapeti filiis, imprimis de Prometheo poenisque huic a Iove impositis: quam narrationem a veteribus pleniorem lectam esse Mützellius p. 482 e schol. ad Apollon. II, 1249 probare

---

18) Erinyes etiam *Ἀράς* dici notum est, eoque nomine se ipsae appellant ap. Aeschylum Eum. v. 411: *Ἀραὶ δ' ἐν οἴκοις γῆς ὕπαι κεκλήμεθα*. In Choeph. v. 404 pro *Ἴδετε πολυκρατεῖς Ἀραὶ φθιμένων*, qui versus antistrophico non respondet, poterit rescribi *Ἐρινῦς φθιτῶν*. Nam fieri potuit, ut huic loquutioni interpretandae illud alterum, itidem ut in Homeri loco, adscriberetur, ac deinde in textum inferretur.

18b) Vidit hoc etiam J. Caesar, Diurn. antiquar. ann. 1843 p. 318.

19) Etiam formam verbi *λελάθοιτο*, hoc sensu **latendi** prorsus inusitatam, miror ab omnibus editoribus silentio praetermissam: haud scio tamen, an probandum sit Buttmanni iudicium gr. Gr. II, 1 p. 179.

conatur. Quod enim hic dicat, *δεθῆναι τὸν Προμηθέα φησὶν*
16 *Ἡσίοδος καὶ τὸν ἀετὸν ἐπιπεμφθῆναι αὐτῷ διὰ τὴν τοῦ πυρὸς κλοπήν*, prima quidem verba probe convenire cum iis quae in theogonia v. 521 sqq. legantur; ultima vero, quum hodie prorsus maneat ambiguum, quam ob causam crudelissimum Prometheus subierit supplicium v. 533. 534, neque in his versibus neque in omni narratione Hesiodea ullum habere fundamentum, ideoque probabile esse, ante v. 521 aliquot excidisse versus, quibus et iunctura narrationis facta fuerit concinnior, et explicatius indicata supplicii causa. Mihi contra videtur, et quae scholiastes ille de causa supplicii ex Hesiodo affert, haec omnia etiam in hac nostra theogonia tam diserte commemorata invenio, ut nihil desideretur nullaque causa sit, cur quidquam excidisse suspicemur. Nempe punitus esse Prometheus dicitur v. 534 propterea, quod Iovem callide et fraudulenter circumvenire voluerit, *οὕνεκ' ἐρίζετο βουλὰς ὑπερμενέϊ Κρονίωνι*: deinceps fraudes eius duae commemorantur, altera, quod ossa pelle obtecta pro sacrificio Iovi proposuerit, v. 536—555, altera, quod ignem hominibus a Iove negatum furatus sit v. 562 sqq. Itaque si nihil amplius dictum esset, quivis statim intelligeret, causam Promethei puniendi in hoc potissimum ignis furto positam fuisse, quo fraudem fraudi addiderat. Sed quo minus dubitari possit, ait poeta etiam disertius, maximopere Iovem hoc furto excanduisse v. 567 sqq., et postquam de malis dixit, quibus homines quasi ad eludendum Promethei beneficium a Iove affecti sint, adiunguntur in fine totius narrationis haec verba: *ὣς οὐκ ἔστι Διὸς κλέψαι νόον οὐδὲ παρελθεῖν. Οὐδὲ γὰρ Ἰαπετιονίδης ἀκάκητα Προμηθεὺς Τοῖό γ' ὑπεξήλυξε βαρὺν χόλον* — quae qui legat, et non de furto potissimum ignis cogitet, huic nescio profecto, quid satis diserte expositum videri possit.

Sed in hac ipsa de Prometheo narratione hoc mihi cum Mützellio convenit, excidisse aliquid ante versum 521, propter Draconis Stratonicensis et Choerobosci testimonia a Gaisfordio et Goettlingio adscripta, quae docent olim non *δῆσε δ' ἀλυκτοπέδῃσι*, quae scriptura nunc obtinet, sed *δῆσας ἀλυκτοπέδῃσι* lectum esse. Nam quod Buttmannus gr. Gr. II p. 394 constare loci integritatem putat, etiamsi *δῆσας* legatur, recte a Goettlingio refutatum est. Gruppio autem illam grammaticorum auctoritatem spernenti, quos arbitratur, quum aliquid de correptione terminationis *ᾱς* in accusativo plurali primae declinationis observatum legissent, hoc falso etiam in participii terminationem trans-

tulisse, quumque observatio illa ad *βουλάς* versu 534 pertineret, illos eam temere ad v. 521 traxisse, ibique quum nullum invenirent vocabulum in *ας* terminatum, ipsos de suo *δήσας* posuisse: huic igitur in hunc modum divinanti philologum certe neminem assensurum esse scio. Neque illud probabile arbitror, quod Goettlingio placuit[20]), ut rescribatur versu superiore *ταύτην γὰρ σφίσι* (pro *οἱ*) *μοῖραν ἐδάσσατο μητίετα Ζεύς*, quo duorum fratrum, Atlantis et Menoetii, sors indicetur, cui deinceps per participium *δήσας* adiungatur, quid tertio 17
fratri Prometheo Iupiter fecerit. Audacius Ahrens[21]) versum superiorem in hunc modum refingi vult: *λυγροτάτην δ' ἄρα μοῖραν ἐδάσσατο μητίετα Ζεύς*, ut ad *ἐδάσσατο* iam is cogitetur, qui proximo versu nominatur, *δήσας ἀλυκτοπέδησι Προμηθέα*: cui quominus assentiar, non tam structurae duritia, — hanc enim exemplis similibus defendere aliquis possit, — quam illud me retinet, quod, si ita ut Ahrens vult olim scriptum fuisse sumamus, nullam causam probabilem exputare possum, quae librarios permoverit, ut haec, quae nunc legimus, inveherent. Itaque verisimillimum est excidisse aliquid, quemadmodum etiam Mützellius credidit. Sed noli de maiore lacuna cogitare. Unus tantummodo versiculus periit, huius fere modi: *Τὸν δὲ δολοφροσύνης* (aut *ἔργων δολίων*) *λυγρὴν ἀπετίσατο ποινήν*.

Rursus autem intempestiva lacunarum odorandarum cupiditas notanda est in his, quae Mützellius p. 485 de scholiis ad v. 534. 535 disputat. Nam quum in editione Basileensi p. 285 haec scholia legantur: *οὕνεκ' ἐρίζετο βουλάς*: *καὶ γὰρ ἤριζεν ὁ ἄνθρωπος ὅμοια ποιῆσαι τῷ θεῷ. θνητὸς ἐών*: *θνητὸς γὰρ θεὸς ὁ ἄνθρωπος. καὶ γὰρ ὅτ' ἐκρίνοντο θεοί*: *ἐκρίνοντο τίς θεὸς καὶ τίς ἄνθρωπος*: ille statim haec verba, *θνητὸς ἐών*, ab auctore scholiorum in hoc theogoniae contextu inventa esse suspicatur, quae quum hodie neque appareant neque reponi in alterutro illorum versuum possint, eum in quo scripta olim fuerint versum excidisse vult. Verumtamen quum mortalis Prometheus ab Hesiodo dici non potuerit, haud vetustum illum versum, sed recentiore demum aevo additum posteaque rursus oblitteratum esse statuit: et hoc documento

20) In editione prima: nam in altera, cuius duodeviginti plagulas, absque praefatione et indicibus, nondum, ut audio, perfectis, ante paucos dies nactus sum, mutavit sententiam, et omne illud grammaticorum testimonium elevare conatur.

21) In diar. Gotting. ann. 1842 no. 127.

tanquam certo et perspicuo comprobari autumat, theogoniam recentiore aevo non modo exsectam fuisse et deminutam, verum etiam adauctam inepto studio et, si diis placet, exornatam. — Prudentiore iudicio Heinsius illud *θνητὸς ἐών* mutavit in *θνητοί τε*, ut pertineat scholiastae interpretatio ad versus 535 exitum. Id Mützellius manifesto pugnare putat cum annotatoris consilio: sed quale hic consilium habuerit, et unde hoc sibi compertum sit, docere supersedit. Et si maxime illa mutatio Heinsiana displiceat propter collocationem annotationum, quidni scribamus una litterula dempta et interpunctione mutata: *καὶ γὰρ ἤριζεν ὁ ἄνθρωπος ὅμοια ποιῆσαι τῷ θεῷ θνητὸς ὤν. θνητὸς γὰρ θεὸς ὁ ἄνθρωπος*[22]).

Fuerunt etiam, qui de hominum creatione in antiquis theogoniae editionibus dictum fuisse statuerent propter Latinorum quorundam grammaticorum auctoritatem, Hesiodum tanquam testem fabulae de Prometheo hominum fictore citantium. Sed huic fabulae nullum in theogonia locum fuisse facile demonstrari potest, et grammaticorum istorum auctoritas quam levis sit, recte a Mützellio p. 489 intellectum
18 est[23]), quamobrem non opus est illos nunc accuratius refutari. Hoc tamen praeteriens moneho, falli sine dubio Weiskium, qui in libro de Prometheo, nuper demum post auctoris mortem edito, quum de illa fabula perquam accurate et subtiliter disputat[24]), opinionem divinae hominum creationis antiquiorem fuisse statuit illa altera, qua ex terrae sinu provenisse credebantur. Provocat Weiskius ad Opera Hesiodea, ubi aliquoties dii homines fabricasse dicuntur, veluti v. 110. 128. 143. 158; sed omnem hanc partem, quae est de hominum generibus, paullo recentioris quam reliquum carmen aetatis esse pro certo affirmare licet[24b]). Antiquam autem persuasionem habet versus 108, quamquam alieno loco positus, *ὡς ὁμόθεν γεγάασι θεοὶ θνητοί*

---

22) Quod Goettlingius in ed. 2. suspicatur scholiastam legisse *θεοὶ θνητοί, ἄνθρωποι*, eique lectioni interpretationem accommodasse, mihi quidem parum probabile videtur. Ceterum sententiam Heracliteam esse notum est. Cf. Hippolyt. de haer. IX, 10. et Heracl. allegor. Hom. p. 443 ed. Gal.

23) De altero horum, Servio ad Verg. Ecl. VI, 42, ne liquet quidem, verene illud dicere voluerit, quod supra posuimus: ex alterius, Lactantii Placidi, loco Staverenius verba illa: „ut idem Hesiodus ostendit" tanquam spuria eiicienda censuit. Cf. etiam Marckscheffel. p. 445.

24) Pag. 514 extr.

24b) Vid. diss. de aetat gen. hum. p. 12 [317].

τ' ἄνθρωποι: utrique scilicet ex terra, ut *γηγενέες θεοὶ* Titanes etiam ab Antimacho dicti sunt[25]): eodemque, ut de Pelasgi ortu apud Hesiodum et Asium taceam, multae fabulae pervulgatae, velut de Cecrope, de Erechtheo, de Locris in Eoeis Hesiodeis, aliaeque pertinent, ac tenuisse eandem opinionem etiam posteriore aetate physiologos non paucos satis constat[26]). — Ceterum veteres theogoniae interpretes[27]), etsi ipsam hominum generationem praetermissam videbant, aliquid tamen, quod ad eam pertineret, in transcursu indicatum statuebant illo loco, qui Melias nymphas ex Urani genitalium cruore ortas memorat. Nempe *ἐκ τούτων*, inquit scholiastes, *ἦν τὸ πρῶτον γένος τῶν ἀνθρώπων*: neque id absurde, ut mihi quidem videtur, quum pervagatam apud multos opinionem de hominum ortu ex arboribus reputo, quarum loco quod antiqui poetae nymphas potius arborum posuerunt, nemo mirabitur. Nam quod Goettlingius ad v. 35 de ortu hominum ex arboribus se quidquam audivisse negat, non meminit vir doctissimus, ne de aeneo genere dicam e fraxinis facto, notissimi versus Vergiliani, Aen. VIII, 314, ab ipso ad O. et D. v. 145 adhibiti, „gensque virum truncis et duro robore nata“, quod ne improprie dictum crederetur, ut fortasse a Goettlingio factum est, impedire debebant multi loci similes, velut Iuvenalis VI, 12: „homines — qui rupto robore nati compositive luto nullos habuere parentes.“ Statii Theb. IV, 276: „nemorum vos stirpe vigenti fama satos, quum prima pedum vestigia tellus admirata tulit.“ Zonae in Antholog.: „*ἁμῖν αἱ πρότεραι ματέρες ἐντὶ δρύες*“, Homeri denique veteres interpretes, ad Od. XIX, 163, qui omnes fere uno ore illa verba, *οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου*, de quibus mira Goettlingius comminiscitur, in hunc sensum interpretati sunt. 19
Ac si quis fabularem historiam perscrutetur, Melias passim inveniet matres eorum dictas, qui in aliqua terra primi extitisse credebantur.

25) Apud auctorem vitae Arati, tom. II pag. 441 Buhl.: *Γηγενέας τε θεοὺς προτερηγενέας Τιτᾶνας.* Nam ita hunc versum scribendum esse, deleto altero *τε* ante *Τιτᾶνας* perperam inserto, Stollius, Schneidewinus, Letronnius intellexerunt, et concederet sine dubio etiam Duentzerus, nisi errores suos aut tegere aut abnegare quam confiteri satius duxisset.

26) Vid. locos ab Ukerto Geogr. II p. 223 et a Lobeckio Aglaoph. p. 579 indicatos. Unum addo, scriptorem Hippocraticum *περὶ σαρκῶν*, tom. I p. 113 ed. v. d. Linden, totam rem, ut acta fuerit, particulatim exponentem.

27) Ad theog. v. 187 et 563, item Procl. ad O. et D. v. 144.

Sed haec persequi non est huius loci. Unum addo: pro Meliis nonnunquam *Ἀμαδρυάδας* dici, veluti a Charone Lampsaceno[28]) Arcadum populus originem trahere perhibebatur ab Elato et Aphidante, Arcadis ex Hamadryade quadam, quam Eumelus Prospeliam dixit, filiis. Sunt autem ipsae Meliae nymphae nihil nisi Hamadryades. Quodsi de viris quaeris, quibuscum congressae illae parere homines potuerint, adsunt Gigantes, una cum iis ex Urani cruore enati iuxtaque ipsas in theogonia memorati. Et sane nihil aliud a primis fabulae inventoribus, quum ita Melias et Gigantes componerent, significatum credo, quam humani generis origines: quamquam theogoniae compositor hoc non diserte iudicavit, et fortasse ne intellexit quidem ipse. Arbitror autem hanc sententiam sat multis argumentis probari posse, idque me ipsum alio tempore facturum spero.[28 b])

Promethei fabulam excipit titanomachia, quae quam recte hoc loco posita sit, et quo iure a multis propter totum narrationis tenorem reprehendatur, nihil attinet nunc quaerere: et multas eam offensiones habere non nego. Sed hanc quoque partem Alexandrinorum adhuc aetate paullo pleniorem fuisse, quam nunc legitur, Mützellius p. 496 credit propter Nicandri versus, Theriac. 8 sqq.:

Ἀλλ' ἤτοι κακοεργὰ φαλάγγια σὺν καὶ ἀνίγροις
ἑρπηστὰς ἐχιάς τε καὶ ἄχθεα μυρία γαίης
Τιτήνων ἐνέπουσιν ἀφ' αἵματος, εἰ ἐτεόν περ
Ἀσκραῖος μυχάτοιο μελισσήεντος ἐν ὄχθαις
Ἡσίοδος κατέλεξε παρ' ὕδασι Περμησσοῖο.

„Ex opere genealogico“, inquit, „rem esse exprompta m probat verbum *κατέλεξε*, theogoniae memoriam oggerunt verba *παρ' ὕδασι Περμησσοῖο*, locus denique narrationi commodus erat in titanomachia.“ Atqui ut nunc titanomachiam expositam legimus, vix in hac locum invenias, cui ista bestiarum e Titanum sanguine natarum commemoratio absque molestia inseri potuerit: nam et omnis proelii narratio inde a v. 674 usque ad deiectionem in Tartarum v. 730 tam continuo tenore decurrit, ut, quidquid illius generis addideris, rem in peius mutatam sentias, et quae subiungitur Tartari descriptio, quamvis sine dubio alienis additamentis deformata, tamen istam bestiarum generationem olim habere nullo loco potuisse videtur. Quae autem e verbo

28) Apud Tzetz. ad Lycophr. v. 480.
28 b) Vid. dissert. de nymphis Meliis etc. p. 11—13 [134—138].

κατέλεξε et e Permessi commemoratione argumenta repetuntur, quam sint infirma non opus est demonstrare. Accedit scholiastae, hominis non indocti, testimonium: *ψεύδεται ὁ Νίκανδρος ἐνταῦθα. οὐδαμοῦ γὰρ τοῦτο εἶπεν Ἡσίοδος ἐν τοῖς πραττομένοις.* et paullo post: *περὶ γοῦν τῆς τῶν δακνόντων θηρίων γενέσεως, ὅτι ἐστὶν ἐκ τῶν Τιτάνων τοῦ αἵματος, παρὰ μὲν Ἡσιόδῳ οὐκ ἔστιν εὑρεῖν, Ἀκουσίλαος δέ φησιν ἐκ τοῦ αἵματος τοῦ Τυφῶνος πάντα τὰ δακετὰ γενέσθαι.* Huius testimonii vim elevare conantes eone confugiamus, ut fuisse quidem olim in theogonia istam narrationem dicamus, postea autem exturbatam, ideoque a scholiasta non amplius lectam? an aliam potius viam insistamus, qua et scholiastae fides constet, et tamen etiam Nicander mendacii absolvatur? Utrum praestabilius sit, nemo, opinor, dubitabit. Quid igitur, testaturne Nicander in theogonia illud Hesiodum dicere? Minime; sed simpliciter nomen poetae posuit. Scholiastes autem in nullone carmine Hesiodeo illam fabulam esse asseverat? Ne id quidem; sed de celebrationibus loquitur, iisque in quae grammaticorum commentarii scripti essent: haec enim sunt *τὰ πραττόμενα*[29]). Nihil obstat igitur, in magna multitudine carminum ad Hesiodum relatorum, quominus in uno horum ignobiliore nec fere a grammaticis tractato (*πραττομένῳ*) illam fabulam, in transcursu fortasse, commemoratam fuisse statuamus. Quodsi quis cum Lobeckio[30]) ex iis illud fuisse sumat, quae theogoniae olim subiuncta fuerint, equidem haud obloquar.

Non maiore autem iure eum theogoniae locum, qui est de Dice, Iovis et Themidis filia, v. 903, olim uberiorem fuisse coniiciat aliquis e catasterismis Eratosthenicis, ubi c. 9 de Virgine caelesti haec leguntur: *ταύτην Ἡσίοδος ἐν θεογονίᾳ εἴρηκε θυγατέρα Διὸς καὶ Θέμιδος, καλεῖσθαι δὲ αὐτὴν Δίκην.* Dicen in caelo inter sidera collocatam nusquam hodie in theogonia legimus: legitne igitur Eratosthenes? Noli credere. Primum catasterismos istos doctissimi gram-

29) Vid. Cobet. Platon. Com. reliqu. p. 56, hunc usum verbi accurate illustrantem.

30) Aglooph. p. 567. — Affertur ibi a viro clarissimo etiam scholium e Catalogo bibl. Bodl. P. I p. 46 ad Gregorii Naz. locum illum, de quo supra loquuti sumus: *Ἐν τῇ θεογονίᾳ καταριθμεῖται τὰς τῶν θεῶν γενέσεις, Ἔρεβος καὶ Χάος — Οὐρανὸν καὶ Γῆν — Κρόνον — Δία — τοὺς Ἑκατόγχειρας· ὅθεν καὶ τὴν γιγαντομαχίαν καὶ τὰ ἐκ τῶν αἱμάτων αὐτῶν ἰοβόλα θηρία.* Gigantes hic posuit pro Titanibus, de qua confusione supro dictum est; de theogonia in eodem quo Gregorius errore versatur.

matici nomen falso praeferre, nihilque nisi ex Hygini fabulis astronomicis excerptos et graece conversos esse nemo hodie post subtilem Bernhardii disputationem[31]) dubitabit. Deinde fere omnes huiusmodi fabulas astronomicas recentioris fabricae esse recte Muellerus monuit: quamobrem illum Dices catasterismum in theogonia narratum fuisse non est credibile, ut taceam, quod idem iam Muellerus monuit, si theogonia caelestem virginem eandem quam Dicen esse docuisset, vix futurum fuisse, ut a posterioribus haec in mulierem spiciferam mutaretur[32]). Quodsi quis non quidem ab initio fabulam illam in theogonia fuisse, sed postea demum illatam, deinde autem rursus eiectam esse statuat, — quemadmodum Mützellius narrationem de Prometheo post v. 535 aliquando interpolatam rursusque purgatam credidit, — eamque sententiam etiam eo probari putet, quod non solus personatus ille Eratosthenes, Hygini epitomator, sed ipse etiam Hyginus illum Dices catasterismum in theogonia commemorari testatur: non sane melior Hygini causa est: quandoquidem futilem hunc, qui eius nomen fert, libellum non ab erudito Augustei aevi grammatico, sed ex maiore
21 opere ab insulso aliquo ludimagistro semibarbaro infimae aetatis excerptum et omni vitiorum genere inquinatum esse quis dubitet? Recte igitur Muellerus his hominibus nihil temere credendum, et quae illi de theogonia testantur, non ex uberiore olim carminis exemplo, sed ex ipsorum errore manasse iudicavit, auctores suos perperam interpretantium. Is error quam proclivis fuerit, liquido demonstrari potest, si vel Arati scholiastam conferamus. Hic enim ad Phaen. v. 97 haec annotavit: *ὁ ποιητὴς* (Aratum dicit) *τὴν Δίκην ὡς ἀδιάφθαρτον κόρην ὑποτίθεται, καταλιποῦσαν μὲν τὸν περίγειον κόσμον διὰ τὴν τῆς πονηρίας αὔξησιν, καταλαβοῦσαν δὲ τὸν οὐρανόν, ὥσπερ καὶ Ἡσίοδος ἐπὶ τῆς Αἰδοῦς καὶ Νεμέσεως εἶπε.* Citat locum ex O. et D. v. 197, ac dein paucis interiectis ita pergit: *πολὺς οὖν καὶ διάφορος λόγος τοῖς παλαιοτέροις περὶ τῆς παρθένου ταύτης ἐκινήθη, καὶ οἱ μὲν αὐτὴν εἶναι θυγατέρα Διός, καθὰ καὶ Ἡσίοδος Δίκη Διὸς ἐκγεγαυῖα* (O. et D. v, 254.) —, quae annotatio, licet non catasterismi testem Hesiodum citet, sed posteaquam sidus illud a multis Dicen haberi observavit, nihil nisi huius ex Iove originem Hesiodi verbis comprobet, facillime tamen ab indoctis lecto-

31) In Eratosthenicis p. 133.

32) Prolegg. mytholog. p. 191 sqq. et 199.

ribus, qui hunc ipsum non inspicerent, in illam alteram sententiam accipi potuit. Tale quid igitur istis sine dubio, quos supra indicavi, accidit, praeterque hos etiam Eudociae vel quisquis est, unde haec Violarii verba descripta sunt: *Τὴν παρθένον Ἡσίοδος ἐν Θεογονίᾳ Διὸς καὶ Θέμιδος λέγει, καλεῖσθαι δὲ Δίκην, ἣ πρότερον ἀνθρώποισιν ἐπὶ γῆς συνῆν, ὕστερον μέντοι μισήσασαν δι' ἀδικίαν ἐσχάτην εἰς οὐρανὸν ἀπελθεῖν*[33]).

Pervenimus ad locum valde memorabilem et quo uno omnium maxime viri doctissimi eam, quae hactenus a nobis impugnata est, sententiam probari crediderunt, longe diversam ab hac quam nunc habemus theogoniae formam apud veteres fuisse. Est is e Chrysippi libro nescio quo servatus a Galeno, de Hippocr. et Plat. dogm. tom. V p. 349 Kuehn., ubi de Vulcano e Iunone et de Minerva e Iovis capite nata versus tanquam Hesiodei afferuntur hice:

Ἐκ ταύτης ἔριδος ἣ μὲν τέκε φαίδιμον υἱόν
Ἥφαιστον τέχνῃσιν ἄνευ Διὸς αἰγιόχοιο,
ἐκ πάντων παλάμῃσι κεκασμένον Οὐρανιώνων.
Αὐτὰρ ὅγ' Ὠκεανοῦ καὶ Τηθύος ἠϋκόμοιο
κούρῃ νόσφ' Ἥρης παρελέξατο καλλιπαρῄῳ,
ἐξαπατῶν Μῆτιν, καίπερ πολυΐδριν ἐοῦσαν·
συμμάρψας δ' ὅγε χερσὶν ἑὴν ἐγκάθετο νηδύν, 22
δείσας μὴ τέξῃ κρατερώτερον ἄλλο κεραυνοῦ.
Τοὔνεκά μιν Κρονίδης ὑψίζυγος αἰθέρι ναίων
κάππιεν ἐξαπίνης· ἣ δ' αὐτίκα Παλλάδ' Ἀθήνην
κύσατο· τὴν μὲν ἔτικτε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε
πὰρ κορυφῆς, Τρίτωνος ἐπ' ὄχθῃσιν ποταμοῖο.
Μῆτις δ' αὖτε Ζηνὸς ὑπὸ σπλάγχνοις λελαθυῖα
ἧστο, Ἀθηναίης μήτηρ, τέκταινα δικαίων,

---

33) Similia habet schol. German. v. 95 p. 46 Buhl.: „Hanc (virginem) Hesiodus Iovis et Themidis filiam esse dicit nomine Iustam. Hanc secutus Aratus dicit, quod quum esset immortalis, in terris morabatur, — sed postquam deminuti homines a pietate quieverunt (scr. desciverunt), illa cum eis minime conversata est." — Ceterum eodem plane modo Hesiodum, licet non in theogonia, auctorem fabulae de Phrixi ariete inter astra collocato perperam nominat schol. ad 223: „Aries, ut Hesiodus et Pherecydes dicunt, inter astra collocatus est propter Phrixum et Hellen, Acamantis et Nebulae filios." Quos ante oculos habuit, nihil nisi de aureo vellere illius arietis Hesiodum antestatos esse agnoscitur ex Hygio. astron. II, 20 et Eratosth. catast. 19. cf. Mueller. l. l. p. 199.

πλεῖστα θεῶν εἰδυῖα καταθνητῶν τ' ἀνθρώπων.
Ἔνθα θεὰ παρέλεκτο Θέμις παλάμαις περὶ πάντων
ἀθανάτων ἐκέκασθ' οἳ Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσιν,
αἰγίδα ποιήσασα φοβέστρατον ἔντος Ἀθήνῃ,
σὺν τῇ γείνατό μιν πολεμήϊα τεύχε' ἔχουσαν[34]).

„Si quis adhuc dubitet", inquit Wolfius ad th. v. 927, „maxime diversas olim inter se fuisse editiones carminis Hesiodei, videat, quaeso, quanto longiorem hanc *ῥῆσιν* ex libro quodam Chrysippi exhibeat Galenus." Idem in Prolegg. ad Hom. p. CCXXXVII: „vetustiores *ἀοιδοὶ* petebantur omni licentia mutationum, correctionum, interpolationum, liturarum, non unus Homerus, etsi rem apud hunc maxime idoneis et certis indiciis tenemus. Verum qui de Hesiodo dubitet, nec ipsarum eius reliquiarum specie moveatur, meminerit modo loci illius in theogonia undeviginti versibus aucti ex libro veteris Chrysippi." Ostendunt haec verba Wolfii opinionem hanc fuisse, ut in ipsa theogonia hunc locum illi alteri, qui hodie extat v. 927 sqq., adiunctum fuisse crederet: temere afflictum a Chrysippo non dicit, nec video qua ratione Goettlin-

---

34) Versu 3 *κεκασμένον* pro librorum lectione *κεκλημένον* reposuit Ruhnken. ep. crit. I p. 155 ed. Lips., nec dubito quin recte idem versu 5 *κούρῃ — παρελέξατο καλλιπαρήῳ* a poeta scriptum fuisse coniecerit: quam coniecturam qui spreverunt, si hoc eos movit, quod v. 6 *Μῆτιν* accusativo casu positum est, propter participium *ἐξαπατῶν*, haec quidem offensio facile removeri potuisset multis similibus exemplis; sin illud, quod explicari tamen etiam vulgata lectio (*κούρην — παρεδέξατο καλλιπάρῃον*) potest, non impedimus, quominus suo iudicio fruantur. Idem de v. 6 dicendum erit, ubi vulgatam lectionem *πολὺ δινεύουσιν* satis sibi defendisse visi sunt allatis verbi *δινεύω* intransitive usurpati exemplis: unus vero ipse coniecturam periclitari, quam Ruhnkenii certissimam emendationem accipere maluit, scripsitque *πολὺ ἀνγεύουσαν*. Ceterum si quis versum hunc post septimum collocari malit, non repugnabo. — De *τέξῃ* v. 8 cf. Lobeck. ad Phryn. parerg. p. 743. — V. 12 cum Goettl. scripsi *πὰρ κορυφῆς* pro vulg. *κορυφήν*. V. 14 *Ἀθηναίης* pro *Ἀθηναίῃ* cum Ruhnk. nunc etiam Goettl. scripsit, et *τέκταινα* pro *τέκτηνα* v. *τέκτηνα*. — V. 15 rectius scribas *θεῶν τε ἰδυῖα*, de quo vid. Ahrens Excurs. Hom. in Museo Rhen. 1842 p. 176. 178. — V. 16 lectionem corruptam esse manifestum est: nisi cui Welckerus de Aeschyl. trilog. p. 278 persuaserit, Themin h. l. nihil nisi cognomen Metidis esse, quemadmodum alibi etiam Tellurem nonnulli Themin appellari viderunt, aut videre sibi visi sunt: et tamen vel sic locum corruptum dici oportebit propter defectum connexionis huius membri cum sequenti. Quod Goettl. coniecit, *παρέλεχθ' ἣ μέν*, verum esse vix credo, ipse tamen nihil habeo melius. — V. 18 scripserim *αἰγίδα δ' ἐξεπόνησε*, aut etiam *αἰγίδα δ' ἀσκήσασα*.

gius ad v. 927 hanc ei sententiam tribuerit. — Muellerus quoque in opere postumo, histor. litt. Graec. I p. 167 not. 1, e Chrysippi loco apparere ait, diversas olim fuisse theogoniae editiones: neque minus 23
Gruppius undeviginti illos versus in Chrysippi libro statim post v. 929 scriptos fuisse credit. Veram viam unus Mützellius indicavit p. 367 cf. 354, sed paucis verbis nec satis explicate: quamobrem quum nec Muellerus recte monentem audiverit, et Gruppius adeo refutare eum conatus sit, omnis res nobis de integro pertractanda erit. Chrysippus igitur, ut demonstraret animi humani principatum (*τὸ ἡγεμονικὸν*) non, ut alii crederent, in capite, sed in praecordiis (*ἐν τῇ καρδίᾳ*) collocatum esse, quum alia argumenta usurpavit, tum eam quoque quam *κοινὴν φορὰν* dixit, communem hominum persuasionem, ad quam quasi naturali quodam instinctu ferrentur, eiusque demonstrandae causa et loquutiones aliquot in vulgari sermone usitatas et poetarum locos et fabulas quasdam adhibuit, in quibus hanc de Minerva e Iovis capite nata, quam quum ab aliis in contrariam partem accipi videret, veriore interpretatione hos refutare aggreditur. Quippe non simpliciter e capite natam Minervam dici, sed ante in ventriculo Iovis creatam, atque hinc demum in caput eius ascendisse ex eoque prodiisse, quemadmodum etiam cogitationes formentur in pectore, hinc autem quasi ascendant superius et ex ore, capitis apertura, proferantur. *Φασὶ δὲ* „inquit“ *οἱ μὲν οὕτως ἁπλῶς ἐκ τῆς τοῦ Διὸς κεφαλῆς αὐτὴν γενέσθαι, οὐδὲ προσιστοροῦντες τὸ πῶς ἢ κατὰ τίνα λόγον*: illi (contrariae sententiae auctores, quos sibi refutandos sumpsit) sic simpliciter e capite Iovis eam natam esse aiunt, neque quaerunt quo modo et qua ratione hoc factum sit. Ilis iam opponit: *ὁ δὲ Ἡσίοδος ἐπὶ πλέον λέγει ἐν ταῖς Θεογονίαις, τινῶν μὲν ἐν τῇ Θεογονίᾳ γραφόντων τὴν γένεσιν αὐτῆς, πρῶτον μὲν Μήτιδι συγγενομένου τοῦ Διός, δεύτερον δὲ Θέμιδι, τινῶν δὲ ἐν ἑτέροις ἄλλως γραφόντων τὴν γένεσιν αὐτῆς, ὡς ἄρα γενομένης ἔριδος τῷ Διὶ καὶ τῇ Ἥρᾳ γεννήσειεν ἡ μὲν Ἥρη δι᾽ ἑαυτῆς τὸν Ἥφαιστον, ὁ δὲ Ζεὺς τὴν Ἀθηνᾶν ἐκ τῆς Μήτιδος καταποθείσης ὑπ᾽ αὐτοῦ. — Λέγεται δὲ ἐν μὲν τῇ Θεογονίᾳ οὕτω* — sequuntur versus quos hodieque in theogonia legimus ab 886 ad 900: deinde pergit his verbis: *ἐν δὲ τοῖς μετὰ ταῦτα, πλείω διεληλυθότος αὐτοῦ, τοιαῦτ᾽ ἐστι τὰ λεγόμενα: Ἐκ ταύτης ἔριδος ἡ μὲν τέκε φαίδιμον υἱόν*, ac deinceps reliqui versus duodeviginti, quos supra adscripsimus. — Verba Chrysippi non

ex omni parte sana esse apparet. Quamvis enim malus et negligens scriptor Chrysippus fuerit, concinnitatis et elegantiae parum studiosus, tamen vix credi potest, ita eum uno tenore *ἐπὶ πλέον λέγει ἐν ταῖς θεογονίαις, τινῶν μὲν ἐν τῇ θεογονίᾳ γραφόντων* scripsisse. aut tam putida et inutili repetitione verborum *τὴν γένεσιν αὐτῆς* usum esse, qua quidem etiam Hermannus, summus criticus, offensus verba illa posteriore loco delenda censuit. Sed de emendandis Chrysippi verbis utcunque statuatur, ad summam rem nihil interest. Nam ut scripserit is haec ipsa, quae nunc in editionibus feruntur, hoc certe manifestum est, illis quae *ἐν τῇ θεογονίᾳ* dicta esse ait, statim opponi ab eo alia *ἐν ἑτέροις* dicta, et quidem *ἐν τοῖς μετὰ ταῦτα*, h. e. *μετὰ τὰ ἐν τῇ θεογονίᾳ*. Quaenam igitur haec *ἕτερα*, h. e. diversa a theogonia et post eam posita, fuisse putabimus, nisi carmen alterum argumenti non absimilis, h. e. quod et ipsum deorum generationes traderet quum ex immortalibus tum e mortalibus, quales sunt,
24 quae hodieque post finem theogoniae inde a v. 963 leguntur, maioris operis reliquiae. Aliam interpretationem Chrysippi verba profecto nullam admittunt, neque intelligo quo iure hanc Gruppius p. 93 valde improbabilem dicat. Quod autem ipse tanquam probabilius proponit, undeviginti illos versus in Chrysippi exemplo theogoniae statim post v. 929 positos fuisse, et prima verba, *ἐκ ταύτης ἔριδος*, respicere ad ea quae v. 928 legimus, *ζαμένησε καὶ ἤρισεν ᾧ παρακοίτῃ*, quamquam etiam Wolfio placuit et Goettliugio placuisse videtur, est tamen sine dubio falsissimum refutaturque disertis Chrysippi verbis. Etenim non modo opponit hic ea, quae *ἐν τῇ θεογονίᾳ*, iis quae *ἐν ἑτέροις* dicta sint, et bis quidem opponit, primum quum dicit *τινῶν μὲν ἐν τῇ θεογονίᾳ γραφόντων — τινῶν δὲ ἐν ἑτέροις ἄλλως γραφόντων*, deinde quum dicit *λέγεται δ' ἐν μὲν τῇ θεογονίᾳ οὕτως — ἐν δὲ τοῖς μετὰ ταῦτα τοιαῦτ' ἐστὶ τὰ λεγόμενα*: sed docet etiam planissime, ante versum, quem ipse primum adscripsit, *ἐκ ταύτης ἔριδος ἡ μὲν τέκε φαίδιμον υἱόν*, plura de hoc iurgio narrata fuisse, quae adscribere supersederit. *Ἐν δὲ τοῖς μετὰ ταῦτα*, inquit, *πλείω διεληλυθότος αὐτοῦ, ταῦτ' ἐστὶ τὰ λεγόμενα* h. e. in subiuncto theogoniae carmine, posteaquam plura exposuit (poeta), haec sunt quae narrantur[35].

35) Hermannus in Diar. schol. ann. 1833 p. 923 pro *διεληλυθότος* scribi vult *διεληλυθότων*, ut subaudiatur e superioribus pronomen *τινῶν*, genitivus *αὐτοῦ*

Et ne per se quidem ipsum credibile est, quod Gruppius vult, ullum vetus theogoniae exemplum tam absurde concinnatum fuisse, ut duae diversae eiusdem rei narrationes ita uno tenore componerentur. Contra in corpore quodam carminum theogonicorum et genealogicorum non mirum erat, eandem rem aliter in aliis partibus narrari: et vere hoc aliquoties factum esse iam supra indicavimus[36]). Possit autem fortasse aliquis, qui vulgatam Chrysippei loci scripturam tueri velit, tale corpus poematum *τῶν θεογονιῶν* nomine designatum statuere, quoniam incipiebat saltem a theogoniis, neque inepte divinae generationes omnes, etiam ex mortalibus coniugibus, illo nomine comprehendi licebat, *τὴν θεογονίαν* autem, singulari numero, proprie eam partem appellatam, quae hodieque superest: aut possit etiam pro *ἐν ταῖς θεογονίαις* — *ἐν τοῖς θεογονικοῖς* coniici. Sed verius tamen arbitror, ut alterum, tanquam ex dittographia ortum, deleatur, sive quis singularem retinere malit, utpote usitatiorem, sive pluralem, utpote et ipsum uni huic carmini, quod primum in illa collectione fuit, non male convenientem, quum non una sed plures deorum generationes narrentur. Ceterum Chrysippus, etsi Hesiodum tanquam utriusque aut prioris certe narrationis auctorem citavit, tamen non plane persuasum sibi hac de re esse significat eo, quod mox ait *τινῶν μὲν γραφόντων — τινῶν δέ* —, plurali numero usus, ut solemus in libro plurium editorum et interpolatorum studiis tractato, ex quibus cuinam quidque tribuendum sit, non liqueat. Erat igitur ei Hesiodi nomen nihil aliud, nisi usitata vulgoque recepta illius libri sive corporis carminum appellatio, sicut nos quoque non veremur vel hoc ipsum nomen vel Homeri ponere, etiamsi Homerica non magis quam Hesiodea carmina unius poetae esse credimus. Neque illud mirum, quod posteaquam plurali numero *τινῶν γραφόντων* de altera narratione dixit, mox tamen, eandem hanc narrationem respiciens, singularem *πλείω διεληλυθότος αὐτοῦ*

---

autem a comparativo *πλείω* pendeat, hoc sensu: in posteriore carmine, postquam plura quam ille exposuerunt, haec sunt, quae narrantur. Hanc correctionem, si nihil aliud, certe supervacaneam esse censeo.

36) Miror Gruppium p. 93 haec scribentem: „*So ist auch nicht anzunehmen, dass Hesiod in irgend einer andern Schrift jene damit* [*mit der Geburt der Athene aus dem Haupte des Zeus*] *streitende Erzählung sollte aufgenommen haben.*“ Quasi vero quae Hesiodea dicebantur omnia unius poetae credi possint, aut magis credibilis sit illa, quae ipsi placet, duarum diversarum narrationum in uno loco compositio.

usurpavit. Nam anxiam in tali re diligentiam postulare ridiculum sit.

Est etiam aliud, quod licet nihil magnopere ad hanc quam tractamus quaestionem pertineat, non tamen visum est praetermittere. Welckerus enim in libro de Aeschyli trilog. Prometh. p. 278 et iam ante Heynius ad Apollod. obss. p. 16 in versibus a Chrysippo adscriptis duas diversas narrationes male coniunctas sibi deprehendere visi sunt, quarum altera pertineret usque ad v. 12, altera autem, hanc excipiens, aliena esset et perperam attexta. Id mihi contra videtur. Connexio enim narrationis haec est, ut posteaquam primum Iupiter Metin gravidam devorasse Minervamque, quam illa in utero gerebat, ipse ex se in lucem edidisse dictus est, deinceps addatur etiam de Metide, permansisse eam in Iovis corpore et fabricasse Minervae aegidem, quacum ille eam ediderit. Etiamsi haec non sane eleganter composita sunt, aliena tamen et ex diversis carminibus petita non esse videntur. Quod porro Welckerus Chrysippum, versibus illis inductum, duplicem Minervae generationem, alteram ex Metide, alteram ex Themide memorare dicit, non video unde colligatur. Nam Chrysippus, ubi de his versibus loquitur, prorsus nihil eiusmodi dicit: quo autem loco Themidis mentionem facit, is locus non ad hos undeviginti versus, sed ad eos pertinet, qui hodieque in nostris theogoniae editionibus leguntur, quum Iupiter primam Metin, deinde Themin compressisse dicitur. Et quod scripsit ille, *τινῶν μὲν ἐν τῇ Θεογονίᾳ γραφόντων τὴν γένεσιν αὐτῆς, πρῶτον μὲν Μήτιδι συγγενομένου τοῦ Διός, δεύτερον δὲ Θέμιδι*, ut manifesto respicit ad theog. v. 886: *Ζεὺς δὲ θεῶν βασιλεὺς πρώτην ἄλοχον θέτο Μῆτιν*, et v. 901: *δεύτερον ἠγάγετο λιπαρὴν Θέμιν*, ita nullo alio consilio scripsit, nisi ut indicaret, in theogonia omnium primam Metin a Iove compressam esse, et postea demum Themin aliasque, quod contra est in altero loco. Nam ibi Iupiter, quum Metin comprimit, iam Iunonem uxorem habet. Quod autem Chrysippus, ut Metin in theogonia primo inter Iovis coniuges loco, ante reliquas omnes collocatam demonstret, reliquas illas non omnes deinceps enumerat, sed unam, quae secundo loco nominatur, commemorare satis habet, reliquis praetermissis, nemo mirabitur, qui quam parum ille accurate scripserit ex fragmentis cognitum habeat.

Restat unius lacunae suspicio post versum 942. Nam quum scholiastes ad v. 943 notaverit: *ἀθετοῦνται ἐφεξῆς στίχοι ἐννέα. τοὺς γὰρ ἐξ ἀμφοτέρων θεῶν γενεαλογεῖν αὐτῷ πρόκειται,*

in hac autem quam hodie legimus theogonia nusquam compareant novem versus continui, in quos scholiastae notatio ex omni parte cadat[36b]), Mützellius p. 502 manca esse exemplaria casusque infortu- 26
nüs deformata hoc certissimo exemplo apparere credit. Sed quum duo certe versus legantur proxime post 942, in quos scholiastae notatio plane conveniat, probabilius mihi videtur, numerum ἐννέα corruptum esse, quum in vetustis exemplaribus littera β scripta esset, eaque cum θ permutaretur[37]): quam permutationem non raram esse vel Bastius docere potest, comm. palaeogr. p. 709, vel Gu. Canterus synt. de rat. em. gr. auct. post Sturzii Hellan. ed. 2 p. 185. Merito autem veteres critici in his duobus versibus offenderunt, qui filium Iovis, Herculem, e mortali muliere, Alcmena, natum commemorant, quum in reliquis non nominentur nisi ἐξ ἀμφοτέρων θεῶν nati. Nam ne quis Dionysi e Semele nati non diversam quam Herculis causam esse crederet, quandoquidem Semele quoque mortalis ab ipso poeta dicitur, cautum erat proximis verbis, νῦν δ' ἀμφότεροι θεοί εἰσιν. Quippe Semelen, etiam qui mortalem in terris vixisse credebant, post mortem tamen ex inferis eductam et in deorum numerum receptam voluerunt. Alcmenam autem, quamquam divinis honoribus et ipsam a Thebanis saltem cultam, vulgaris tamen mythologia in beatorum tantum insulis, non in caelo collocatam statuebat: quamobrem quod mentio eius in theogonia inter medios deos facta erat, non immerito veteribus criticis displicuit, idque eo magis, quod verum ei locum in Eoeis ab eodem, ut quidem arbitrabantur, poeta assignatum videbant. — Ita hoc loco non lacunae, sed interpolationis potius indicium deprehendimus, quales etiam alibi passim per totum carmen nemo non potest agnoscere: quamquam tamen hae pauciores fortasse sunt et alius generis, quam

36b) Nuper Gerhardus in comment. Actis academ. Berol. ann. 1856 inserta, Ueber die Hesiod. Theogonie, p. 139, posteaquam scholiastae verba non satis perspicua esse questus est, annotationem eius non ad hunc, cui adscripta est, locum, sed ad v. 947—955 pertinere voluit, quo eam nullo modo pertinere nemini non perspicuum esse debet. Nam nulla in his versibus genealogia est, sed dicitur tantum de nuptiis eorum, quorum genealogia v. 943 sqq. commemorata erat. Cur autem in Hercule tantum, non item in Dionyso, veteres critici offenderint, dixi supra p. 55.

37) Idem est Hermanni iudicium, Diar. schol. ann. 1833 p. 926. Goettlingius contra ἑπτά reponi vult, quod ego, si vere in libris inventum esset, non minus quam ἐννέα corruptum esse dicerem.

hodie plerisque videri solet. Sed de his disputare hoc prooemio nolumus: quod autem voluimus, satis effecisse nobis videmur. Demonstravimus enim, ex omnibus indiciis ac testimoniis[38]), unde pleniorem quam nos habemus theogoniam olim a veteribus lectam fuisse viri docti collegerunt, nullum certum esse, sed omnia aut ambigua, quae pari probabilitate etiam in contrariam partem accipere liceat, aut manifesto aliena nec recte intellecta. De interpolationibus autem tantum nunc dico: paucas earum esse, quae recentiore demum aevo et post Platonis aut Aristotelis aetatem illatae videantur; plerasque antiquiores: earumque dignoscendarum plerumque non aliam viam esse, nisi ut a consilio eius, qui theogoniam composuit, adeo aliena esse demonstrentur, ut ab ipso in compositionem recepta credi nequeant. Qui autem
27 in hac quaestione ab hoc tanquam fundamento proficiscuntur, ut theogoniam unius alicuius vetusti poetae opus uno quasi fetu ingenii editum fuisse statuant, ac deinde aut ex inaequalitate orationis aut ex iuncturarum atque commissurarum asperitate aut etiam ex fabularum diversa indole interpolationes odorantur, hi quominus in aestheticis censeantur non recuso, in criticis ut locum obtineant magnopere vereor. Nam talem olim fuisse theogoniam pro certo sumunt credique postulant nullam aliam ob causam, quam quia ab unius antiquissimi poetae, et quem compositorem tantummodo haberi nefas sit, Hesiodi Ascraei nomine carmen apud veteres appellatum vident; sed demonstrare rem, eosque qui aliter statuunt, nec magnis nominibus et pervagata fama sibi imponi patiuntur, certis argumentis convincere nunquam profecto poterunt.

Scribebam Gryphiswaldiae m. Febr. ann. MDCCCXLIII.

---

38) Nam nulla praetermisimus nisi plane indigna memoratu: ex quo genere ea omnia sunt, quae Islerus protulit quaestt. Hesiod. (Berol. 1830) p. 36—39, quorum unum, ex Etym. M. p. 215, 37, recte iam Mützellius p. 404 nihil ad theogoniam pertinere iudicavit. Etiam de Manil. Astron. II, 12 idem prudenter monuit p. 357. — Nec de Goettlingii suspicione lacunae post v. 852 disputandum esse credidimus, quoniam satis iam ab Hermanno dictum est, Opp. tom. VI p. 188. 9, cui nunc etiam ipse Goettlingius, quodammodo saltem, concessit. — Quod autem Kannius, Mythol. p. 8, ex diversitate fabularum theogonicarum apud Apollodorum a nostra theogonia apparere credidit, longe aliam huius formam Apollodoro in manibus fuisse, nimis absurdum est.

DE INTERPOLATIONIBUS THEOGONIAE I.

Theogoniam Hesiodeam quum critici plerique partim lacunis, 3
partim autem interpolationibus additamentisque alienis longissime ab ea, quae olim fuerit, forma deflexam suique plane dissimilem factam esse existiment, de lacunis quidem in dissertatione aliquot abhinc annis edita hoc nobis demonstrasse videmur, ex indiciis ac testimoniis, unde pleniorem quam nos habemus theogoniam olim a veteribus lectam fuisse viri docti coniecerint, nullum satis certum esse, sed omnia aut ambigua, quae pari probabilitate etiam in contrariam partem accipere liceat, aut etiam manifesto falsa nec recte ab his, qui iis usi sunt, intellecta; de interpolationibus vero sic nos sentire professi sumus, ut esse quidem theogoniam additamentis alienis sat multis deformatam non negaremus, sed pauciora tamen haec et diversi generis esse diceremus, quam nuperi quidam critici persuadere nobis conati sunt, qui hac de re ex opinabili quadam specie carminis antiqui vereque Hesiodei, qualem animis informatam haberent, quam ex certis indiciis solidisque rationibus iudicare maluerunt. Hanc igitur sententiam nunc iam accuratius comprobare aggredimur: sed quum res maior sit, quam quae una huiuscemodi scriptione academica pertractari commode possit, partiri disputationem ita placuit, ut probationes, quibus viri doctissimi ad demonstrandas interpolationes usi sunt, generatim, quoad res patitur, dispescamus, et de uno quoque genere singulatim dicamus. Quippe sicut in fori contentionibus bina probationum genera adhiberi ab oratoribus solent, quorum alterum *ἄτεχνον* artium scriptores sive inartificiale vocant, quod testimoniis praecipue et tabulis constat, alterum *ἔντεχνον* sive artificiale, quod argumentis continetur ex rerum

ipsarum natura et conditione ductis, sic etiam in his criticorum disputationibus duplex probationum genus est, quum aut codicum aliorumve monumentorum fidem antestantur, aut argumentis pugnant vel ex sermonis habitu, vel ex rerum ac sententiarum ratione, vel ex forma operis et compositione ductis, cuius quidem generis argumenta interna, illa altera autem externa a nostratibus appellari solent. Nos autem hoc quidem tempore de externis tantum dicturi sumus, ac primum qui-
4 dem de codicibus, quoniam in aliquot saltem locis, qui interpolationis suspicionem moverunt, a viris doctissimis etiam ad codicum auctoritatem provocatum est versus suspectos omittentium.

Codices theogoniae adhuc circiter triginta collati sunt, eaque collatio, quamquam non pari in omnibus cura ac diligentia adhibita, hoc tamen certissime demonstravit, codices illos omnes, licet in minutioribus quibusdam rebus saepenumero inter se discrepent, in summa tamen adeo conspirare, ut unam omnes eandemque carminis recensionem exhibere dicendi sint[1]). Haec recensio quam vetusta haberi possit, et videanturne olim etiam aliae recensiones fuisse ab hac nostra diversae, nunc nondum quaerimus: hoc tantum dicimus, codicum auctoritatem in hac de interpolationibus quaestione prorsus nullam esse, neque, si qui versus in uno aut altero codice non scripti sint, hinc recte de alia quadam recensione coniecturam fieri posse, cuius illi codices exemplum sequuti sint, sed omissiones istas versuum longe plurimas errori tantum ac negligentiae describentium imputandas esse, paucas quasdam consilio fortasse ac iudicio aut scribarum aut correctorum tribui posse, qui, quos versus improbarent, ne legi quidem vellent; testimonii vero auctoritatem omnino nullam habere.

Ac primum quidem erratum a librariis esse nemo dubitabit in eiusmodi locis, ubi versus desunt, quos aut ad structuram orationis aut ad rerum ac sententiarum integritatem necessarios esse appareat. Velut in eo loco, ubi Iupiter inducitur cum Prometheo colloquens, codex Emmanuelis collegii Cantabrigiensis omittit versum 550: *φῆ ῥα δολοφρονέων. Ζεὺς δ' ἄφθιτα μήδεα εἰδώς*, ut Promethei orationi statim subiungatur hic, 551: *γνῶ ῥ' οὐδ' ἠγνοίησε δόλον, κατὰ δ' ὄσσετο θυμῷ*, id quod fieri non posse quilibet intelligit. Item manifestus error est in loco de mulieribus, ubi harum desidiosa lu-

1) Idem iudicium est Muetzellii, de emend. theog. Hes. praef. p. XIII: neque alia ratio codicum in O. et D. et in Scuto est. Cf. Rank. ad Scut. p. 335.

xuria cum fucis comparatur mella ab apibus congesta nullo suo labore vescentibus, in qua comparatione post versus 594. 5: *ὡς δ' ὁπότ' ἐν σίμβλοισι κατηρεφέεσσι μέλισσαι Κηφῆνας βόσκωσι κακῶν ξυνήονας ἔργων*, in codice Florentino D statim sequitur hic: *ἠμάτιαι σπεύδουσι τιθεῖσί τε κηρία λευκά*, omisso versu 596: *αἳ μέν τε πρόπαν ἦμαρ ἐς ἠέλιον καταδύντα*, quem ad explendam orationis structuram requiri manifestum est[2]). Neque minus apertus error est in versibus 603. 4, a scriptore codicis Parisini F, in v. 662 a Flor. D, in v. 726 a Par. B, in v. 789 a Vatic. Par. E. H omissis, quos omnes versus plane necessarios esse quilibet inspectis illis locis agnoscet, aut in v. 135 cum nominibus quattuor Titanidum, in v. 149 cum trium Centimanorum nominibus, quorum alter in Flor. D alter in Paris. F omissus est, denique in v. 228, quem quum addi sine dubio res ipsa posceret, ne patre Geryonis nominato matris nomen ignoraretur, omiserunt tamen sex aut septem codices. — Atque unam omittendorum versuum causam maxime frequentem hanc fuisse deprehendimus, quod librariorum oculi, similibus aut iisdem versuum propinquorum extremis partibus decepti, ab eo, quem modo scripserant, ad alterum, cuius simile aut idem initium aut exitus esset, aberrarunt. Ita factum est, ut de tribus versibus 65. 66. 67:

ἐν θαλίῃς· ἐρατὴν δὲ διὰ στόμα ΟΣΣΑΝ ΙΕΙΣΑΙ
μέλπονται, πάντων τε νόμους καὶ ἤθεα κεδνὰ
ἀθανάτων κλείουσιν, ἐπήρατον ΟΣΣΑΝ ΙΕΙΣΑΙ.

in codd. Flor. C. D. Paull. Vat. Par. D non modo tertius, quem abesse facile patiaris, sed etiam secundus omissus sit, quae res apertissime demonstrat, non diversae cuiusdam recensionis vestigium, sed merum errorem describentium subesse. — Versuum 123. 4:

*ἐκ Χάεος δ' Ἔρεβός τε μέλαινά τε Νὺ*Ξ ΕΓΕΝΟΝΤΟ,
*Νυκτὸς δ' αὖτ' Αἰθήρ τε καὶ Ἡμέρη ἐ*ΞΕΓΕΝΟΝΤΟ.

alter deest in cod. Flor. D. — De tribus versibus 292. 3. 4:

Τίρυνθ' εἰς ἱερὴν διαβὰς πόρον ΩΚΕΑΝΟΙΟ,
Ὄρθον τε κτείνας καὶ βουκόλον Εὐρυτίωνα,
σταθμῷ ἐν ἠερόεντι πέρην κλυτοῦ ΩΚΕΑΝΟΙΟ.

---

2) Versu 594 *σίμβλοισι* pro *σμήνεσσι*, qnod legitur in Flor. D et plerisque aliis, utique rescribendum fuit e duobus codd., rescriptumque est a Gaisf., Boiss., Dind., Goettl. et Hermannn. — De versu 597 vid. quae dicta sunt in diss. de Pandora p. 21 (289) not. 49.

secundum et tertium omisit scriba codicis Vaticani. — Item de tribus versibus 338. 9. 40:

*Νεῖλόν τ' Ἀλφειόν τε καὶ Ἠριδανὸν βαθυ*ΔΙΝΗΝ,
Στρύμονα, Μαίανδρόν τε καὶ Ἴστρον καλλιρέεθρον,
*Φᾶσίν τε Ῥῆσόν τ' Ἀχελώϊον τ' ἀργυρο*ΔΙΝΗΝ

secundus cum tertio exciderunt in cod. Flor. F. Par. H. — De versibus 510. 11:

6 *Τίκτε δ' ὑπερκύδαντα Μενοίτιον ἠδὲ Προ*ΜΗΘΕΑ
*ποικίλον, αἰολόμητιν, ἁμαρτίνοόν τ' Ἐπι*ΜΗΘΕΑ

alterum omittit Par. B. — De tribus versibus 559. 60. 61:

Ἰαπετιονίδη, πάντων πέρι ΜΗΔΕΑ ΕΙΔΩΣ,
ὦ πέπον, οὐκ ἄρα πω δολίης ἐπελήθεο τέχνης.
Ὣς φάτο χωόμενος Ζεὺς ἄφθιτα ΜΗΔΕΑ ΕΙΔΩΣ

exciderunt duo posteriores in cod. Flor. D. — In descriptione Tartari, v. 720—725:

Τόσσον ἔνερθ' ὑπὸ γῆς, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης.
Ἶσον γάρ τ' ἀπὸ γῆς ἐς Τάρταρον ἠερόεντα.
ἐννέα γὰρ νύκτας τε καὶ ἤματα χάλκεος ἄκμων
οὐρανόθεν κατιὼν δεκάτῃ δ' ἐς γαῖαν ἵκοιτο.
ἐννέα δ' αὖ νύκτας τε καὶ ἤματα χάλκεος ἄκμων
ἐκ γαίης κατιὼν δεκάτῃ δ' ἐς Τάρταρον ἵκοι.

primos duos versus in unum contraxit scriba codicis Flor. B, post *τόσσον* ea statim subiungens, quae proximo versu post *Ἶσον* sequuntur. Idem in codd. Flor. C et Rehd. factum, sed novo insuper errore *δ' αὖ* pro *γάρ*, *γαίης* pro *γῆς* scriptum est. In Taur. Flor. A. D. Par. B. C. H versus quartus et quintus omissi sunt, scilicet quod librarii, scripto versu tertio, quum ad geminum eius versum quintum aberrarent, hunc se scripsisse rati statim transierunt ad sextum. Simili errore Vaticani codicis scriptor de geminis duobus versibus alterum solum scripsit, v. 724, omisitque duos intermedios 722 et 723. Alii codices etiam correctionis cuiusdam vestigia ostendunt, qua de re, quoniam alio loco exposui, nunc dicere nihil attinet. — Porro de duobus versibus 736. 737:

*ἔνθα δὲ γῆς δνοφερῆς καὶ Ταρτάρου ἠ*ΕΡΟΕΝΤΟΣ,
*πόντου τ' ἀτρυγέτοιο καὶ οὐρανοῦ ἀστ*ΕΡΟΕΝΤΟΣ.

alterum omittit Flor. D. E, omiseratque etiam Par. D, in quo post ab alia manu adscriptus est. — In versibus 748—753:

ἀστεμφέως, ὅθι Νύξ τε καὶ Ἡμέρη ἀμφὶς ΙΟΥΣΑΙ

ἀλλήλας προσέειπον ἀμειβόμεναι μέγαν οὐδὸν
χάλκεον· ἡ μὲν ἔσω καταβήσεται, ἡ δὲ θύραζε
ἔρχεται, οὐδέ ποτ' ἀμφοτέρας δόμος ἐντὸς ἐέργει,
ἀλλ' αἰεὶ ἑτέρη γε δόμων ἔκτοσθεν ΕΟΥΣΑ
γαῖαν ἐπιστρέφεται, ἡ δ' αὖ δόμου ἐντὸς ΕΟΥΣΑ —

postremus, propter clausulam ipsi cum superiore communem, omissus est in codd. Flor. A. Vat. Par. H; contra Parisini cod. F librarius ab ἰοῦσαι, in versu primo, ad ἐοῦσα in versu penultimo aberrans, hunc ipsum cum tribus superioribus omisit. — De versibus 833. 4:

ΑΛΛΟΤΕ Δ' ΑΥτε λέοντος ἀναιδέα θυμὸν ἔχοντος,
ΑΛΛΟΤΕ Δ' ΑΥ σκυλάκεσσιν ἐοικότα, θαύματ' ἀκοῦσαι

prior omissus est in codice Taurinensi, propter simile utriusque initium. Eandem ab causam de quattuor versibus 941—44:

ΜΙΧΘΕΙΣ' ΕΝ ΦΙΛΟΤΗΤΙ Διώνυσον πολυγηθέα,
ἀθάνατον θνητή· νῦν δ' ἀμφότεροι θεοί εἰσιν.
Ἀλκμήνη δ' ἄρ' ἔτικτε βίην Ἡρακληείην,
ΜΙΧΘΕΙΣ' ΕΝ ΦΙΛΟΤΗΤΙ Διὸς νεφεληγερέταο.

tres priores omissi sunt in codice Vaticano; et paullo infra in eodem codice de duobus versibus 946:

ὁπλοτάτην Χαρίτων ΘΑΛΕΡΗΝ ΠΟΙΗΣΑΤ' ΑΚΟΙΤΙΝ

et 948:

κούρην Μίνωος ΘΑΛΕΡΗΝ ΠΟΙΗΣΑΤ' ΑΚΟΙΤΙΝ

excidit posterior, et proximum quoque v. 949 secum traxit.

Horum igitur exemplorum meo quidem iudicio haec vis esse debet, ut etiam aliis locis, ubi versus aut minus necessarii aut adeo supervacanei atque molesti omissi sunt, huius quoque generis omissiones non tam integriorum exemplarium auctoritati aut criticorum emendationi, quam errori describentium imputandas esse credamus. Veluti in eo loco, ubi de prima muliere, Pandora — quamquam hoc nomen theogonia non habet, — exponitur, ut ornata sit Iovis iussu a Minerva,
non immerito criticos offendit nimia ornamentorum copia in caput 7
mulieris congesta. Nam primum, v. 574, καλύπτρα imponitur, hoc est velamentum quoddam haud absimile, ut videtur, eius quod κρήδεμνον dicitur[3]); huic adiunguntur v. 576 florida serta, στέφανοι νεοθη-

3) Cf. Iliad. XXII, 406 cum 470. Add. schol. min. ad XIV, 184. Voss. ad hymn. in Cer. v. 197. Nitzsch, ad Od. tom. II p. 35 et 54. Clarac, Musée de scul-

λέες ἄνθεσι ποίης, his autem rursus superadditur, v. 578, *στεφάνη χρυσέη*, h. e. vitta aurea sive diadema[4]), ordine quidem sine dubio perverso. Quippe si maxime praeter velum et diadema etiam floribus opus erat, — quamquam hoc ipsum vix concedent elegantiores mulieres, — illud certe omnes pernegabunt, superimponi floribus diadema commode potuisse. Neque mederi huic malo possumus versuum transpositione, siquidem v. 578. 9 tam arte cum proximis v. 580—584 cohaerent, ut loco moveri nullo modo possint. Itaque assentior sane iis, qui v. 576. 7 spurios esse censuerunt, adscriptos fortasse ab aliquo ad marginem, comparandi gratia: verumtamen quod omissi hi versus sunt in cod. Par. H, haud scio an tantummodo propter simile initium versus 576 cum v. 578 acciderit, quum in altero sit *ἀμφὶ δέ οἱ στεφάνους*, in altero autem *ἀμφὶ δέ οἱ στεφάνην*.

Similem dubitationem movet locus de ventis, v. 869sqq:

Ἐκ δὲ Τυφωέος ἐστ᾽ ἀνέμων μένος ὑγρὸν ἀέντων,
νόσφι Νότου Βορέω τε καὶ ἀργέστεω Ζεφύροιο·
οἵ γε μὲν ἐκ θεόφιν γενεῇ, θνητοῖς μέγ᾽ ὄνειαρ,
αἱ δ᾽ ἄλλαι μὰψ αὖραι ἐπιπνείουσι θάλασσαν,
αἳ δή τοι[5]) *πίπτουσαι ἐς ἠεροειδέα πόντον,*
πῆμα μέγα θνητοῖσι, κακῇ θύουσιν ἀέλλῃ.

Hunc locum Hermannus in dissert. de Hes. theog. forma antiq. p. 21 ita corrigendum suadet, ut aut deleto versu quarto, quem non habeat codex Emmanuelis, scribatur *αἱ δ᾽ ἄλλαι πίπτουσαι* — debebat utique *οἱ δ᾽ ἄλλοι πίπτοντες* — *ἐς ἠεροειδέα πόντον*, aut e versibus quarto et quinto confletur hic unus, *αἱ δ᾽ ἄλλαι μὰψ αὖραι ἐν ἠεροειδεῖ πόντῳ*, omissis verbis intermediis. Et sane offendere potest in vulgata scriptura res eadem bis dicta, *ἐπιπνείουσι θάλασσαν* et *πίπτουσαι ἐς ἠεροειδέα πόντον*, quamobrem, si, quod melius et elegantius videatur, idem etiam verius iudicari debet, assentiatur aliquis viro summo, alteram utram illarum emendationum asciscendam esse. Atqui vereor equidem magnopere, ne non liceat in theo-

pture, tom. II, 1 p. 97 et 105. 6. Gerhard. Prodom. I p. 20 sq. — Generaliori sensu Callimachus fr. 125 p. 492 Ern. *καλύπτρην* dixit de pileo pastorali.

4) Cf. Iliad. XVIII, 597. Apollon. lex. Hom. s. v. Pollux V, 96. Schol. Pind. Nem. pr. Graev. lectt. Hesiod. p. 635 Loesn. Clarac l. l. p. 103 extr.

5) Ita codices omnes praeter Flor. C, in quo est *αἱ δ᾽ ἤτοι*, quod reposuerunt editores recentiores, Hermanno obsequuti, ad H. hymn. in Cer. p. 105. Vid. diss. de Typhoeo p. 20.

gonia emendanda hac lege agere, acquiescendumque potius in eo sit, quod traditum est, quamvis minus sit elegans. Et quo minus molesta sit ista repetitio, animadvertendum est non absolvi orationem his verbis *πίπτουσαι ἐς ἠεροειδέα πόντον*, quae sane repetunt quod ante dictum erat, *ἐπιπνείουσι θάλασσαν*, sed continuari versu proximo sic, ut simul aliquid amplius addatur, *πῆμα μέγα θνητοῖσι κακῇ θύουσιν ἀέλλῃ*, quod quale sit deinceps disertius exponitur usque ad v. 878. Quod autem ad codicem Emmanuelis attinet, eius nullam ad emendandum locum auctoritatem esse vel hinc intelligas, quod, licet omisso versu quarto, tamen *αἵ δή τοι πίπτουσαι* scriptum habet, genere feminino, cuius, omisso illo versu, nullam rationem reddi posse apparet. Itaque certum videtur, versum illum errore tantum excidisse, cuius causa fortasse fuit non dissimile huius et proximi versus initium, *αἱ δ' ἄλλαι* et *αἵ δή τοι.*

Versum 186, quo terra dicitur gigantes edidisse

τεύχεσι λαμπομένους, δόλιχ' ἔγχεα χερσὶν ἔχοντας,

Goettlingius in editione prima pro spurio habuit propterea, quod et deesset in codice Barrocciano et edit. Iuntina, neque loricati hastatique gigantes induci a poeta potuisse viderentur. Postea, ab Hermanno admonitus, hoc quidem non tenuit[6]), spurium tamen versum nihilo minus esse statuit, in quo si codicis illius et Iuntinae editionis auctoritatem sequutus est, hanc ego, in ceterorum omnium consensu, nullam esse arbitror; sin non potuisse gigantes statim nascentes cum armis fingi credidit, hoc refutabitur Spartorum Thebanorum, qui et ipsi gigantes a Nonno vocantur[7]), eorumque exemplo, quos Iasoni terra adversarios fudit. Vid. Apollod. III, 4, 1, 4 et I, 9, 16, 19.

Versu 463 et sequ. refertur, quam ob causam Saturnus liberos suos statim editos devoraverit:

πεύθετο γὰρ Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἀστερόεντος,
οὕνεκά οἱ πέπρωτο ἑῷ ὑπὸ παιδὶ δαμῆναι,
καὶ κρατερῷ περ ἐόντι, Διὸς μεγάλου διὰ βουλάς.

6) Memoravit ipse vir doctissimus opera caelata Selinuntia, in quibus armati gigantes conspiciuntur. Vid. Serra di Falco Antich. della Sicilia II tab. 28. 29. 31. Addi poterant vasorum picturae apud E. Gerhardum, Vasengem. I tab. 5. 6, cum editoris comment. p. 23, et quae affert Radulphus Rochette, Mémoire sur Atlas p. 43.

7. Dion. IV, 427. V, 36. Cf. Creuzer. Melett. I p. 92 not. 77.

Omittit tertium versum codex Paris. B, damnaruntque eum Guietus, Heynius, Wolfius, non modo supervacaneum esse rati, sed etiam ineptum propter Iovis commemorationem. Quis enim, aiunt, tam disertam praedictionem fuisse credat, ut filium illum, futurum patris victorem, sed illo tempore nondum natum, etiam nomine appellaret? Addere autem etiam hoc poterant, sic eum appellari, ut ne liqueat quidem, sitne is ipse patrem victurus, an alius quispiam, Iovis consiliis subornatus et instructus, quemadmodum v. 572 *Κρονίδεω διὰ βουλὰς* Vulcanus mulierem fabricat, et v. 398 Styx Iovis socia fit *φίλου διὰ μήδεα πατρός*. Offendisse autem in hoc versu etiam veteres quosdam criticos, ac proin *πατρὸς* pro *Διὸς* scriptum voluisse scholia docent: *Ἄλλοι γράφουσι πατρὸς μεγάλου διὰ βουλάς. οὕτως γὰρ [δὲ] γραπτέον, πατρός, τουτέστι τοῦ Οὐρανοῦ· ὁ γὰρ Ζεὺς πῶς εἶχε συμβουλεῦσαι τῷ Κρόνῳ μήπω γεννηθείς;* quamquam haec annotatio aliquam labem contraxisse videtur.
9 Nam quum non de consilio in theogonia dictum sit Saturno ab Iove dando, sed de consiliis contra Saturnum ineundis, *συμβουλεῦσαι* profecto scribi non potuit, sed debuit scribi *ἐπιβουλεῦσαι* [8]). Ceterum isti veterum criticorum emendationi partim illud obstat, quod iam Goettlingius monuit, correptam syllabam primam verbi *πατρός* tolerari in Hesiodeo carmine vix posse, qua de re Hermannus exposuit, ad Orph. p. 755, partim autem, quod de Urani consiliis in superando Saturno nemo, neque ipsa theogonia v. 492 sqq. neque alius quisquam memoriae prodidit. Sed totum versum, ut in codicibus scriptus est, idem Goettlingius, pariterque Muetzellius de em. theog. p, 52 et venerabilis senex Lennepius ab recentiorum criticorum obelo recte defenderunt. Nempe verba illa, *πεύθετο γάρ οὕνεκά οἱ πέπρωτο κτλ.*, nequaquam ita accipi debent, ac si omnia, quae subiunguntur post *οὕνεκα*, plane ut memorantur his versibus, sic etiam praedicta Saturno fuerint: id enim si voluisset poeta, aut infinitivum *πεπρωμένον εἶναι*, aut etiam optativum, *οὕνεκα πεπρωμένον εἴη*, ponere debuisset: nunc autem, quum indicativo utitur, rem ex sua potius persona, ut factam esse norat, quam ex eorum, qui vaticinabantur, mente eloquutus est. Neque vero supervacaneum hunc versum esse concedemus:

8) Quod Goettlingius suspicatur, scripturam *πατρός* pro *Διός* ab iis ortam esse, qui *διὰ βουλάς* cum *πέπρωτο*, non cum *δαμῆναι* coniungerent, neque comprobatur hac scholiastae annotatione, neque ipsum per se credibile est.

nam non repetit solum, quod superiore versu dictum erat, Saturnum a filio suo victum iri, sed addit insuper, quod nondum dictum erat, ita hoc futurum esse, ut robur Saturni prudentia et consilio filii vincatur, quemadmodum res proponitur etiam apud Aeschylum in Prometheo, v. 212: *ὡς οὐ κατ' ἰσχὺν οὐδὲ πρὸς τὸ καρτερὸν χρείη, δόλῳ δὲ τοὺς ὑπερσχόντας κρατεῖν.* Quod autem ita oratio conformata est, ut non diserte indicetur, ipsene Iupiter victor Saturni futurus, an adiuturus tantummodo victoriam consiliis suis sit, non sane eiusmodi est, quod committi ab ipso vetere theogoniae compositore potuisse negemus: quamobrem eiiciendi versus nullam satis gravem causam esse apparet.

Paullo infra, v. 470 sqq., Rhea parentes suos orasse dicitur, ut consilio se adiuvarent, quo posset clam Saturno filium parere et ulcisci illius maleficia:

ὅπως λελάθοιτο τεκοῦσα
παῖδα φίλον, τίσαιτο δ' ἐριννῦς πατρὸς ἑοῖο
παίδων, οὓς κατέπινε μέγας Κρόνος ἀγκυλομήτης.

Tertius horum versuum multum exercuit interpretes, quum neque vim loquutionis *ἐριννῦς τινὸς τίσασθαι* recte perciperent, neque scirent genitivo *παίδων* quid facerent, quamobrem Goettlingius in altera editione uncinos huic versui tanquam spurio circumdedit, provocans etiam ad codicis M 1 (h. e. Flor. C) auctoritatem, a cuius contextu abest hic versus, et in margine tantum adscriptus legitur. Atqui hoc ipsum docet, eum non consulto omissum esse, sed per errorem, qui quam proclivis fuerit propter simile initium duorum versuum, *παῖδα* et *παίδων*, in aperto est. Non damnari autem versum, sed emendari oportuit, copula post *παίδων* inserta, quemadmodum iam dudum monui in dissert. de fals. indic. lacun. th. Hes. p. 15, sensumque loci huuc esse demonstravi: celari Rheam Iovis partum voluisse, 10 quo ipsa huius filii sui ope poenas a Saturno repeteret scelerum adversus patrem suum Uranum, quem ille castraverat, et adversus liberos, quos devoraverat, commissorum. Eandem emendationem eodem fere tempore etiam a Iulio Caesare inventam esse cognovi ex Diurn. antiquar. ann. 1843 p. 318.

V. 529 et sqq. Hercules Promethei aquilam interemisse dicitur Iove non invito, qui hac re filii gloriam augeri voluerit:

οὐκ ἀέκητι Ζηνὸς Ὀλυμπίου ὑψιμέδοντος,

ὄφρ' Ἡρακλῆος Θηβαγενέος κλέος εἴη
πλεῖον ἔτ' ἢ τὸ πάροιθεν ἐπὶ χθόνα πουλυβότειραν,

quibus deinde subiunguntur hi duo versus:

ταῦτ' ἄρα ἀζόμενος τίμα ἀριδείκετον υἱόν·
καίπερ χωόμενος παύθη χόλου ὃν πρὶν ἔχεσκεν.

quorum priorem quum iam Guietus tanquam suppositicium notasset, quamquam ratione iudicii non exposita, Robinsonus id propterea factum suspicatus est, quod mera in hoc versu repetitio esset praecedentium. Id mihi secus videtur, siquidem superioribus versibus voluntas tantum Iovis, hoc autem versu effectus eius voluntatis proponitur. Nam quia crescere Herculis gloriam voluit, propterea hunc ei honorem habuit, ut aquilam ab eo interimi pateretur, ira sua adversus Prometheum deposita. Quod autem Robinsonus, fretus codicis unius, qui est Societatis Reg. Brit., auctoritate, in quo verba τίμα ἀριδείκετον υἱόν v. 532, et καίπερ χωόμενος v. 533 omissa sunt, veram poetae manum sic restitui posse credit, ut scribatur

τοῦτον ἄρ' ἀζόμενος παύθη χόλου ὃν πρὶν ἔχεσκεν,

probari nullo modo posse arbitror. Nam primum omissa illa verba non integrioris cuiusdam exempli auctoritate, sed errore describentis esse vel hinc manifestum fit, quod in codice isto ταῦτ' ἄρα, non, ut Robinsonus voluit, τοῦτον ἄρ' scriptum est, ut appareat oculos librarii ab ἀζόμενος ad alterum in proximo versu participium, iisdem litteris terminatum, χωόμενος aberrasse. Et ne per se quidem ipsa probabilis est illa correctio, τοῦτον ἄρα. Nam quum superiorum versuum sententia haec sit, non ut de Herculis persona, sed ut de Iovis consilio edoceamur, sine dubio in proximo versu, ubi proponitur, quid igitur (ἄρα) hoc consilio permotus Iupiter fecerit, consentaneum erat non Herculis personae, sed Iovis consilii notionem in animum revocari per pronomen demonstrativum, quod quidem in tali contextu recte cum veteribus grammaticis ἀναφορικὸν seu relativum dixeris. Hinc manifestum est, non τοῦτον ἄρα, hunc igitur, sed ταῦτ' ἄρα, hanc igitur ob causam, scribendum fuisse: nam ταῦτα idem valere, quod διὰ ταῦτα, neminem fugit. Quae quum ita sint, etiam reliquam versus partem, τίμα ἀριδείκετον υἱόν, prorsus necessariam esse consequitur. Inest enim in ea obiecti designatio ad ἀζόμενος pertinens, quam omitti sermonis, epici saltem, leges non sinebant: nam ἀριδείκετον υἱὸν non minus ad ἀζόμενος quam ad τίμα pertinere, quasi sit ἄζετο καὶ ἐτίμα, non opus est monere. — Offenderunt

porro nonnulli in concursu vocalium *ἄρα ἀζόμενος*, qui, si est vere vitiosus, facillime tolli poterit Hermanni emendatione, in censura edit. Goettl., Opusc. VI, 1 p. 176, *ταῦτ' ἄρ' ὅγ' ἀζόμενος*. Quamquam fateor equidem, mihi de hac re non satis liquere, quum praesertim ipsum virum summum et harum rerum longe intelligentissimum non solum ante, quam censuram illam scriberet, nihil offensum esse illo concursu brevis eius annotatio demonstret in Frankii editione hymnorum Homericorum, ad h. in Cer. v. 76, ubi est *μέγα ἄζομαι*, sed etiam postea, in dissert. de Hes. theog. forma antiqu. p. 14, ipse tacite emendationem suam retractaverit, prioremque versus partem, ut vulgo scribitur, tanquam sanam et incorruptam posuerit. Alteram partem versus et proximi initium ut deleri, unumqne ex duobus versum fieri iuberet hunc: 11

ταῦτ' ἄρα ἀζόμενος παύθη χόλου ὃν πρὶν ἔχεσκεν,

non sane alia causa permotus esse videtur, quam quod stropham exire cuperet versuum quinque, a v. 532 ad 537: quandoquidem omnis eius dissertationis consilium hoc est, ut theogoniam antiquam et genuinam totam ex huiusmodi strophis compositam fuisse persuadeat. Hoc igitur studio inductus non satis animadvertisse videtur, quam dura quamque abhorrens ab epici sermonis consuetudine oratio existat omisso obiecto, quo carere participium *ἀζόμενος* vix potuit, ut hac quidem ratione vel Robinsoni coniectura praeferenda fuerit, de qua supra dictum est. Quod autem duobus illis hemistichiis, qui ab ipso omissi sunt, etiam vitiari orationem dicit, nescire me fateor quid significet. Nam de asyndeto ne cogitemus, quod Goettlingium in prima editione offenderat, ipse Hermannus vetuit in censura l. l., hoc in huiusmodi contextu perquam usitatum esse moneus: et recte quidem. Nam ubi, quod modo universe propositum erat, statim iu proximo orationis membro disertius exponitur, solet hoc membrum priori sine copula adungi, velut apud Homernm Iliad. XXIV, 680: *Λητοῖ ἰσάσκετο καλλιπαρῄῳ φῆ δοιὼ τεκέειν, ἡ δ' αὐτὴ γείνατο πολλούς.* Od. IV, 445: *ἀλλ' αὐτὴ ἐσάωσε καὶ ἐφράσατο μέγ' ὄνειαρ· ἀμβροσίην ὑπὸ ῥῖνα ἑκάστῳ θῆκε φέρουσα.* Eur. Hec. v. 793: *δέδρακεν ἔργον ἀνοσιώτατον· κοινῆς τραπέζης πολλάκις ἐμοὶ τυχὼν ἔκτεινε.* Conf. Fix. ad Eur. Heracl. v. 557. Herm. ad H. hymn. in Ven. 177. Naegelsbach. ad Iliad. p. 274. ed. 1.

V. 543. 4. alloquitur Prometheum Iupiter his verbis:

Ἰαπετιονίδη, πάντων ἀριδείκετ' ἀνάκτων,

ὦ πέπον, ὡς ἑτεροζήλως διεδάσσαο μοῖρας[9]).

sed priorem versum omittit codex Flor. D, nec pauci recentiores eum damnarunt propter insolentiam alloquutionis *πάντων ἀριδείκετ᾽ ἀνάκτων*, quam qui correctione sanandam censuit[10]), ut scriberetur *πάντων πέρι μήδεα εἰδώς*, ut est v. 559, cuius lectionis etiam vestigium quoddam servatum esse credit in eo, quod codex Ven. 1 et schol. ad h. l. habent *περιδείκετ᾽* —, paucis, opinor, persuadebit. Lennepius autem etiam de digamma vocis *ἀνάκτων* neglecto admonuit, cuius praeter hunc locum unum in omni theogonia exemplum extat,
12 v. 486: *Οὐρανίδῃ μέγ᾽ ἄνακτι*, quod tamen illi correctione removendum videtur, *Οὐρανοῦ υἷι ἄνακτι*: nam alias, ubicunque aut *ἄναξ* aut *ἀνάσσειν* quaeque hinc descendunt leguntur, aut vocalis antecedit aut *ν* paragogicum, quod quin librariis debeatur nemo facile dubitet. Itaque epicum poetam unum de antiquissimis hoc nomen sic, ut hoc loco factum est, non positurum fuisse concedemus: verumtamen haec nostra theogonia quam vetusta sit et quanam aetate composita, quis tandem sibi compertum esse affirmabit? Nemo, opinor, qui quidem sapiat. Quumque apud ipsum Homerum digamma in aliquot vocabulis, et in hoc ipso *ἄναξ*, modo observatum modo neglectum sit, cur a theogoniae compositore talem inconstantiam in voce *ἄναξ* alienam fuisse dicamus, nulla causa esse videtur. In aliis certe carminibus, quae Hesiodi esse et ipsa credebantur, neglectum nonnunquam illud digamma fuisse Melampodiae versiculus ostendit, ab Athenaeo servatus XI p. 498 (fr. no. 174 Goettl.): *πλήσας δ᾽ ἀργύρεον σκύπφον φέρε, δῶκε δ᾽ ἄνακτι*: nisi quis forte etiam hoc exemplum removeat corrigendo *παρέδωκε ἄνακτι*[11]). — De reliqua autem alloquutionis insolentia fateor equidem, alterum eiusmodi exemplum non esse

9) Scribitur vulgo *μοίρας*. Alteram tonosin cur praetulerim, peritos non latebit: *μοῖραν* habet cod. Taur.

10) M. Isler, Quaestt. Hesiod. Berol. 1830, p. 18.

11) De Homericis exemplis nota omnibus est Dawesii disputatio, Miscell. crit. p. 239 sqq. ed. Kidd. Idem de Hesiodeis dixit p. 238. cf. et Isler. l. l. p. 4. — Cyclicae Thebaidis initium in Certam. Hom. et Hes. p. 324 Goettl. hoc est: *Ἄργος ἄειδε θεὰ πολυδίψιον, ἔνθεν ἄνακτες*. — In hymnis Homericis neglecti digamma non rara exempla sunt, ut in Apoll. Del. 15: *Ἀπόλλωνα τ᾽ ἄνακτα*. v. 59: *δηρὸν ἄναξ* (quamquam de hoc versu Schneidewinum audiri velim). Apoll. Pyth. v. 3: *μέγ᾽ ἀνάσσεις*. 207: *ἔνθα δ᾽ ἄνακτι*. 259: *ἡγεμόνευε δ᾽ ἄναξ*. in Merc. 574: *Μαιάδος υἱὸν ἄναξ*. 500: *ἀγλαὸς υἱὸς ἄναξ*. in Cer. 440: *ἔπλετ᾽ ἄνασσα*.

in promptu: sed contra id quoque fatendum erit, nullum alterum apud epicos exemplum inveniri huiusmodi, ut alicuius ad alterum oratio uno solo versiculo conclusa sit. Ita deleto isto versu quid aliud quam una insolentia remota alteram ipsi invehimus haud sane minorem? Hanc ob causam satius mihi videtur tolerare versum suspectum, quem quod omisit librarius codicis Flor. D, erratum ab eo non minus hoc loco esse dicemus, quam paullo infra in versibus 560 et 561, qui quum abesse prorsus non possint, tamen omissi sunt propter similem clausulam versus 561 cum eius, qui hos duos praecedit, v. 559.

Non contendam autem de versu 774:

ἰφθίμου τ' Ἀΐδεω καὶ ἐπαινῆς Περσεφονείης,

qui quum paullo ante, v. 768, totidem verbis positus sit, potuit sane hoc loco sine damno abesse, et omissus est in undecim codicibus, quorum consensum non posse fortuitum haberi apparet. Illud tantum ambigas, utrum integriorum exemplarium auctoritate versus omissus sit, an correctorum iudicio, quorum quidem nullum non promptiorem ad delendum etiam contra codices, quam ad inserendum fuisse crediderim. Quodsi quaeras, unde tandem illatus sit, ab ipsone compositore theogoniae, an postea demum casu aliquo et errore, hoc alterum mihi probabilius videri profiteor, licet viros doctissimos, Muetzellium et Lennepium, aliter sentire haud ignorem.

Restant duo loci, in quibus sano correctorum iudicio versus spurii sublati videantur. Horum alter est in titanomachia, ubi de his quattuor versibus, 706—709:

σὺν δ' ἄνεμοι ἔνοσίν τε κόνιν θ' ἅμα ἐσφαράγιζον, 13
βροντήν τε στεροπήν τε καὶ αἰθαλόεντα κεραυνόν,
κῆλα Διὸς μεγάλοιο, φέρον τ' ἰαχήν τ' ἐνοπήν τε
ἐς μέσον ἀμφοτέρων, ὄτοβος δ' ἄπλητος ὀρώρει.

medios duos omittit codex Paris. F, rectissime sine dubio. Nam sunt sane perquam absurdi, in quibus neminem de recentioribus offendisse iure mireris. Quid enim hoc rei est, quod venti non modo pulverem sed etiam concussionem, *ἔνοσιν*, adeoque tonitru et fulgura et fulmina concitasse, fremitumque et clamorem in medium pugnantium tulisse dicuntur? Quasi vero fulmina non Iovis manu in adversarios iaculata, fremitus autem et clamor ab ipsis pugnantibus exorti sint, quemadmodum ipse poeta disertissime proposuit vv. 685 et 690 sqq. Inseruit, opinor, illos versus aliquis homo ineptus, cui pulverem solum

concitari non satis grande videbatur[12]). Sed deleto hoc additamento nondum tamen persanatum locum habemus. Restat concussio, *ἔνοσις*, una cum pulvere ventis concitata, quod qui potuerit dici equidem non assequor. Nam non ventis demum illam concitatam esse puto, sed pugnantium ipsorum impetu, quum, ut est v. 677, *χειρῶν τε βίης θ' ἅμα ἔργον ἔφαινον ἀμφότεροι, πεδόθεν δ' ἐτινάσσετο μακρὸς Ὄλυμπος ῥιπῇ ὑπ' ἀθανάτων, ἔνοσις δ' ἵκανε βαρεῖα Τάρταρον ἠερόεντα*, et in pugna Typhoei v. 849, *θῦε δὲ κύματα μακρὰ ῥιπῇ ὑπ' ἀθανάτων, ἔνοσις δ' ἄσβεστος ὀρώρει.* Itaque scribendum erit

σὺν δ' ἄνεμοί τ' ἔνοσις τε κονίην ἐσφαράγιζον.

Nam pulverem haec concussio non minus sine dubio quam ventorum vis excitabat. Sunt autem quaedam sanioris lectionis vestigia etiam in codicibus servata, quorum unus, Flor. E, *ἔνοσις*, non *ἔνοσιν*, habet, sex autem, Flor. A. C. Par. B. D. G. Rehd., *κονίην* et *ἐσφαράγιζον*, sine *ἅμα*, quamquam perperam inserta ante verbum copula. Vulgatam lectionem hinc ortam esse suspicor quod, postquam semel *κόνιν* pro *κονίην* scriptum fuit, versus fulciendi causa *θ' ἅμα* inseruerunt: quamquam potest etiam, ut *κόνιν* verum sit, *θ' ἅμα* autem ortum ex *θαμά*, quod adverbium aptissimum hoc loco esse apparet. — Alter locus est in enumeratione Veneris cognomentorum, quae legitur v. 196—200, in qua non immerito multi offenderunt, quum et molestam habeat loquacitatem et pugnet in *Κυπρογενοῦς* cognomine interpretando, v. 199, cum iis quae paullo ante, v. 192. 3, dicta erant, denique unum proponat deae cognomen, *φιλομμηδέα*, v. 200, quod quin falsum sit et antiquis poetis incognitum dubitari vix potest. Certe theogoniae compositori veram formam *φιλομμειδέα* quum versus 989 vindicat, ubi haec in plerisque saltem codicibus extat, tum v. 256, ubi nymphae Glauconomae hoc epitheton tribuitur, in quam alterum illud, *φιλομμηδέα*, non cadere manifestum est, licet etiam hoc loco sic in paucis quibusdam codicibus scriptum sit, proclivi scilicet errore, quo ne Homeri quidem codices immunes fuisse ex paraphrasi Iliadis apparet, in qua est IV, 10: *τούτῳ δὲ ἡ φιλοῦσα τὰ μήδεα Ἀφρο-*

12) Ventos tonitru et fulmina concitantes non vereor ne quis eiusmodi locis defendat, qualis est apud Lucretium V, 744: **Altitonans Volturnus et Auster fulmine pollens:** nam ab hac proelii descriptione, ubi Iupiter ipse fulmina torquens inductus est, illam rationem prorsus alienam esse apparet.

δίτῃ ἀεὶ παραμένει, quamquam alibi recte dicitur ἡ φιλόγελως 14
Ἀφροδίτη, velut III, 424. V, 375. XIV, 211. XX, 40. In theogonia autem versum illum 200, cum inepto cognomine et interpretamento unus saltem codex Paris. F omittit. Alterum non minus suspectum, v. 199: *Κυπρογενῆ δ' ὅτι γέντο πολυκλύστῳ ἐπὶ Κύπρῳ*, quem nostri codices omnes tenent, nonnulli abfuisse coniecerunt ab eo exemplo, quo Etymologici magni auctor usus sit, siquidem apud hunc p. 179, 4 quattuor tantum versus 196. 7. 8. 200 adscripti sunt. Atqui citatur etiam iste versus p. 546, 20; altero loco omitti tanto facilius potuit, quod nihil prorsus causae erat, cur integer locus adscriberetur.

Haetenus haec: nam de reliquis interpolationum indiciis alias dicturi sumus. Hoc autem tempore, Commilitones, non committendum nobis esse videtur, ut exire ad Vos hunc scholarum indicem patiamur sine aliqua nostra admonitione, qua etsi plerosque Vestrum haud indigere putamus, si qui autem indigeant, verendum est, ne nihil magnopere verbis nostris moveantur, deesse tamen nos certe officio nostro noluimus, ne silentio probare videremur, quae probari a viris bonis Vestrique amantibus nullo modo possunt. — Tanta subito in patria nostra rerum conversio facta est, quae non possit non omnium, etiam eorum qui adhuc longe remotam a re publica vitam habuerunt, vehementer animos commovere, ut prorsus nemo nunc sit, quin curis multiplicibus inter spem ac metum, laetitiam ac sollicitudinem varie agitetur. Nam fractis tandem vinculis, quibus per multos annos non corpora, sed, quod gravius est, animos mentesque populi paucorum hominum potentia constringebat, laetantur profecto omnes boni, dum aequam posthac libertatem dignamque libero populo formam rei publicae conditum iri sperant; verum quo quisque est prudentior rerumque humanarum peritior, eo magis intelligit, quantum hoc operis, quamque arduum ac difficile sit, ut concusso repente pristino statu imminutaque multifariam legum vi et magistratuum auctoritate, concitata autem imperitae multitudinis temeritate effrenatoque omnia novandi studio, alius iam ac melior civitatis status, descriptis sapienter legibus dispensatisque pro cuiusque dignitate iuribus, intra breve tempus fundetur atque coalescat. Nihil autem in tali rerum conditione perniciosius bonoque publico magis contrarium est, quam agitari passim consilia de re publica non a bonis solum viris ac prudentibus, quorum animi virtus rerumque gerendarum facultas usu et experimentis probata sit, sed a plurimis quoque hominibus imperitis atque inexpertis,

aut malis etiam atque improbis, quorum alteri, si quam forte optimae rei publicae speciem undecunque arreptam animo suo informaverint, eam continuo etiam sanciri legibus et introduci postulant, ignorantes scilicet bono legum latori non tam id sequendum esse, quod ipsum per se optimum videatur, sed quod hominibus, quod rebus, quod temporibus aptum et conveniens sit, alteri autem, quoniam ex turbis atque seditionibus sese crescere posse sperant, continuari mala rei publicae et augeri eo usque cupiunt, donec ipsi quod volunt assequuti sint. Atque hi sunt fere quorum quotidianae vociferationes per libellos ac schedulas disseminatae et in circulis atque conventibus assidue repetitae aures nostras lacerant: qui, quo maiores sibi factiones concilient, blandiri imperitae multitudini, calumniari bonos, disturbare salubria consilia sinistris interpellationibus, quemcunque obstare cupiditati suae videant, tanquam adversarium publicae libertatis et, quemadmodum ipsi loquuntur, reactionarium criminari non desistunt. Nec sane mirum est, horum artibus atque illecebris etiam adolescentium animos assidue sollicitari, quippe quos propter aetatem exiguamque rerum peritiam maxime sibi opportunos esse sperent. Persuasum autem nobis est, Commilitones, in plerisque Vestrum, qui in hac universitate litteris operam datis, eam esse iudicii maturitatem rectique ac veri intelligentiam, ut virorum proborum vereque Vobis benevolentium consiliis plus quam istorum, qui secus de Vobis sentiunt, ambitiosis blanditiis tribuatis. Nos igitur si audietis, studiose nobiscum in suo quisque litterarum genere perseverabitis, fugietis autem, ut *ἀπραγμοσύνην*, sic illam, ad quam a multis invitamini, *πολυπραγμοσύνην*, utpote pariter utramque profectibus Vestris et spei futuri temporis damnosam. Valete.

Scrib. in universitate Gryphiswaldensi mense Iulio ann. MDCCCXLVIII.

DE INTERPOLATIONIBUS THEOGONIAE II.

De interpolationibus Theogoniae Hesiodeae quum ita disputare 3 constituerimus, ut quae earum indicia atque argumenta esse dicerentur generatim descripta examinaremus, huius examinis unam partem, quae in codicum auctoritate aestimanda versabatur, superiore disputatione ante hos sex menses edita totam absolvimus, eademque opera etiam alterum genus argumentorum attigimus, quum de omisso in Etymologico M. versu 199 quid statuendum videretur exponeremus. Sequitur iam, ut reliqua de hoc genere consideremus: nam sunt praeter illum alii tres versus hac ratione a criticis impugnati, quod eos a veteribus scriptoribus, locos Theogoniae, ubi nunc leguntur, commemorantibus, praetermissos esse dicerent. Horum unus est v. 196 in eadem illa enumeratione Veneris cognomentorum, de qua iam in superiore disputatione dictum est. Versum istum Wolfius quum aliis de causis tum propterea damnavit, quod, quum a multis veterum locus ille laudetur, nusquam tamen p a n n u s i s t e reperitur. Nolo equidem suspecti versus patrocinium suscipere: istius tamen argumenti quam nulla vis sit, omnes iuxta mecum intelligere arbitror. Paullo maior contentio erit de alteris duobus, 118. 119, qui quin subditicii sint plerisque dubitari prorsus non posse videtur propter disertissimum, ut aiunt, silentium Platonis, Aristotelis, Sexti Empirici [1]), qui omnes, quum Hesiodi de

1) Plat. Sympos. p. 178 B: *Γονῆς γὰρ Ἔρωτος οὔτ' εἰσὶν οὔτε λέγονται ὑπ' οὐδενὸς οὔτε ἰδιώτου οὔτε ποιητοῦ, ἀλλ' Ἡσίοδος πρῶτον μὲν χάος φησὶ γενέσθαι, „αὐτὰρ ἔπειτα γαῖ' εὐρύστερνος, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί, ἠδ' Ἔρος". φησὶ μετὰ τὸ χάος δύο τούτω γενέσθαι, γῆν τε καὶ Ἔρωτα.* Arist. Metaph. I c. 4: *Ἡσίοδος δὲ· „πάντων μὲν πρώτιστα χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα Γαῖ' εὐρύστερνος, ἠδ' Ἔρος ὃς πάντεσσι μεταπρέπει ἀθανάτοισιν." ὡς δέον*

principiis rerum sententiam commemorent, hos tantum tres versus ci-
4 tant, qui sunt 116. 117. 120: *ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα Γαῖ' εὐρύστερνος, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ, ἠδ' Ἔρος* —, omissis iis qui nunc verbis *πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ* contexti sunt, *ἀθανάτων, οἳ ἔχουσι κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου Τάρταρά τ' ἠερόεντα μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης.* Atqui vereor equidem magnopere, ne calidius quam cautius iudicare dicendi sint. Videor enim mihi rationem tenere, cur Plato et ceteri, quamvis legerent istos versus, citare tamen in ista de principiis relatione noluerint, quippe quum eos non modo nihil facere viderent ad Hesiodi sententiam declarandam, sed etiam officere vero intellectui posse, si quis forte *Τάρταρα ἠερόεντα* nominativo, non accusativo casu dictum acciperet. Sic enim fore, ut Tartarus quoque pariter cum Chao, Terra, Amore in principiis numerari videretur, quo nihil ab Hesiodi sententia alienius esse intelligebant. Et sunt profecto non pauci in istum errorem inducti, quum veteres, Plutarchus, Cornutus, Pausanias, Damascius aliique quos enumerare nihil attinet [2]), tum recentiores propemodum omnes: nam ex editoribus quidem Theogoniae unum Lennepium scio, qui *Τάρταρα ἠερόεντα* accusativum esse agnosceret, pendentem illum ab *ἔχουσι* in v. 118, ut Terra dicatur sedes firma deorum immortalium, qui in Olympo quique in Tartaro habitent. Ceterum praeivit hanc interpretationem iamdudum Hugo Grotius, quum locum Hesiodi apud Stobaeum I p. 272 in hunc modum convertit: s e d e s a e t e r n a d e o r u m, q u i q u e i u g u m c a l c a n t n i v e u m s u b l i m i s O l y m p i, q u i q u e c o l u n t s u b h u m o t e n e b r o s u m T a r t a r i r e g n u m: mirumque est, neminem ex interpretibus huius memorem fuisse. Admonere autem verae interpretationis etiam scholiastes poterat, ad v. 115 haec adscribens: *Τρία πρῶτον ἐγένετο, Χάος, Γῆ, Ἔρως οὐράνιος, ὃς καὶ Θεός.* Nam eum quidem, cuius haec est annotatio, sive is unus de Byzantinis, sive antiquior grammaticus fuit, istos versus in

ἐν τοῖς οὖσιν ὑπάρχειν τινὰ αἰτίαν, ἥτις κινήσει καὶ συνέξει τὰ πράγματα. Plane geminus locus est in libr. de Xenoph. Zen. Gorg. c. 2. Sext. Empir. adv. Math. IX p. 550 (adv. Phys. I c. 16) *Κατασκευάζοντες γὰρ τὴν τῶν ὅλων γένεσιν ἔρωτα συμπαρέλαβον, τουτέστι τὴν κινητικὴν καὶ συναγωγὸν τῶν ὅλων αἰτίαν· ὁ μὲν Ἡσίοδος λέγων· ἤτοι μὲν πρώτιστα κτλ.* sequuntur tres versus 116. 117. 120.

2) Omnium locos memorarunt Muetzellius de emend. th. Hes. p. 394 et Lennepius in comm. p. 178. Ceterum cf. dissert. de Cupidine cosmog. p. 7 sq. [66.]

suo Theogoniae exemplo non legisse, haud facile quisquam sibi persuadebit: quod quum tamen in principiis Tartarum non numeret, necesse est eum *Τάρταρα* non, ut *Χάος*, *Γαῖα*, *Ἔρος*, pro nominativo, sed, ut *κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου*, pro accusativo habuisse. Denique etiam Ioannem Diaconum verba sic construxisse interpretatio eius ostendit, p. 456 Gaisf.: *λέγεται δ' ἐνταῦθα ἡ γῆ ἕδος ἀσφαλὲς τῶν τε οὐρανίων θεῶν τῶν τε ὑποχθονίων.* Erunt autem fortasse, qui quamvis posse hoc fieri concedant, tamen sententiam sic effici autument non minus improbabilem, quam si quis Tartarum pari cum Chao, Terra, Amore loco, hoc est in principiis rerum, ab Hesiodo habitum esse dicat. Neque enim recte Terram deorum tantummodo sedem appellari, quum cunctarum potius rerum sedes sit, neque Tartarum *μυχῷ χθονός* ab Hesiodo collocari potuisse, quum sit potius extra Terram longeque infra eam depressus. Verum pertinet hoc ad aliud genus argumentorum, de quo in alia parte huius disputationis dicendum erit. Interim hoc quidem videor mihi demonstrasse, qui ex Platonis, Aristotelis, Sexti Empirici silentio versus istos non lectos ab iis esse collegerunt, non satis considerate fecisse. Minus reprehenderem, si lectos quidem fortasse, non tamen pro genuinis habitos dixissent: quemadmodum a Zenone eos lectos, sed improbatos esse in commentatione de scholiis th. Hes. p. 16 ostendere conatus sum.

Iam ut ordine procedat disputatio nostra, ad alterius generis ar- 5
gumenta pergendum est, quae interna vocari solent: quorum primo loco ea ponimus, quae ab orationis habitu et conformatione repetuntur. Nam habet sane in hoc genere Theogonia aliquot offendicula, eaque talia, quae veteri aut poetae aut compositori carminis imputari non possint, sed corruptelae alicuius suspicionem movere debeant, velut quum structura verborum aut perversa aut nulla est: qualia si uno aut altero versu sublato removeri nullo sententiae detrimento possunt, probabili sane coniectura eiusmodi versus supervacaneos et molestos ab interpolatore esse suspiceris. Tres autem in hoc genere locos notavimus, de quibus deinceps dicendum est. Ilorum primus est de Noctis progenie, v. 211 sqq.:

Νὺξ δ' ἔτεκε στυγερόν τε Μόρον καὶ Κῆρα μέλαιναν
Καὶ Θάνατον, τέκε δ' Ὕπνον, ἔτικτε δὲ φῦλον Ὀνείρων,
Οὔτινι κοιμηθεῖσα θεὰ τέκε Νὺξ ἐρεβεννή.

Tertium versum nemo non pessime agglutinatum potius superioribus quam legitima structura nexum esse fatebitur, eaque sine dubio causa

Heynium permovit, ap. Wolf. p. 148, ut manum interpolatricem manifestam esse pronuntiaret. Aliter tamen Hermanno visum est, neque id uno modo. Primum enim in censura editionis Goettlingianae, Opuscc. VI, 1 p. 167, de duabus recensionibus cogitari posse dicit perperam conflatis, quarum altera versum intermedium, de Morte, Somno et Somniis, plane non habuerit, primum autem versum sic scriptum: *Ἡ δ' αὖτε στυγερόν τε Μόρον καὶ Κῆρα μέλαιναν* —, qua coniectura admissa structuram sane nanciscimur legitimam, neque *Θάνατον* sublatum aegre feremus, quum praesertim *Μόρος* remanserit; sed Somno tamen et Somniorum cohorte haud libenter equidem in Theogonia caruerim, etsi fortasse verendum est, ne quis hanc professionem malignius interpretetur. Ipse vero Hermannus in eadem censura, repudiata illa coniectura, veri similius iudicat, ante versum 213, qui nunc male cum superioribus cohaeret, excidisse aut etiam consulto praetermissum esse versum unum cum Furiarum nominibus. Has enim in hac Noctis progenie commemorari necessario debuisse, siquidem mox v. 220—223 munia memorentur Furiarum propria, ad Parcas autem, quibus in hoc, qui nunc est, versuum contextu tribuuntur, nihil pertinentia. Quodsi statuamus Furiarum nomina posita fuisse ante v. 213, hunc autem excepisse versus 220—223, qui nunc alieno loco leguntur, recte se omnia habere. Et tamen rectius etiam aliud viro summo visum est, posteaquam de strophica Theogoniae compositione sibi persuaserat. Nam in dissertatione de Hesiodi Theog. forma antiquissima p. 7. 8. stropham olim hanc fuisse statuit, totius carminis septimam:

123 *Ἐκ Χάεος δ' Ἔρεβός τε μέλαινά τε Νὺξ ἐγένοντο,*
124 *Νυκτὸς δ' αὖτ' Αἰθήρ τε καὶ Ἡμέρη ἐξεγένοντο,*
125 *οὓς τέκε κυσαμένη Ἐρέβει φιλότητι μιγεῖσα.*
214 *Δεύτερον αὖ Μῶμον καὶ Ὀϊζὺν ἀλγινόεσσαν*
213 *οὔτινι κοιμηθεῖσα θεὰ τέκε Νὺξ ἐρεβεννή.*

Octavam deinde stropham composuit e versibus 211. 212. 215. 216 unoque de sua ipsius fabrica cum nominibus trium Hesperidum: nonam e versu 217, nonnihil tamen immutato, cum 218. 219. 223. 224;
6 decimae strophae primum versum neque assumere ex alio Theogoniae loco neque procudere ipsi facile fuit, quamobrem lacunam notavit; alterum ipse composuit ex Furiarum nominibus, tertium, quartum, quintum fecit versus 220. 221. 222. Nolo reliqua persequi, neque his, quae proposui, impugnandis lectores morari. Hoc unum dicam: quod

nonnullis fortasse perplacuerit in ista stropharum descriptione, Noctis progeniem sic uno tenore, non, ut in nostra Theogonia, duobus locis sat longe diiunctis enumerari, hoc ipsum mihi magnopere displicere. Nempe sunt in hac Noctis progenie duo genera prorsus inter se diversa: alterum, quod cosmogonicum dixeris, Aether et Dies, quae recte statim in primordiis mundi nascentis commemorantur; alterum, quod ad vitam moresque pertinet, Mors, Somnus, Somnia, Momus, Parcae, Furiae quaeque praeterea post v. 211 enumerantur, quae non statim inter prima rerum initia, sed postea demum existere potuerunt, generatis iam naturis eiusmodi, ad quas vis eorum pertineret, quales in principio nullae erant. — Sed ut revertar unde exorsus sum, si una in istis versibus structurae offensio esset, hanc quidem facile aliquis removeret transpositione eadem, quam Hermannus quoque adhibuit, ut duo versus loca sua permutare iubeantur:

214 *δεύτερον αὖ Μῶμον καὶ Ὀϊζὺν ἀλγινόεσσαν*
213 *οὔτινι κοιμηθεῖσα θεὰ τέκε Νὺξ ἐρεβεννή.*

Ita certe interpolationis suspicione supersederi poterit. Sunt tamen alia in illo loco, quae scrupulum iniiciant, sed de quibus nunc nihil opus est dici; dixi autem alibi [3]), non quo certi quidquam in tali quaestione aut a me aut ab aliis inveniri posse crederem, sed ut ostenderem tantummodo, quam multae coniectandi viae paterent pariter probabiles.

Alter locus est v. 731, de Tartaro Titanibusque eo deiectis:

ἔνθα θεοὶ Τιτῆνες ὑπὸ ζόφῳ ἠερόεντι
κεκρύφαται βουλῇσι Διὸς νεφεληγερέταο
χώρῳ ἐν εὐρώεντι, πελώρης ἔσχατα γαίης.

Postrema verba non quadrare ad superiorem constructionem nemo, opinor, infitias ibit, nisi cui forte Goettlingius persuaserit, ipsos Titanes *πελώρης ἔσχατα γαίης* dici potuisse, ad illud scilicet exemplum, quo Pelasgos *Ἄργεος ἄκρα* Theocritus dicit, XV, 142, aut Iason filios suos *γῆς Κορινθίας τὰ πρῶτα* fore autumat apud Euripidem Med. 912, cuius generis plura extant apud Matthiaeum gr. §. 438: nam Blomfieldius, ad quem Goettlingius provocat, in glossar. ad Aesch. Pers. v. 1 diversa miscuit. Mihi vero ad illud exemplum *ὑποχθονίων ἔσχατα* fortasse Titanes dici potuisse videntur; at *πελώρης ἔσχατα γαίης* nihil aliud significare posse arbitror, quam orbis terrarum partes extre-

3) In dissert. de nymphis Meliis, Gigantibus et Erinysin, p. 18 [143 sq.].

mas, quemadmodum ante Goettlingium omnibus visum est. Itaque Wolfio iudice **ipsa verborum iunctura falsatricem manum arguit**, dudumque Guietus eadem ratione permotus versum ut **additicium** damnaverat, quod iudicium ceteri ad unum omnes approbarunt, in hoc certe contextu eum ferri non posse rati. Fuerunt autem, qui transponendum censerent, utpote librariorum errore loco suo motum, quem Geelius (ap. Lennep.) post 728, Hermannus (opusc. l. l.
7 p. 185) post 735 aut etiam (diss. de th. form. ant. p. 17) post 814 fuisse suspicantur. Alii contra non transponi sed corrigi versum voluerunt, audaciore emendatione is, qui *πελώρης κεύθεσι γαίης* scripsit, quae scriptura in Parisino quodam codice extat, leniore alter, qui *πελώρης ἐσχατιῇ γῆς* proposuit, sed probabili, ut equidem iudico, neutra. Utut est, hoc saltem apparet, interpolationis indicium in hoc versu certum et indubitatum haud inesse [3b]).

Neque aliter se res habet in versu 852:

ἀσβέστου κελάδοιο καὶ αἰνῆς δηϊότητος,

quem et ipsum cum structura superiorum

τρέσσ᾽ Ἀΐδης, ἐνέροισι καταφθιμένοισιν ἀνάσσων,
Τιτῆνες θ᾽ ὑποταρτάριοι Κρόνον ἀμφὶς ἐόντες,

Hermannus l. l. p. 189 cohaerere negat: non enim habere genitivos unde pendeant. Ceteri tamen, ut videtur, omnes aliter iudicarunt: certe nemo se genitivis istis magnopere offensum esse significavit, ad quos quum Guietus praepositionem *ὑπό*, Lennepius, si non *ἕνεκα*, attamen **aliquid** subaudiri volunt, ostendunt se cum interprete latino facere, qui versus sententiam sic reddidit: **ob inextinguibilem fremitum et gravem conflictum.** Nimirum genitivi isti causales sunt, pendentque a verbo *τρεῖν* non diversa ratione, quam qua plerisque verbis affectuum genitivi iunguntur ad indicandam eam rem, qua animus aut timore aut dolore aut ira aut admiratione afficitur, velut *στένειν, ἀλγεῖν, ἄχθεσθαι, ὀργίζεσθαι, χολοῦσθαι, θαυμάζειν*, quorum exempla collegerunt Matthiaeus gr. §. 368. Monkius ad Eurip. Alcest. v. 5. Poppo ad Thucyd. I, 139 p. 661 et ad I, 77 p. 427. His ego acquiesci posse arbitror, nisi quis forte ullam alicuius verbi structuram credibilem esse neget, quae non gemino plane eiusdem verbi exemplo uno aut etiam pluribus comprobata sit. Itaque in genitivis certe illis

3b) Conf. quae de hoc loco dicta sunt in diss. de extr. mund. part p. 7 (324).

causa non est, cur versum 852 aut cum Hermanno a librariis alieno loco positum, aut ab interpolatore insertum esse dicamus.

Propter insolentiam dictionis interpolatori tributus est etiam versus 486:

Οὐρανίδη μέγ' ἄνακτι, θεῶν προτέρῳ βασιλῆϊ.

Certe Islerus, Quaestt. Hesiod. p. 43, quoniam se nusquam legere *μέγ' ἄναξ* pro *μέγ' ἀνάσσων* meminerit, eiiciendum sibi versum videri pronuntiat, quum praesertim abesse sine sensus detrimento possit. Hoc quidem aliis contra videbitur; insolenter dictum esse *μέγ' ἄνακτι* fatemur: neque tamen solis interpolatoribus, non ipsis etiam poetis, dictionibus paullo insolentioribus uti aut libuisse aut licuisse credimus. Nam illud *μέγ' ἄναξ*, quamvis inusitatum, ratione tamen dictum est sana et proba, siquidem *μέγα* prorsus adverbii instar est, adverbia autem substantivis verbalibus non minus recte, quam ipsis verbis aut participiis iunguntur, siquidem quae in his, eadem etiam in illis est significatio actionis, ad quam ista adverbia pertinent. Hanc ob causam quum *μέγ' ἀνάσσειν* et *μέγ' ἀνάσσων*, itidem ut *μέγα κρατεῖν*, *μέγα κρατῶν*, recte dicatur, potuit etiam *μέγ' ἄναξ* dici, quemadmodum *ἀνὴρ μεγάλως εὐεργέτης* ab Herodoto dicitur VI, 30 et populus late rex a Vergilio Aen. I, 22 [4]).

Porro versus 408 pro spurio habitus est, quum aliis de causis, 8 tum propter adiectivum *ἀγανώτατον* feminino genere usurpatum, quod Goettlingius aegre excusari dicit Homerico *ὀλοώτατος ὀδμή*. Aliter Muetzellius iudicat, p. 65, praeter Homericum illud exemplum alia afferens ex ipsa Theogonia, *ἀταρτηροῖο γενέθλης* v. 610, *ἀρῆς κρυεροῖο* v. 657, *κλυτὸς Ὠκεανίνη* v. 956, quae si cui minus apposita videantur ad istam superlativi formam tuendam, ne superlativorum quidem exempla plane desunt, velut *κατὰ πρώτιστον ὀπωπήν* legitur hymn. Hom. in Cer. v. 157, adeoque apud Thucydidem III, 101 *δυσεμβολώτατος ἡ Λοκρίς*, et V, 71 *τὴν πυκνότητα εὐσκεπαστότατον εἶναι*, quamquam ibi adiectivum generis neutri esse dixeris; ex Dionysio autem Halic. A. R. VI, 1 *τὴν ὕπατον ἀρχήν* memoravit

4) Diversi generis esse, quae a Goettlingio comparantur, *μάψ αὖραι* (v. 872), *ὁ πάνυ Σωκράτης* et *μᾶλλον Ἴωνες* recte Lennepius monuit, quamquam ipse veram rationem non satis perspectam habens. Sed haec accuratius persequi non est huius loci: solent autem, qui de adverbiorum cum substantivis constructione loquuntur, plerique diversa miscere, etiam Bernhardy, ad quem Goettl. nos ablegat, Syntax. p. 338.

Thierschius, Gr. §. 63, 4 not. Ceterum damnandi versus 408 alias etiam et fortasse graviores causas prolatas esse non diffiteor; sed de his, quoniam non ex grammatico, sed ex rhetorico aut historico genere sunt, nunc nondum dico. Supersunt enim de grammatico genere duo offendicula, in eo loco, qui de Pegaso et Chrysaore est, in quo quum v. 283 γέντο pro ἐγένετο, versu 284 autem χὠ pro καὶ ὁ extet, sitque et illa syncopa et haec crasis ab Homeri sermone aliena, Hermannus, Opuscc. VI, 1 p. 170, etiam his formis pro argumento usus est, ut locum illum a recentiore aliquo interpolatore adulteratum diceret. Mihi vero Hesiodei sermonis norma non aliunde quam ex ipso Hesiodo cognosci posse videtur, quem si quis prorsus se ad Homeri exemplum composuisse dicat, refellatur sat multis iisque certissimis aeolicae aut doricae dialecti formis, quibus Homerus ceterique poetae epici abstinuerunt, quales sunt decurtata praepositio περί, in περίαχε Th. v. 678 et περοίχεται v. 733, genitivus pluralis primae declinationis in ᾶν terminatus, ut μελιᾶν O. et D. v. 144. θεᾶν Th. v. 41, correptus eiusdem declinationis accusativus, ut κούρας Th. v. 60, πᾶσας v. 184, Ἅρπυιας v. 267, βουλάς v. 534, εἴρεας v. 804, aliaeque ab Islero Quaestt. Hesiod. p. 6 sqq. et a Goettlingio prolegg. p. XXXII commemoratae. His igitur non dubitamus quin etiam istae duae formae accenseri debeant, siquidem et crasin articuli cum καί coniunctione usitatam Doriensibus fuisse Epicharmi et Theocriti exempla ostendunt[5]), quamobrem usurpatur etiam a Callimacho in hymnis dorice scriptis[6]), et syncopatum γέντο pro ἐγένετο apud Sapphonem, Pindarum aliosque mul-
9 tos legitur[7]). Sed idem ille de Pegaso et Chrysaore locus etiam propter propositam utriusque nominis notationem in suspicionem vocatus est:

5) Vid. Ahrens de dial. dor. p. 221. 441. 443. 445. De χὤτι, χὠπόθεν et simm. ap. Pindarum cf. Boeckh. de metr. Pind. p. 290.

6) Hymn. in Cer. v. 96. — Ibid. χἄτις v. 132 et χὠς v. 121. — χοὔτοις habet etiam Theognis v. 339. 496. et χοἶα v. 514.

7) Vid. Sapph. fr. 9 ap. Schneidewin. delect. p. 298. Pind. Pyth. III, 87 (154), VI, 28, ne de Theocrito dicam. Etiam Theognis aliquoties hanc syncopam usurpavit, v. 202, 436, 661, item Empedocl. v. 207 Karst.; in Theogonia autem praeter v. 283 eadem est v. 199, quamquam hic quidem versus propter aliam causam suspectus est, et v. 705, ubi quod in duobus codicibus extat ἔπλειτο, non magis ad fidem receptae lectionis convellendam facere potest, quam quod v. 283 in aliis γείνεθ' aut γείναθ' aut γένεθ' legitur. — Ceterum Hermannus ipse indicium suum postea mutavit. Nam in dissert. de Theog. form. ant. p. 11 veram et genuinam loci scripturam hanc fuisse statuit: τῷ μὲν ἐπώνυμον ἦν ὅτ' ἄρ' Ὠκεανοῦ

τῷ μὲν ἐπώνυμον ἦν, ὅτ' ἄρ' Ὠκεανοῦ περὶ πηγὰς
γένθ', ὁ δ' ἄορ χρύσειον ἔχεν μετὰ χερσὶ φίλῃσιν.

„Nondum a me impetrare potui", inquit Wolfius, „ut hos Hesiodi versus habeam. Nescio quomodo semper haec etymologia me offendat." Itaque cancellos his duobus versibus circumdedit, quod exemplum Dindorfius sequutus est. At recte iam Goettlingius monuit eiusmodi nominum etymologias ab antiquis poetis non alienas esse: quamquam qui ab eo citantur loci Homerici, Il. IX, 498. 507. XIX, 91, horum nullus huc pertinet. Volebat fortasse Il. IX, 562 ubi Alcyonae, VI, 402. XXII, 506, ubi Astyanactis, Od. XIX, 407, ubi Ulixis nominis veriloquium traditur[7b]). Quemadmodum igitur Homerus, ubi nomina cum casibus heroum congruere viderentur, id notare, originatione nominum indicanda, non neglexit, et apud tragicos quoque poetas hoc genus etymologicum perquam frequens esse nemo ignorat[8]), ita quid mirum, in theogonica poesi, cuius magna pars in nominibus versatur, etiam origines nominum tradi? Illud potius mirum dixeris, quod non multo saepius id fieri videmus. Nam praeter hunc locum unus est ex hoc genere, de Titanibus, quod nomen a verbo *τιταίνειν* derivatur, v. 209:

τοὺς δὲ πατὴρ Τιτῆνας ἐπίκλησιν καλέεσκεν
παῖδας νεικείων μέγας Οὐρανὸς, οὓς τέκεν αὐτός,
φάσκε δὲ τιταίνοντας ἀτασθαλίῃ μέγα ῥέξαι
ἔργον, τοῖο δ' ἔπειτα τίσιν μετόπισθεν ἔσεσθαι.

Sed ne ab hoc quidem suspicax criticorum natio abstinuit: Wolfius certe in causis, cur hos versus damnandos censeat, etiam etymologiam numerat quam nobis ingerunt, eaque Islerum quoque, Quaestt. Hes. p. 43, adeo offendit, ut propter ipsam hunc locum spurium iudicet. Nam quod addidit praeterea de producta contra normam prima syllaba verbi *τιταίνω*, hoc statim ipse rursus elevat, memorato verbo *πιφαύσκω*, cuius item prima syllaba nonnunquam producatur. Quamquam etiam absque hoc exemplo ista productio facile excusari possit, estque eo fortasse libentius a poeta admissa, quod etiam in Titanum

παρὰ πηγὰς γένθ', ὁ δ' ἄορ χρύσειον ἔχων μετὰ χερσὶ φίλῃσιν ἔχετ' ἐς ἀθανάτους, Ζηνὸς δ' ἐν δώμασι ναίει.

7b) Cf. Aeneae nominis veriloquium, hymn. in Ven. v. 199.

8) De his vid. impr. Elmslei. ad Eur. Bacch. v. 508. Pflugk. ad Hel. v. 9. Francken. de antiqu. Aeschyli interpr. p. 50 sqq., et de omni hoc genere Lerschium de vett. grammat. philos. III, 3—17.

nomine prima syllaba producitur. Quae praeter etymologiam a Wolfio huic loco obiiciuntur, diversi generis sunt, neque hoc tempore a nobis refutanda. Etymologia autem illa, quamvis falsa sit, id quod equidem lubens concedo, tamen cur a Theogoniae poeta abiudicetur causa nulla est, eamque vulgo a veteribus probatam esse satis constat[9]).

Pervenimus ad alteram internorum argumentorum partem, quum quae incongrua esse in rebus atque sententiis viderentur, interpolationis suspicionem moverunt. Nempe, ut Hermannus ait, criticorum est distinguere, quae neque aevi eiusdem neque hominis nec disciplinae esse videantur: quamquam quod idem vir summus insuper a critico poscit, ut illis distinctis pristinam formam operum restituere conetur, hoc fieri in aliis quidem operibus posse fatemur, in Theogonia ut possit, magnopere veremur. Ea certe via, quam quum alii, tum ipse Hermannus ingressus est, nondum aliquid, quod probari iure possit, effectum esse videmus. Sed hoc alias: nunc illud tantum dico, positum a plerisque pro certo esse, quod ego omnium incertissimum iudico, fuisse initio Theogoniam Hesiodi sive alius antiqui vatis opus unum, plane consentientem sibique constantem de diis rebusque divinis doctrinam complexum. Sic cur statuatur, praeter nomen Hesiodi obscuramque antiquitatis famam nihil reperio: ipsam autem Theogoniam quum intueor, in hanc potius sententiam adducor, ut non unius poetae opus continuum, sed concinnatum ex variis carminibus ab aliquo existimem, qui quoniam Hesiodea potissimum respexerat, Hesiodum se haberi voluerit, habitusque sit, si non ab omnibus[10]), at certe a plerisque. De huius igitur concinnatoris aetate, doctrina, arte, ingenio non aliunde nisi ex ipso eius opere iudicari poterit, neque si quae sint in rebus atque sententiis, quae minus inter se congruere adeoque pugnare videantur, talia cur interpolatori potius quam ipsi compositori Theogoniae

9) Huc pertinet quod iocolariter et *κατὰ σκῶμμα Τιτᾶνες* dicuntur *οἱ παιδερασταί*. Vid. Eustath. ad Il. p. 849, 53: *τὸ δὲ τιταίνω πρωτότυπόν ἐστι τοῦ Τιτάν Τιτᾶνος, τοῦ τε κατὰ μῦθον λαμβανομένου, καὶ τοῦ κατὰ σκῶμμα.* Cf. Meinek. Hist. crit. com. p. 101. 411. et Nauck. in Aristoph. Byz. fr. p. 165.

10) Boeotis, Ascraei poetae popularibus, nihil praeter Opera et Dies genuinum visum esse Pausanias refert IX, 31, 4: ipsum, aliosque sine dubio non paucos, Theogoniam ab Hesiodo abiudicasse apparet ex VIII, 18, 1: *Ἡσιόδου γὰρ δὴ ἔπη τὴν Θεογονίαν εἰσὶν οἳ νομίζουσι.* Nam ita nemo loquitur de opinione sibi ac maiori parti probata. Cf. IX, 35, 1: *προσιέσθω ὅτῳ φίλον τὴν Θεογονίαν.* et c. 27, 2: *Ἡσίοδον δὲ ἢ τὸν Ἡσιόδῳ Θεογονίαν εἰσποιήσαντα.*

imputanda sint, nec demonstratum adhuc est a quoquam, neque poterit unquam demonstrari. Sed iam de singulis dicendum est. — Ac primum quidem in eo loco, qui est de mundi principiis, quum duos istos versus, 118 et 119, qui a plerisque propter Platonis aliorumque silentium pro subditiciis habiti sunt, hac quidem ratione non satis considerate damnatos esse supra p. 4 demonstraverimus, nunc illud videndum est, numquid gravioris offensae, quod interpolationis suspicionem iure commoveat, in ipsa horum versuum sententia insit. Terra sedes esse dicitur immortalium deorum, qui summum Olympum quique Tartarum habitent in sinu telluris; id autem recte dictum esse negant propterea, quod neque causa idonea exputari possit, cur immortalium tantum sedes terra dicatur, in qua etiam mortales sint, homines ac bestiae, multaeque praeterea res inanimae, neque qui in Tartaro, iidem in sinu telluris sint, siquidem in alia Theogoniae parte Tartarus extra terram et infra eius fundamenta tantundem depressus esse dicatur, quantum superne caelum attollitur. Quin fuit etiam, qui Olympi habitatorum terram sedem dici potuisse negaret[11]). Sed huic quidem responderi non opus est: non meminerat enim Olympum montem esse, altissimum quidem illum, neque tamen extra terram situm, cuius solo insidet[12]). Qui autem immortales solos memorari moleste ferunt, 11
videant, velim, ne omisso versu 118 in aliam difficultatem incidant non certe minorem. Restabit enim sic solum adiectivum πάντων, quo omnia omnino significantur, quaecunque in mundo sunt. Negari autem non potest, multa in mundo esse caelestia corpora, solem, lunam, stellas, quorum licet numina nonnunquam etiam in terra versentur, ipsorum tamen sedes terra dici non potuit. Porro autem, etiamsi verum est, habitare in terra non solum deos immortales, sed homines etiam et bestias et res inanimas, tamen in eo carmine, quod de generatione deorum est, non magnopere mirabimur, hos nunc solos commemorari, ceteris praetermissis, quorum commemoratio necessaria certe non fuit. Satis erat dicere, deorum, quorum origines cognituri sumus, haec, quae post chaos prima extitit, terra sedes est. Horum quod alii in Olympo alii in Tartaro habitare dicuntur, recte sine dubio factum est. Nam priscum genus deorum, qui sub Saturno imperitaverant, ab Iove

11) Th. Kock, de pristina Theogoniae forma. Vratisl. 1842. p. 17.
12) Schol. A. B ad Iliad. XV, 193: συναφὴς τῇ γῇ ὁ Ὄλυμπος ὡς ἂν ὄρος.

in Tartarum detrusos esse, quis ignorat? quos etiam Homerus memorat, Il. XIV, 280:

θεοὺς δ' ὀνόμηνεν ἅπαντας
τοὺς ὑποταρταρίους, οἳ Τιτῆνες καλέονται.

Denique quod Tartarus in terrae sinu, *μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης*, esse dicitur, pugnat sane cum alia parte Theogoniae, ubi Tartarus longe infra terrae radices est[13]), quemadmodum etiam Homerus statuit; sed nihil inde consequitur, nisi has duas partes Theogoniae non ab eodem poeta esse, nec satis diligentem compositorem fuisse, qui illam discrepantiam tollere neglexerit. Et si maxime concedatur, id quod sumi nisi arbitrario non potest, fuisse antiquissimam Theogoniam ab huiusmodi discrepantiis liberam, quid obstat, quo minus posteriorem locum, qui in Titanomachia legitur, non autem hanc primam partem interpolatam esse statuamus, quum praesertim omnem istam Titanomachiam et quae eam excipit locorum inferorum descriptionem interpolationibus non paucis refertam esse in confesso sit. Quodsi quis dicat, illam de Tartari situ sub radicibus terrae opinionem antiquiorem esse hac altera, quae includi terra Tartarum statuit, primum sumit is aliquid, quod demonstrari non potest: nam est illa quidem apud Homerum; sed quis credet, unam et consentientem omnium de huiusmodi rebus opinionem etiam Homerica aetate fuisse? — deinde, ut sit altera opinio recentior, — nihil enim refert, — tamen quo tempore primum extiterit, idque tempus sitne Theogoniae compositione prius an posterius, quis tam ineptus est, ut sibi compertum esse credat? — Hactenus igitur nihil causae esse videmus, cur versus illos duos interpolationem prodere dicamus: restat ut de Zenonis iudicio videamus, qui eos damnasse a vetere scholiasta dicitur. *Ζήνων δὲ ὁ Στωϊκὸς — ἀθετεῖ τοὺς στίχους.* Constat autem verbum hoc *ἀθετεῖν* non solum de iis usurpari, qui locum aliquem tanquam spurium ac subditicium notant, sed etiam de iis, qui aliquid minus recte dictum esse iudicant, quamvis ab ipso auctore dictum esse haudquaquam infitias eant. Zenonis autem et Stoicorum in veteribus poetis interpretandis rationem in universum
12 satis novimus: nempe accommodare omnia suis placitis studebant, ut etiam veterrimi poetae Stoici fuisse viderentur, quo nomine Velleius eos exagitat apud Ciceronem de N. D. I c. 15 extr.; si quid autem ac-

13) Cf. dissert. de extremarum mundi partium descriptione p. 5 [322].

commodari non posset, hoc, si non spurium atque insiticium, falsum certe et reiectaneum esse pronuntiabant. Iam si sumas Zenonem *Τάρταρα* apud Hesiodum pro recto casu accepisse, id quod a posterioribus nonnullis factum esse supra vidimus, non immerito versum 119 propterea damnatum esse credideris, quod praeter Chaos, quam aquosam naturam interpretabatur, praeterque Terram sive solidam naturam ex aqua desidentem, atque Amorem seu vim generatricem, nihil in principiis numerari debuisse statueret[14]. Nam quod a posterioribus quibusdam Tartarum pro a e r e acceptum esse legimus, ex Chao h. e. ex aqua eodem quo terram tempore secreto, quum graviora ac solidiora desiderent, leviora autem et tenuiora sursum tollerentur, talem interpretationem huic loco adhiberi non posse apparet propterea quod Tartarus ab Hesiodo non supra terram, sicut aer, sed sinu eius inclusus esse dicitur, *μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης*, idque Zenonem latere non potuit, quamvis a posterioribus neglectum sit. Verum illud quoque, quod supra posui, quo minus sumatur, duae rationes obstant: primum, quia sic alterius quidem versus (119) damnandi causam Zeno habuisset, in quo Tartarus nominatur, non autem superioris (118): deinde quia scholiastes aliam ei causam fuisse significat: *Ζήνων δὲ ὁ Στωϊκὸς ἐκ τοῦ ὑγροῦ ὑποσταθμὴν τὴν γῆν γεγενῆσθαί φησιν, ὅθεν ἐπαγόμενος ἀθετεῖ τοὺς στίχους.* Breviter haec et obscure dicta sunt[15]; hoc tamen videor mihi intelligere, displicuisse Zenoni quod terra, quam paullatim demum ex humore concretam statuebat, immortalium deorum semper firma sedes diceretur: quippe sempiternam esse naturam divinam, hac terrae conformatione multo priorem, et eorum quoque qui orti essent deorum longe plurimos non in terra sed in caelo sedem habere, quam Stoicorum sententiam fuisse vel ex Balbi expositione theologiae Stoicae apud Ciceronem de natura deorum nemini ignotum est[16].

Paullo infra leguntur hi versus, 126—128:

14) Cf. Schol. Apoll. Rh. I, 498: *καὶ Ζήνων δὲ ὁ Στωϊκὸς τὸ παρ' Ἡσιόδῳ χάος ὕδωρ εἶναί φησιν, οὗ συνιζάνοντος ἰλὺν γίνεσθαι, ἧς πηγνυμένης ἡ γῆ στερεοῦται· τρίτον δὲ ἔρωτα γεγονέναι.*

15) Cf. comment. de scholiis Theog. Hes. p. 16.

16) Krischio (Forschungen ouf dem Gebiete der alten Philosophie, I p. 396) Zeno illos versus propterea damnasse videtur, quod versu 117 terram *πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί* eodem sensu dictam crediderit, quo ipse eam *πάντων ὑποστάθμην* h. e. omnium reliquorum elementorum sedimentum dixit, Diog. L. VII,

Γαῖα δέ τοι πρῶτον μὲν ἐγείνατο ἶσον ἑαυτῇ
Οὐρανὸν ἀστερόενθ', ἵνα μιν περὶ πάντα καλύπτοι,
ὄφρ' εἴη μακάρεσσι θεοῖς ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί.

quorum postremo Wolfius cancellos circumdedit, adscripta hac annotatione: „Admonente Heynio versum uncis notavi. Alienum illum hic esse, qui proxime praecedentem legerit, statim arbitrabitur." Scilicet Wolfio cum Guieto, Clerico ceterisque, qui quidem sententiam exprompserint, praeter Lennepium omnibus visum est, subiectum in hoc versu
13 non aliud nisi *οὐρανός* intelligi posse: quod si ita esset, versum pro spurio habendum esse et orationis pravitas et sententia ipsa suaderent. Nam pugnaret sic cum versu 117, ubi deorum sedes terra esse dicitur, pugnaret cum vetustiorum poetarum opinione communi, qui, si quando *ἐν οὐρανῷ* deos collocant, non tamen sphaeram hanc vel hemisphaerium potius stelliferum, quod peperisse nunc terra ex sese dicitur, sed aethera cogitant caelo propiorem, in quem eminere Olympi cacumina videbantur[17]). Sed orationem quoque male constructam esse, si utrumque membrum, *ἵνα καλύπτοι* et *ὄφρ' εἴη ἕδος*, ad eundem *οὐρανόν* pertineret, nemo non intelliget. Nam componi sic sine copula haec duo tum demum potuerunt, si alterum, ut sedes deorum caelum fieret, consectarium esset ex eo, quod circumdatur caelo terra. Nunc autem, quum haudquaquam alterum ex altero consequatur, copula haec duo membra coniungi oportebat, id quod etiam latinus interpres se sensisse ostendit, quum copulam in convertendo loco addiderit: — „ut ipsam totam obtegeret, utque esset beatis diis sedes tuta semper": senseruntque fortassis etiam veteres quidam critici, qui *ἠδ' εἴη* pro *ὄφρ' εἴη* scripsisse videntur[18]). Quod

137, (*aeris et aquae faecem*, Macrob. in Somn. Scip. I, 19, 12). Hoc ego minus credibile arbitror: *ἕδος* enim pro *ὑποστάθμη* accipi vix potuit.

17) Schol. A ad Il. I, 497: *μέγαν οὐρανὸν Οὔλυμπόν τε: ὅτι οὕτως εἴρηκεν οὐχ ὡς τοῦ Ὀλύμπου ἐπ' οὐρανοῦ ὄντος, ἀλλ' ἐπεὶ καὶ αἱ κορυφαὶ τοῦ ὄρους ὑπὲρ τὰ νέφη εἰσίν· ὁ δὲ ὑπὲρ τὰ νέφη τόπος οὐρανὸς καλεῖται ὁμωνύμως τῷ στερεμνίῳ.* Cf. schol. ad Il, 458. III, 3. VIII, 46 et 68. XIV, 288. — Ceterum verissima etiam haec est schol. A. B ad I, 497 observatio: *ἰστέον δὲ ὅτι ἐν τῷ ἄκρῳ τοῦ Ὀλύμπου ἐστὶν ὁμώνυμος πόλις Ὄλυμπος.* Agnoscimus enim urbem deorum in Olympo cum moenibus portisque ap. Hom. Il. V, 749. 50. VIII, 411, eodemque pertinet, quod in Theog. v. 37 et 408 legitur, *ἐντὸς Ὀλύμπου*, h. e. in Olympica urbe deorum: neque debebat propterea Goettlingius istos versus pro spuriis habere, quasi pugnantes cum Hesiodei aevi opinionibus.

18) Hoc coniici potest e Cornut. d. N. D. p. 87 Os. Nam quod ibi scriptum

autem apud Stobaeum, tom. I p. 284 Heer., seriptum est ὅς ῥ' εἴη, non meliorem vulgata strueturam habet, videturque tantum errori describentis imputandum: quod vero nuper aliquis reponi voluit, ὅς τ' εἴη[19]), ne ferri quidem potest. — Quid igitur faciemus hoc versu? Nihil, opinor, nisi omissa falsa interpretatione eam tenebimus, quam quum verba admittunt tum res flagitat, ut pro subiecto enuntiationis non caelum sed terram habeamus: sic enim recte hoc membrum superiori sine copula iungitur, quoniam inde pendet eiusque consectarium est. Terra semet caelo, tanquam tecto, circumdedit, quo ipsa sedes deorum firma ac tuta foret ad instar domus tecto munitae[20]).

Qui sequuntur versus 129. 130: 14

γείνατο δ' οὔρεα μακρὰ, θεῶν χαρίεντας ἐναύλους,
Νυμφέων αἳ ναίουσιν ἀν' οὔρεα βησσήεντα,

horum alterum Goettlingius a recentiore quodam additum esse credit, qui θεῶν illud explicare conaretur ex Hom. Il. XXIV, 615. 16, ubi de montibus apud Sipylum, ὅθι φασὶ θεάων ἔμμεναι εὐνάς, additur statim Νυμφάων, αἵτ' ἀμφ' Ἀχελώϊον ἐῤῥώσαντο. Argumentatur autem hoc modo. „Quid", ait, „illa sibi volunt addita: αἳ ναίουσιν ἀν' οὔρεα βησσήεντα post verba θεῶν χαρίεντας ἐναύλους? In montibus (nisi omnino praestat Olympum intelligere) templa erant deorum constituta; hoc significant illa θεῶν χαρίεντας ἐναύλους." His recte Hermannus opposuit, versum, etiamsi non utique necessarium, non tamen inepte additum dici debuisse: neque quidquam offensionis esse in verbis αἳ ναίουσιν ἀν' οὔρεα βησσήεντα, quippe quae nihil nisi circumloquutionem habeant Ὀρειάδων. Vellem Goettlingius audivisset prudenter monentem; nunc enim quod tamen serius additamentum sibi versum illum videri dicit propterea, quod satis in-

est ἡ δ' εἴη, lectum a Cornuto non esse ex ipsius interpretatione apparet, quum subiectum in hoc versu οὐρανόν esse statuat. Videtur igitur ἠδ' εἴη legisse. — Ceterum illa altera scriptura ἡ δ' εἴη per se ipsa non inepta est: significat enim i. q. αὐτὴ δ' εἴη. Cf. v. 491.

19) Th. Kock l. c. p. 21.

20) Cf. comment. de scholiis Theog. Hes. p. 23. Comparari cum Hesiodeo loco potest Hom. Il. II, 580, κυδιόων ὅτι πᾶσι μετέπρεπεν ἡρώεσσιν, οὕνεκ' ἄριστος ἔην πολὺ δὲ πλείστους ἄγε λαούς. Nam ut in illo duas finales, ita in hoc duas causales enuntiationes habemus, alteram, quoniam alterius causam affert, huic per solam causalem coniunctionem sine copula connexam, quae addenda fuisset, si utraque pariter ad unum κυδιόων pertineret.

commode repetatur *οὔρεα* in utroque versu, hoc satius erat taceri. Nisi forte quis in Theogonia ferri posse neget, quae apud Homerum aliosque poetas longe cultiores, quoniam tolli corrigendo non possunt, ferenda patienter esse omnes consentiunt, veluti apud Euripidem, qui eiusmodi repetitiones longe plurimas et satis nonnunquam molestas usurpavit[21]). Quod autem de templis deorum dicit in montibus constitutis: etiamsi verum est fuisse passim templa in montibus, vix tamen tanta horum frequentia fuit, ut propterea montes sic universe *θεῶν χαρίεντες ἔναυλοι* dici potuerint. Sed unum erat genus numinum in omnibus omnino montibus montiumque convallibus habitans, Nymphae, quae aut Oreades aut Naiades aut Dryades aut Napaeae vocabantur. Recte igitur cautum est a poeta versu 130 addito, ne quis *θεῶν* illud versu 129 de omnibus in universum diis accipiendum esse crederet.

Etiam de his duobus versibus, 137. 138:

τοὺς δὲ μέθ' ὁπλότατος γένετο Κρόνος ἀγκυλομήτης,
δεινότατος παίδων, θαλερὸν δ' ἤχθηρε τοκῆα,

alterum plerique suppositicium nulloque modo ferendum esse pronuntiarunt, Ruhnkenius, Heynius, Wolfius, alii, usque ad eum, qui tirocinium in Theogonia posuit, Theodorum Kockium: quorum qui iudicii sui rationes exposuerunt, alii *θαλερὸν* epitheton Caelo tributum prorsus ineptum esse arbitrati sunt, aliis totum hoc additamentum de odio Saturni erga patrem inutile et supervacaneum visum est, nulla praesertim causa odii commemorata. Nimirum postulant hi a Theogoniae compositore id, quod eum praestare noluisse omnis carminis tenor manifestum facit. Ubique enim quid fuerit factumve sit breviter indicat, causas autem, cur quidque factum sit, enarrare et explicare non fere solet, praeterquam in iis partibus carminis, ubi, enumerata aliqua serie generationum, subsistit quasi paulisper et longiorem quandam rerum gestarum narrationem intertexit: quamquam sunt etiam in his, ubi causarum expositionem desideres. Hoc autem loco, enumerans breviter Caeli et Terrae subolem, odium Saturni contra patrem verbo et quasi praeteriens significat propterea, quod mox narraturus est,

21) Exempla ex qualibet fabula citari, si opus sit, possint, acciditque non semel, ut quae aliis magnopere displicerent, ab aliis tanquam „lusus elegantes" laudarentur, velut in Phoen. v. 700, ubi cf. Geelii annotatio. Vid. et Linwood. ad Aesch. Eum. v. 132. Blomfield. ad VII ctr. Theb. v. 586. Elmslei. ad Soph. Oed. Col. v. 280.

quum Terra filios suos contra patrem instigaret, ceteris cunctantibus Saturnum statim paratum fuisse ad facinus perpetrandum. Neque minus breviter causam odii significat ipso illo epitheto, quod multos offendit. Scilicet propter id ipsum invisus Saturno Caelus erat, quod *θαλερὸς* erat *τοκεύς*, hoc est quod eximio vigore ad generandum pollebat. Quodsi quis rursus hoc ipsum explicari debuisse dicat, cur eam rem Saturnus aegre tulerit, apparet hoc quidem fieri a poeta non potuisse nisi longiore quadam expositione, quam hic locus non caperet. Ac ne in ea quidem parte, ubi Saturni facinus narratur, causam exponi videmus, cur illo potissimum modo erga patrem grassatus sit: verum posteaquam cognovimus, exosum Saturno Caelum fuisse ut *θαλερὸν τοκῆα*, intelligere etiam possumus, cur ab eo castratus sit, scilicet ne generare amplius posset. Illud autem si praetermisisset poeta, ne suspicari quidem causam castrationis possemus. Tantum igitur abest, ut inutilis ac supervacaneus sit versus 138, ut eo detracto longe deterior evadat narratio, rerumque et causarum connexio multo etiam minus, quam nunc fit, perspici queat. Ceterum quae omni huic fabulae subsit ratio physica, non difficile est ad intelligendum, disputavimusque nos ipsi olim hac de re[22]): quae nunc repetere nihil attinet. Hoc autem loco facere non possumus, quin meritas Goettlingio et Lennepio laudes tribuamus, quod soli omnium contra tot adversarios versum illum tuiti sunt.

Versus illos, 207—210, quibus Titanum nomen filiis ab irato patre impositum esse narratur, a criticis non solum propter etymologiam nominis, quae ipsis inepta videretur, sed etiam propter alias quasdam causas damnatos esse supra memoravimus, de quibus nunc dicendum est. Wolfio igitur „locus ipse, quem sortiti sunt hi versus, ubi Veneris natalibus deliniti Titanum paene obliti sumus, dubitationem iniicit. Tum“, inquit, „unus tantum eorum, Cronus, impietatis erga patrem reus agi poterat, non ceteri item filii supra memorati v. 133 sq., qui tantum abest ut et ipsi sceleris conscii fuerint, ut maximo horrore animi orationem matris exceperint v. 167.“ Assentitur huic plane Kockius p. 33, addens insuper aliam criminationem. „Quid enim“, quaerit, „omnes Caeli et Terrae liberos Titanum nomine insigniri quis unquam fando audivit? Cyclopesne Centimanique et Erinyes et Gigantes et Meliae, cuncti sunt Titanes?“ Atqui de Erinysin quidem et Gi-

22) In dissertatione de Titanibus Hesiodeis p. 10 [100].

gantibus nymphisque Meliis tacere hunc accusatorem oportuit, siquidem hi nati sunt post facinus a Saturno commissum, quamobrem nemo eos comprehendi nomine propter hoc facinus indito suspicari poterat. De ceteris autem, quos Caelus ex Terra genuerat, sane non satis diserte expositum est, quinam eorum a patre terrae visceribus inclusi, quinam autem ad vindictam a matre excitati sint: ut non immerito hanc ab causam reprehendi Theogoniae compositor possit, quemadmodum ipse
16 monui in dissertatione de Titanibus p. 6. 7. 8. Neque tamen, si superior narratio non satis plana et perspicua fuit, inde consequitur hunc, de quo nunc agitur, locum alienum esse. Et defenderunt eum Goettlingius, Muetzellius, Lennepius, recte monentes, etiamsi perpetratum ab uno Saturno facinus sit, fratres tamen sine dubio conscios fuisse, id quod temere Wolfius negavit, et complices propterea culpae a Caelo habitos esse. Qui autem rem omnem accuratius perpenderit, abesse hos versus a Theogonia plane non posse intelliget. Primum enim manca prorsus et imperfecta foret narratio, nisi post commemoratum filiorum erga patrem facinus etiam adderetur, quid contra pater fecisset, et quo modo illud tulisset aut ultus esset. Deinde necessaria fuit Titanum nominis commemoratio propterea, quod hi postea inducendi erant cum Iove pugnantes, v. 392. 424. 630 sqq., neque sciri ab auditoribus potuisset, quinam significarentur hoc nomine, nisi id ante edocti essent. Neque vero aptior huic rei locus in Theogonia ullus fuit, nisi hic ipse, ubi, postquam de castrato Caelo deque iis, qui ex eius sanguine orti sunt, expositum est, ante quam ad aliam narrationem pergitur, etiam quid Caelus egerit utque filiis maledicens nomen propter impietatem imposuerit, recte et convenienter commemoratur.

Sed dicendum aliquid est etiam de proximis ante hunc locum versibus 201—206, quos et ipsos in suspicionem vocatos ab uno certe Kockio videmus. Leguntur ibi de Venere recens nata haecce:

Τῇ δ' Ἔρος ὡμάρτησε, καὶ Ἵμερος ἕσπετο καλὸς
γεινομένῃ ταπρῶτα θεῶν τ' ἐς φῦλον ἰούσῃ.
ταύτην δ' ἐξ ἀρχῆς τιμὴν ἔχει ἠδὲ λέλογχε
μοῖραν ἐν ἀνθρώποισι καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσι,
παρθενίους τ' ὀάρους μειδήματά τ' ἐξαπάτας τε
τέρψιν τε γλυκερὴν φιλότητά τε μειλιχίην τε.

Spuria haec ille censet his de causis: primum Amorem eum, quem Veneri comitem posteriores poetae addiderint, plane diversum esse ab Hesiodeo, qui quidem dudum ante Venerem fuisse in ipsis rerum

omnium principiis dicatur: duos autem Amores eiusdem nominis sed diversae significationis ab Hesiodo inductos esse parum verisimile videri, quum praesertim ne verbo quidem de eorum diversitate admoneamur. Neque illud intelligi posse, quomodo Venus in deorum concilium meavisse dicatur, quoniam de antiquiorum deorum coetibus et consessibus is tantum cogitare potuerit, qui quid illi significarent, iam ignoraret. Denique molestissimam esse loquutionum et vocabulorum cumulationem, quae ab Hesiodea et cogitandi et loquendi simplicitate tantopere abhorreat, ut vel propter hanc unam causam totus hic locus eiiciendus sit. — Hoc quidem postremum genus argumentorum accuratius excutere piget. Utantur eo, si volent, homines aesthetici, aut si qui sunt, qui sese de auctore Theogoniao eiusque ingenio et arte plus quam nos compertum habere autument. Quod autem Venerem *θεῶν ἐς φῦλον* euntem ferre non potest, sane demiror. Titanum, *προτέρων θεῶν*, quemadmodum v. 424 dicuntur, quamvis obscura memoria sit, hoc tamen ex ipsa Theogonia cognoscitur, habuisse eos ante Iovem mundi imperium, idque ordinatum fuisse suis cuique mu- 17
neribus attributis, v. 392 sqq. et 425, quemadmodum postea iunioribus diis sub Iovis imperio. In illorum autem, qui tunc erant, deorum coetum quidni Venerem recens natam se contulisse poeta diceret, sive norat physicam Titanum significationem sive ignorabat? Postremo, quod ad Amorem attinet, non perspicio cur adeo incredibile sit, eum ipsum, qui deorum omnium antiquissimus fuit, nunc Veneri socium fieri. Nam cosmogonico suo munere olim perfunctus erat: exortis autem iis naturis, quae adhuc a poeta enumeratae sunt, novum etiam numen Veneris exstitit, quae, quod ille olim in copulandis rudioribus elementis rerum effecerat, ipsa posthac in his quae ex illis prodierunt naturis efficeret, ut copularet eas et ad generandum impelleret, cui iam Amorem propter hanc muneris similitudinem socium adiungi perquam consentaneum fuit, nisi forte quis hunc feriatum torpere aut emortuum esse malit. Nonne etiam Phaedro apud Platonem [23]) hic ipse Amor, qui nunc animantibus imperitat, idem esse videtur, quo olim vim suam exercente omnis haec rerum universitas orta est? de quo quae in ipsa Theogonia v. 120—122 leguntur, ubi *λυσιμελὴς* vocatur deorumque et hominum domitor, non aliter Theogoniae auctori quam Phaedro Platonico visum esse demonstrant. Kockius igitur, qui p. 18

23) Symp. p. 178 B.

illos versus contra Gruppii suspiciones defendit, quum hos alteros impugnat, pugnare secum ipse dicendus est.

Sequitur locus de Noctis progenie, in qua Parcae quoque et Poenae numerantur his versibus, 217—222:

καὶ Μοίρας καὶ Κῆρας ἐγείνατο νηλεοποίνους
Κλωθώ τε Λάχεσίν τε καὶ Ἄτροπον, αἵτε βροτοῖσι
γεινομένοισι διδοῦσιν ἔχειν ἀγαθόν τε κακόν τε,
αἵ τ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε παραιβασίας ἐφέπουσιν,
οὐδέ ποτε λήγουσι θεαὶ δεινοῖο χόλοιο[24]*),*
πρίν γ' ἀπὸ τῷ δώωσι κακὴν ὄπιν ὅστις ἁμάρτῃ.

Interpolationis suspicionem hic locus plerisque movit, non solum quod Parcas alio loco, v. 904—906, Iovis et Themidis filias dici viderent, sed etiam quod *Κῆρας* plurali numero inductas mirarentur, quum paullo ante una *Κὴρ* (v. 211) cum *Μόρῳ* nominata sit. Nam quod porro Wolfius culpat, munus scelerum puniendorum Parcis tributum: recte monuit Goettlingius, verba haec v. 220: *αἵτ' ἀνδρῶν — παραιβασίας ἐφέπουσι* et quae sequuntur, non ad Parcas sed ad *Κῆρας* potius pertinere uno cum illis versiculo memoratas, debebatque id etiam scriptura significari, dirempta copula *τε* a pronomine relativo; nam coniunctim si scribitur *αἵτ'*, copula nulla est, neque poterit pronomen ad alias quam ad easdem referri, ad quas etiam superius v. 218 *αἵτε* referendum est, ad Parcas. Quamquam vel sic non immerito rem minus quam par erat plane ac diserte declaratam crimineris. Neque tamen interpolatori hoc, sed ipsi compositori Theogoniae imputandum
18 censeo, qui quam rationem in hac parte carminis concinnanda sequutus esse videatur, alibi a me expositum est, quae hoc loco repetere nolo[25]). Hoc unum dicam, *Κῆρας*, plurali numero, post unam *Κῆρα* supra memoratam, non nimis offendere debere: nam haec quidem dea est mortis ferro vel alia vi aut morbis illatae, illae autem ultrices sunt scelerum, nec diversae a Furiis. De Parcis denique si quaeritur, utro loco tollendae videantur, equidem non intelligo, cur alter ille v. 904 sqq. ab interpolationis suspicione tutior quam hic noster sit.

---

24) Sic scribendum iudicamus cum Hermanno, Opusc. VI, 1 p. 167, pro vulg. *ἐφέπουσαι οὐδέποτε.*

25) In dissert. de nymphis Meliis etc. p. 16 sqq. [141 sqq.]

Numerantur porro v. 224 in Noctis progenie Ἀπάτη καὶ Φιλότης, quas a ceterorum societate tam alienas esse Ruhnkenius, Heynius, Wolfius aliique plurimi censuerunt, ut de interpolatione huius loci dubitari plane non posset. Et sane amorem blandasque amantium fraudes — has enim intelligi consentaneum videtur[26] — sic inter medias res molestas ac detestabiles memorari quis non miretur, etiamsi Noctem illis quoque matrem datam haud aegre ferat? Non obloquar equidem; nisi geminam plane rerum diversarum compositionem apud Ciceronem iuvenio, de N. D. III, 17: „Amor, Dolor, Metus, Labor, Invidentia, Fatum, Senectus, Mors, Tenebrae, Miseria, Querela, Gratia, Fraus, Pertinacia, Parcae, Hesperides, Somnia, quos omnes Erebo et Nocte natos ferunt." neque causam video, cur, quae Cicero sic componere non dubitavit, a compositore Theogoniae componi potuisse negem.

Fuit etiam qui versus 241. 242 spurios esse censeret. Quod enim in his versibus Nereides ex una Doride, Oceani filia, natae esse dicuntur, pugnare videbatur cum versu superiore, ubi eaedem vocantur μεγήρατα τέκνα θεάων, quasi non unius Doridis, sed plurium dearum filiae. Verum eadem ratione etiam versus 365. 366 damnandi erunt: nam in his Oceanides pariter θεάων ἀγλαὰ τέκνα dicuntur, licet paucis ante versibus, 362, itemque 337, una tantum Tethys mater earum esse perhibeatur. Atque ut hoc quidem loco versibus illis 365. 366 careri non nimis aegre possit, istos certe de Doride commode abesse non posse iudicamus, siquidem ita mater Nereidum plane nulla nominaretur, id quod absonum et contra constantem Theogoniae morem esse apparet. Assentimur itaque potius Muetzellio, p. 439, non temere hos versus propter insolentiam quandam dictionis attentandos esse monenti: ipsam vero dictionem τέκνα θεάων statuimus cum Goettlingio obscurata propria vi generaliorem significationem induisse, ut nihil nisi prolem divino partu editam indicare videretur.

In loco de Pegaso et Chrysaore, verss. 282—286, praeter grammaticas offensiones, de quibus supra, p. 8, diximus, sunt etiam alia ex hoc quod nunc tractamus genere, quae suspicionem criticis iniecerunt. Nam quod Pegasus ad Iovis sedem volasse dicitur προλιπὼν χθόνα μητέρα μήλων, offendit Goettlingium non modo cognomentum

26) Cf. comment. de schol. Theog. p. 9.

terrae in hoc quidem contextu inepte, ut ait, appositum, sed etiam ipse Pegasus alatus, qualem ab antiquioribus poetis creditum esse negat.
19 Atqui Pindaro saltem alatum illum visum esse recte vir doctissimus contra Vossium contendit, in annot. ad v. 6; cur autem non etiam ante Pindarum Hesiodus eandem opinionem aut accepisse aut primus ipse commentus esse credatur, equidem me nullam causam perspicere fateor. Quamquam, si cui hoc minus probabile videtur, quid obstat quominus in Theogonia illud *ἀποπτάμενος* improprie dictum statuatur, non de volatu per aerem, sed de cursu celerrimo et volucri, qualis esse etiam sine alis potuit? Ad *μητέρα μήλων* autem quod attinet: apud Homerum sane certas tantum terras sic vocari videmus, pecorum multitudine insignes, ut Itonem ac Phthiam in Thessalia, Pylum, Thraciam, Iliad. II, 696. IX, 475. XI, 222 [26b]). Od. XV, 226, suntque *μῆλα* apud illum minora tantum pecora, oves et caprae: in Hesiodeorum autem carminum reliquiis cognomenti illius aliud exemplum haud comparet; verum quum constet testatumque sit, *μῆλα* a quibusdam omne genus quadrupedum, non tantum pecora dicta esse [27]), quidni sic etiam Theogoniae poetam id vocabulum usurpasse credamus, nostrumque locum in hunc modum interpretemur, ut Pegasus equus relicta terra, ceterorum quadrupedum matre, ad Iovis domum Olympicaque stabula abiisse dicatur? Hoc certe non ineptum erit. Quamquam etiamsi quis hanc interpretationem sibi probari neget ineptumque cognomentum esse pertendat, ne sic quidem spurium locum et ab compositore Theogoniae abiudicandum esse concesserim. Etenim omne hoc genus argumentorum, quod ab inepte dictis sumitur, in hoc quidem carmine perquam mihi fallax et lubricum esse videtur, quo qui abutuntur, persuadere fortasse, in tanta iudiciorum atque opinionum varietate, suam sententiam uni atque alteri, demonstrare autem et dissentientes convincere vix unquam poterunt. Sunt autem non pauci in Theogonia

---

26b) Ibi Zenodotus legebat *μητέρα θηρῶν*, quemadmodum Ida vocatur Il. XIV, 283. XV, 151. — Arcadiam *μητέρα μήλων* dicit hymn. Hom. in Pan. XIX, 30.

27) Hesychius: *μῆλα· κοινῶς μὲν πάντα τὰ τετράποδα — κατ' ἐπικράτειαν δὲ τὰ πρόβατα καὶ αἶγες.* Phrynich. Bekk p. 17, 8: *μῆλα ἅπαντα τὰ τετράποδα καλοῦσιν οἱ ἀρχαῖοι.* Eustath. ad Od. p. 1649: *Σοφοκλῆς γοῦν, φασί, τὸν Ἀχιλλέα τραφῆναι εἰπὼν ἐν τῷ Πηλέῳ πᾶν μῆλον θηρῶντα, δόξαι ἂν τὰ θηρία πάντα μῆλα καλεῖν.* Fluxerunt haec ex Aristophane Byz. Vid. Nauck. A. B. fragm. p. 197 sqq.

loci hoc uno argumentorum genere impugnati, quum quid aut frigere aut languere aut otiosum et supervacaneum aut ineptum aut a consilio ac descriptione totius operis abhorrens esse culparetur: de quibus quid nobis recte, quid secus dictum videatur, alio fortasse tempore persequemur.

Scrib. Gryphiswaldiae Idibus Martiis MDCCCXLIX.

DE THEOGONIA IN SACRIS NON ADHIBITA.

3 Quum ante hoc biennium de falsis quibusdsm indiciis lacunarum
theogoniae Hesiodeae disputaremus, summa disputationis nostrae huc
rediit, ut non quidem diffiteremur multis modis theogoniam corruptam
esse, et lacunas quoque agnosceremus non paucas, si quis lacunas esse
diceret in locis eiusmodi, quibus aut ad perficiendam rerum enarratio-
nem aut ad partes apte inter se connectendas aliquid deesse videretur;
sed omne hoc genus lacunarum non iam ab initio in hoc carmine
fuisse, et pleniorem olim magisque integram theogoniam lectam fuisse,
quam hodie legeretur, id ullo idoneo argumento probari posse negavi-
mus. Huic nostro iudicio nihil, quod quidem alicuius ponderis sit,
opponi posse etiam nunc plane nobis persuasum est. Obloquatur for-
tasse aliquis, aliter se sentire affirmet, argumenta nostra fastidiat,
aspernetur, dissimulet: sed infringere vim eorum certisque rationibus
confutare nunquam, opinor, poterit[1]). De interpolationibus autem in
eadem dissertatione tantum concessimus, esse aliquot theogoniae par-
4 tes alienis additamentis deformatas: sed qui in his detegendis ita ver-
sarentur, ut pro certo statuerent, fuisse theogoniam aut ipsius Hesiodi

---

1) Hermaunus, diss. de theog. form. antiqu. p. 13, vix dubitari posse ait, quin perieriot duo versus post v. 500, quibus in Tartarum detrusus atque in vioeula cooiectus diceretur Saturnus. Nam haec Platonem aliosque veteres apud Hesiodum legisse post Wolfium ostendisse Mützellium p. 478. Equidem mibi demonstrasse videbar, Mützellium hoc oequaquam ostendisse: oeque falsam opiniooem propterea veriorem fieri arbitror, quod Hermaooum adstipulatorem habet. Goettlingius quidem, vir veri amantissimus, quum olim io simili atque Wolfius et Mützellius seotentia fuisset, mutavit postea iudicium. Vid. eius praef. ed. sec. p. XLII.

aut alicuius vetusti poetae eius fere aetatis, qua Hesiodus vixisse creditur, opus unum atque continuum, ac deinde aut ex inaequalitate orationis atque tractationis, aut ex iuncturarum atque commissurarum asperitate, aut etiam ex fabularum diversitate interpolationum indicia repeterent, hos aestheticis quidem hominibus placere posse, in criticis locum obtinere non posse. Nam talem olim fuisse theogoniam pro certo eos sumere credique postulare nullam aliam ob causam, quam quia Hesiodo, poetae antiquissimo, et quem compilatorem tantummodo alienorum carminum haberi nefas sit, theogoniam a veteribus plerisque — nequaquam tamen ab omnibus[2]) — tributam viderent: sed demonstrari rem, eosque qui aliter statuereut, nec magnis nominibus aut pervagata fama sibi imponi paterentur, certis rationibus convinci posse negavimus. Non putabamus, quum haec scriberemus, futurum esse, ut in eorum, contra quos disputabamus, numero etiam virum summum maximeque inter criticos celebratum conspiceremus. Sed ecce, prodiit mox Godofredi Hermanni dissertatio de Hesiodi theogoniae forma antiquissima, in qua statim ab initio hoc genus artis criticae adhibendum theogoniae commendatur, ut distinctis, quae neque aevi eiusdem neque hominis nec disciplinae esse videantur, pristinam restituere formam conemur. Sumit igitur hic quoque tanquam certum, quod est omnium incertissimum, fuisse olim theogoniam non e variis variorum poetarum, aevo et disciplina disiunctorum, carminibus compositam, sed ab uno poeta antiquo uno tanquam fetu ingenii editam. Et hoc tam infirmo innixus fundamento in restituenda pristina theogoniae forma mirifice prorsus et incredibiliter grassatur. Nam adoptato commento illo Gruppiano de strophica theogoniae compositione, hoc tantum discrimine, ut non ternarias, quemadmodum Gruppius voluit, sed quinarias strophas fuisse statuat, quales ipsi olim Gruppio et Soetberio placuerant, isto restituendae theogoniae negotio ita perfungitur, versibus ubique plurimis non solum eiiciendis, sed

2) Boeotos et theogoniam et quidquid praeter Opera et Dies Hesiodo tribui solebat, ab eo abiudicasse notum est e Pausan. IX, 31, 3. Ipse autem Pausanias theogoniam suppositiciam sibi videri non semel significat, velut IX, 27, 2: *Ἡσίοδον ἢ τὸν Ἡσιόδῳ θεογονίαν εἰσποιήσαντα*. ib. 35, 1: *Ἡσίοδος ἐν θεογονίᾳ (προσιέσθω δὲ ὅτῳ φίλον τὴν θεογονίαν)*. VIII, 18, 1: *Ἡσιόδου γὰρ δὴ ἔπη τὴν θεογονίαν εἰσὶν οἳ νομίζουσι*, quae verba ostendunt sat multos fuisse qui aliter statuerent. Probat Pausaniae iudicium is, quem principem criticorum Wolfius, ipse princeps, dixit, Ruhnkenius praef. ad H. H. in Cer. p. V ed. Lips.

transponendis, diffingendis aut etiam plane novis de sua fabrica addendis, ut mihi quidem aliquoties similis quaedam suspicio subnata sit, ac nonnullis olim in eiusdem viri summi dissertatione de mythologia Graecorum antiquissima, quam fuerunt, qui ab eo ludendi potius causa quam serio scriptam esse crederent, ut experiretur scilicet, quam magna foret sectatorum et admiratorum credulitas, et quousque hi se ludi paterentur.

Qui autem sic ut criticum decet, h. e. sobrie ac prudenter hanc
de interpolationibus theogoniae quaestionem tractare volet, cavebit
ante omnia, ne quid praeiudicii ac vanae opinionis afferat, neve profi-
5 ciscatur ab imaginaria quadam carminis forma, qualem esse aut fuisse
ipse optarit, sed hanc, quae antiquitus tradita est, et a qua diversam olim fuisse demonstrari certe non potest, tamdiu pro vera et genuina sibi habendam esse censebit, donec certis rationibus convincatur. Quumque in omnis operis compositione aestimanda hoc praecipue ad rem pertineat, ut constet, quo id consilio compositum sit quidve scriptor voluerit ac sequutus sit, idem etiam in hac theogonia quaerendum erit, eoque demum patefacto de singulis partibus recte iudicari poterit, aptaene sint totius operis consilio et accommodatae, an ita discordes et absonae, ut tanquam alienae et subditiciae exturbari debeant. Plerique autem, quasi huius, quam habemus, theogoniae consilium ullum probabile inveniri posse desperarent, maluerunt ipsi coniectare, quid in componendo carmine theogonico vetus poeta spectasse quamve rationem sequutus esse posset, eamque coniecturam atque opinionem adhibentes deinde ad examinandam nostram theogoniam, quidquid illi, quod ipsi imaginati erant, consilio operis ac descriptioni parum conveniret, damnare haud verecundati sunt. Quid? quod ne ipsis quidem haec de consilio carminis indeque apta descriptione ratio arbitraria satis plane constitit, sed potius obscuro quodam sensu et quasi instinctu moti, quid verum, aptum, conveniens esset, quamvis leges artis immutabiles et normam quandam iudicii certam et immutabilem crepantes, tamen, si verum dicere volumus, hariolati magis sunt, quam aut perspexerunt ipsi, aut aliis demonstrarunt. Equidem de consilio theogoniae qui certam sententiam proposuerit planeque eloquutus sit, unum e recentioribus novi Goettlingium, virum praestantissimum, mihique inde ab adolescentia carissimum, a cuius sententia quum tamen longe me dissentire profiteor, tanto hoc liberius facio, quanto melius amici mores perspectos habeo scioque eum non id quaerere, ut sua senten-

tia, sed ut veritas vincat, itemque de me hoc ei persuasum esse, non aliam ob causam me contra ipsum disputare, quam quoniam agnosci verum et demonstrari non facile potest, nisi errore sublato.

Statuit igitur vir doctissimus[3]) theogoniam compositam esse hoc consilio, ut admonerentur homines, quibusnam stirpis et cognationis vinculis dii omnes, posteaquam primum eorum genus ex principiis cosmogonicis prodiisset, et inter semet ipsi et cum heroibus continerentur; huiusque consilii causam Hesiodo hanc potissimum fuisse, quod apud populares suos Musarum cultum adeo excrevisse videret, ut vix amplius ceterorum deorum, et quemadmodum Musae cum his coniunctae essent, recordarentur. Mox tamen Hesiodeum hoc breviculum theogonicum etiam a ceteris Graecis acceptum, multaque passim admixta esse a primo carmine aliena. Factam autem theogoniam ab Hesiodo, (receptamque sine dubio ab aliis,) eum in finem esse ait[4]), ut festis diebus deorum recitaretur publice, quemadmodum apud Persas, quum sacra facerent, theogoniam quandam a Magis recitari solitam esse Herodotus I, 132 testetur, et quemadmodum Romani festis diebus carmen Saliare seu axamenta decantari iusserint, quae totam theo- 6
goniam Romanorum a pontificibus receptam continuisse ipse dixerit in histor. reip. Rom. p. 192 sq. Comparandum igitur in hac re Hesiodum esse cum Numa Pompilio, qui primus Saliare carmen composuisse dicitur: cui tamen postea addita esse quaedam pro religione Romanorum paullatim exculta.

Ostendit haec Hesiodi cum Numa, theogoniae cum carmine Saliari Magorumque cantilenis comparatio, sententiam viri doctissimi hanc esse, ut sacerdotalem aliquem usum theogoniae fuisse velit, eamque, si non ab ipsis sacerdotibus, tamen aut horum, aut si quis praeter hos sacrorum festorumque procurationem haberet, instituto publice recitari solitam: quam ob causam etiam sanctimoniam carmini tribuit, praef. ad Hesiod. p. XLIII extr. Nobis neque tali comparatione cum rebus parum cognitis quidquam profici, neque vero res ipsa, quam hac comparatione approbare conatus est, ullo modo probari posse videtur. Saliare carmen theogoniam Romanorum continuisse ait. Quis igitur huius rei testis? Amandamur ad viri doctissimi historiam rei publ. Rom. p. 192 sq. Atqui nihil ibi praeter ipsius coniecturam invenimus,

3) In censura libri Gruppiani, Ephem. litt. Jenens. ann. 1842 p. 54.

4) In praefat. Hesiod. ed II p. XLI sq.

eamque admodum incertam et rationibus fultam parum idoneis. Scilicet quale argumentum Saliarium carminum fuerit, aliquo modo e Vergilii loco colligi posse, Aen. VIII, 285 sqq., ubi in descriptione sacrorum ab Euandro Herculi aliisque diis factorum haec leguntur:

Tum Salii ad cantus incensa altaria circum
Populeis adsunt evincti tempora ramis,
Hic iuvenum chorus, ille senum, qui carmine laudes
Herculeas et facta ferunt: ut prima novercae
Monstra manu geminosque premens eliserit anguis;
Ut bello egregias idem disiecerit urbis,
Troiamque Oechaliamque; ut duros mille labores
Rege sub Eurystheo, fatis Iunonis iniquae,
Pertulerit. Tu nubigenas, invicte, bimembris,
Hylaeumque Pholumque, manu, tu Cresia mactas
Prodigia, et vastum Nemea sub rupe leonem.
Te Stygii tremuere lacus, te ianitor Orci,
Ossa super recubans antro semiesa cruento;
Nec te ullae facies, non terruit ipse Typhoeus,
Arduus arma tenens; non te rationis egentem
Lernaeus turba capitum circumstetit anguis.
Salve, vera Iovis proles, decus addite divis,
Et nos et tua dexter adi pede sacra secundo.
Talia carminibus celebrant: super omnia Caci
Speluncam adiiciunt, spirantemque ignibus ipsum.
Consonat omne nemus strepitu, collesque resultant.

7 Fuit, qui Salios omnino memoratos hoc loco nollet, rescriberetque v. 285 **Tunc alii**[5]): quod ut temere factum esse lubens concedo, ita hoc saltem apparere arbitror, primum, si de Saliorum carminibus aliquid ex his versibus disci potest, hoc non ad Romanos Salios, qui Martis, sed ad Tiburtinos potius, qui Herculis erant, pertinere; deinde in his omnibus, quae Vergilius a Saliis cantari facit, prorsus nihil esse cum theogonico aliquo carmine similitudinis, sed laudes tantum et fortia facta unius dei celebrari plane ad instar hymnorum, quibus iam Heynius haec recte comparavit. — Neque magis de argumento carminis Saliaris quidquam disci potest e fragmentis perpaucis a Varrone servatis, quo-

5) Weichert. de verss. iniur. susp. p. 98.

rum pleraque ne intelligi quidem possunt[6]). Quod autem Goettlingius Mamurium praecipue celebratum esse ait, eumque non diversum esse a Marte, veteris Romanorum anni principe, hoc ut vere dictum sit, — nolo enim nunc pugnare[7]), — ita vereor ne ipsius causae magnopere officiat. Nempe veteres ipsi, neque indocti solum, sed etiam doctissimi, Mamurium a Marte diversum esse crediderunt, quod qui potuit fieri, si theogoniam in Saliorum carmine perscriptam haberent, unde Mamurii quoque originem veramque personam non possent non intelligere? — Porro Macrobius citatur, cuius testimonio disci posse, theogoniam in carmine Saliari secundum menses ordinatam fuisse. Atqui Macrobius I, 12 nihil testatur, nisi haec (afferam enim ipsius verba): ,,ne in carminibus quidem Saliorum Veneris ulla, ut ceterorum coelestium, laus celebratur"; ex quibus hoc quidem discimus, ceterorum deorum laudes celebratas esse; sed de stirpibus eorum et cognationibus ad modum theogoniae expositum esse, non video unde colligi possit. Neque profecto iniuria fabulas theogonicas omnino nullas in veterum Romanorum religione fuisse cum Hartungio[8]) aliisque statueris.

Iam de Magis videbimus, quorum theogoniam Herodotus memorat I, 132, de ritu sacrificiorum apud Persas exponens: postquam is, qui sacrificium diis offert, carnes herbis substratis imposuit, *μάγος ἀνὴρ παρεστεὼς ἐπαείδει θεογονίην, οἵην δὴ ἐκεῖνοι λέγουσι εἶναι τὴν ἐπαοιδήν.* Nomen huic magorum cantilenae Herodotus indidit ad id, quod ipse ab auctoribus suis Persis acceperat, accommodatum, licet ipsi non satis rei conveniens esse visum: id enim ostendunt, opinor, haec verba: *οἵην δὴ ἐκεῖνοι λέγουσι εἶναι τὴν ἐπαοιδήν*: qualem quidem illi hanc cantilenam esse dicunt. Quo iure autem illi eiusmodi nomen isti cantilenae imposuerint, et quaenam eius cum theogonia Graecorum, vel hac Hesiodea vel alia quapiam, similitudo aut dissimilitudo fuerit, nemo facile dixerit, quandoquidem de Magorum cantilenis minus etiam quam de Saliorum carminibus compertum habemus. Quodsi ex iis invocationum formulis, quae in Zendavesta leguntur, coniecturam facere licet, et breviores 8

6) Omnes et Varronis et aliorum de carm. Sal. locos nuper composuit A. E. Egger in Latini serm. vetust. reliquiis (Paris. 1843) p. 73 sqq.

7) Varronem certe aliter iudicasse videmus, d. L. L. VI, 45.

8) De relig. Rom. I p. 24, cf. Corssen. orig. poes. Rom. p. 82.

aliquanto fuerunt, quam Hesiodi theogonia, et versabantur fere totae in precibus, addita fortasse etiam passim parentum, unde quisque deus ortus crederetur, commemoratione, quae causa esse potuit, ut nomen iis a Persis tale imponeretur, quod Herodotus graeco θεογονίης vocabulo convertendum putavit.

Ita quum nec Saliorum nec Magorum comparatio quidquam nos docere possit, sequitur, ut ipsam theogoniam nostram contemplemur, sitne eius argumentum omnisque conditio et conformatio talis, qualem convenire carmini dicamus in sacris recitando. Quamquam totum carmen, quantum nunc legimus, ne Goettlingius quidem recitatum esse statuit. Fuisse olim aliquanto brevius, et postea demum adiectis varii generis additamentis in hanc magnitudinem excrevisse. Genera autem horum additamentorum quattuor esse. Primum nonnulla ex aliis theogoniis in hanc Hesiodeam translata, veluti quae v. 217—222 de Parcis et Pestibus (ita enim Κῆρας dicere licebit) ex Nocte procreatis leguntur, omnemque illam Phorci e Cetone liberorum ac posterorum enumerationem, v. 265—336, quae sane non est eiusmodi, ut in sacris commode recitari potuerit: porro longam Hecates laudem, v. 411—452, cuius splendore profecto ceterorum deorum laudes plane obscurari dixeris; denique ea, quae de Cyclopum vinculis a Iove solutis quasi in transcursu v. 501—506 memorantur. Alterum genus interpolationum invectum esse propter cultum deorum quorundam in regionibus quibusdam praecipue regnantem, quo pertinere Cytherorum et Cypri mentionem in narratione de Veneris ortu, v. 192—199, et quae de Iove in Creta insula nato et abscondito referuntur v. 477—484. Tertium genus ortum esse e variis variorum locorum recensionibus, quum de eadem re aliter in aliis scriptum esset, variaeque hae scripturae a veteribus theogoniae editoribus simul reciperentur, velut de Cyclopum nomine, v. 143—145, de forma et habitaculo Echidnae, v. 300—305, de ratione, qua Iupiter Saturnum vicerit, v. 496, de pernicioso genere mulierum, v. 590, et pleraque eorum quae in descriptione Tartari v. 726—819 leguntur; denique unum fortasse versum 473 de ultione liberorum Saturni, itemque unum versum 828 de igne ex Typhoei capitibus ardente. Postremum genus interpolationum constare versibus aliquot a rhapsodis ornamenti causa adiectis, qui tamen a toto theogoniae tenore abhorreant, veluti v. 118 commemorationem deorum in terra, et v. 130 nympharum in montibus habitantium; item v. 141 de tonitru et fulmine a Cyclopibus Iovi fabricato,

v. 146 de robore Centimanorum, v. 186 de armis Gigantum, v. 282—286 de Chrysaoris et Pegasi nominibus, et nonnullos versus in Tartari descriptione.

Poterunt fortasse non pauca in his reprehendi, sive ipsam illam generum descriptionem spectes, et qua ratione quisque locus huic vel illi generi adscriptus sit, sive de causis quaeras, cur quisque locus in suspicionem vocatus sit. Sed nihil opus est nunc haec accuratius a nobis examinari. Largimur omnia recte atque ordine acta esse, et hoc unum considerabimus, qualis nobis evadat theogonia, omnibus illis partibus resectis. Restant, praeter prooemium, versus circiter quingenti septuaginta aut paullo amplius; argumentum autem habemus 9
eiusmodi, quod qua ratione in sacris atque caerimoniis ad instar carminis Saliorum aut Magorum cantilenae recitatum videri cuiquam potuerit, magnopere miramur. Nulla enim est ullius numinis invocatio, nulla honoris alicuius ac venerationis testificatio, nulla laus factorum, nulla beneficiorum commemoratio, nulla ne munerum quidem, quibus quisque deus praesit, mentio facta, praeterquam paucis quibusdam locis, idque parcissime et tanquam obiter[9]), ut satis appareat, ornandae

9) Tanta est huiusmodi locorum paucitas, ut omnes brevis notulae spatium commodissime capiat. V. 120 Amor dicitur *κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι, Λυσιμελής, πάντων τε θεῶν πάντων τ' ἀνθρώπων Δάμναται ἐν στήθεσσι νόον καὶ ἐπίφρονα βουλήν*. V. 202 de Venere: *Ταύτην δ' ἐξ ἀρχῆς τιμὴν ἔχει ἠδὲ λέλογχε Μοῖραν ἐν ἀνθρώποισι καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσι, Παρθενίους τ' ὀάρους μειδήματά τ' ἐξαπάτας τε Τέρψιν τε γλυκερὴν φιλότητά τε μειλιχίην τε*. V. 235 de Nereo: *οὕνεκα νημερτής τε καὶ ἤπιος, οὐδὲ θεμιστέων Λήθεται, ἀλλὰ δίκαια καὶ ἤπια δήνεα οἶδεν*. V. 346 de Oceanidibus: *αἳ κατὰ γαῖαν Ἄνδρας κουρίζουσι σὺν Ἀπόλλωνι ἄνακτι Καὶ ποταμοῖς, ταύτην δὲ Διὸς πάρα μοῖραν ἔχουσι*. V. 372 de Aurora: *ἣ πάντεσσιν ἐπιχθονίοισι φαείνει Ἀθανάτοις τε θεοῖς, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσι*. V. 457 de Iove: *μητιόεντα θεῶν πατέρ' ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν, Τοῦ καὶ ὑπὸ βροντῆς πελεμίζεται εὐρεῖα χθών*. et v. 613: *ὣς οὐκ ἔστι Διὸς κλέψαι νόον οὐδὲ παρελθεῖν*, et de distributione munerum v. 883: *Δή ῥα τότ' ὤτρυνον βασιλευέμεν ἠδὲ ἀνάσσειν Γαίης φραδμοσύνῃσιν Ὀλύμπιον εὐρύοπα Ζῆν' Ἀθανάτων· ὁ δὲ τοῖσιν ἐῢ διεδάσσατο τιμάς*. V. 903 de Horis: *αἵτ' ἔργ' ὠρεύουσι καταθνητοῖσι βροτοῖσι*. V. 905 de Parcis: *αἵτε διδοῦσιν Θνητοῖς ἀνθρώποισιν ἔχειν ἀγαθόν τε κακόν τε*. V. 910 de Gratiis: *τῶν καὶ ἀπὸ βλεφάρων ἔρος εἴβετο δερκομενάων Λυσιμελής, καλὸν δέ θ' ὑπ' ὀφρύσι δερκιόωνται*. V. 917 de Musis: *τῇσι ἅδον θαλίαι καὶ τέρψις ἀοιδῆς*. V. 925 de Minerva: *Πότνιαν, ᾗ κέλαδοί τε ἅδον πόλεμοί τε μάχαι τε*. V. 929 de Vulcano: *ἐκ πάντων τέχνῃσι κεκασμένον Οὐρανιώνων*. V. 939 Mercurii epitheton, *κήρυξ ἀθανάτων*, et v. 941 Dionysi, *πολυγηθής*.

potius et variandae orationis causa haec adiecta esse, quam quod ad rem ipsam proprie pertinerent. Et hanc talem theogoniam Goettlingius plane respondere voluit nostrae dogmaticae [10], et quasi catechismum quendam esse graecarum religionum [11], in qua earum rerum, quae religionem continent, prorsus nihil inest? Quumque ipse carmen in duas partes dividat [12], alteram cosmogonicam et physicam, alteram theogonicam, nihil cum illa commune habentem, nonne permirum videri debet, tamen dimidiam fere totius carminis partem, ad religionem scilicet populi regendam compositi, in istis rebus physicis occupari nihil ad religionem pertinentibus? Quodsi quis aliter dividere velit, quinque partes facere possit, quarum una, a v. 116 ad 452, versibus circiter ducentis, (si eiiciantur quos Goettlingius insiticios pronuntiavit,) consumitur in rebus cosmogonicis aut in diis minutis maximamque partem obsoletis, quos populus nihil curaret, altera a v. 507 ad 616, centum et novem versibus constans, narrationem habet de Iapeti liberis, de fraude et poena Promethei et de primae mulieris creatione, quae res, ut pertineant quodammodo ad religionem, tamen in eiusmodi catechismo theogonico aut cantilena sacris publicis accinenda vix satis aptae videri poterunt. Idem de longa illa proeliorum cum Titanibus et cum Typhoeo narratione dicendum est, quum praesertim, id quod iam
10 alibi monui [13], in titanomachia primae partes Centimanis tribuantur ad populi religionem vix quidquam pertinentibus, Iovi tantummodo secundae, reliquis autem diis plane nullae. Restant de diis Olympiis, hoc est de iis, qui ubique maxima religione colebantur, et in quorum sacris hoc carmen inculcandae doctrinae theologicae causa decantatum esse statuitur, partes duae, altera a versu 453 ad 500, de procreatis ex Rhea Saturni liberis, devoratis a patre rursusque vomendo eiectis, altera a versu 881 usque ad v. 962, nihil nisi deorum connubia et suboles breviter enumerans: neutra autem neque de laudibus deorum, neque de cultu ab hominibus iis exhibendo — qualia in Saliorum carminibus non pauca fuisse cognoscimus [14] — ne verbo quidem audi-

10) Praef. ad Hes. p. XL.

11) Ephem. Jenens. 1842 p. 54.

12) Annot. ad theog. v. 452.

13) Dissert. de Titanibus Hes. p. 33 [122].

14) Cf. Varr. L. L. VI, 14. Macrob. Saturn. I, 12 et all. apud Gutberleth. de Saliis (Franequ. 1704) p. 41. 138. 13. 9. 144. 14. 5. 147. 151.

tores admonens: quasi vero ad religionem pertinuerit, non quis et qualis quisque deus esset, quove modo hominum rebus praeesset et consuleret, curque venerandus et adorandus esset, sed quos parentes, uxores, liberos haberet. Verissime, opinor, Hermannus[15]) „nihil", inquit, „in theogonia est, quod ad cultum sanctimoniamque deorum spectet."

Itaque quum argumentum carminis ad eum usum, cui a Goettlingio destinatur, nullo modo aptum videri possit, vix adhuc opus est demonstrare, quam parum illa opinio aut cum antiquorum scriptorum de Hesiodo narrationibus conciliari possit, aut omnino veterum rationibus, quas quidem in sacris obtinuisse noverimus, conveniens sit. Hesiodum nemo unquam aut ipsum sacerdotem aut cum sacerdotibus coniunctum fuisse memorat: rhapsodum fuisse volunt per Graeciam commeantem et in populi conventibus de praemio cum rivalibus certantem. Et quod genus eius ab Orpheo repetunt, poeta sane sacerdotali, commune hoc ei est cum Homero, neque propter sacerdotale genus carminum excogitatum, sed ut duo nobilissimi poetae etiam progenitorem nanciscerentur haud minus nobilem. Porro autem illud plane inauditum est, in sacris Graecorum publicis unquam sive a sacerdotibus sive ab aliis id actum esse, ut aliqua divinarum rerum doctrina populo traderetur, praesertim talis, quae non ad illum unum deum, cui sacra fiebant, sed ad universum caelestem coetum pertineret. Plato quidem, Legg. X, 3, p. 887, postquam de libris loquutus est fabularis doctrinae fontibus, qui narrent, (c. 2, p. 886) *ὡς γέγονεν ἡ πρώτη φύσις Οὐρανοῦ τῶν τε ἄλλων, προϊόντες δὲ τῆς ἀρχῆς οὐ πολὺ θεογονίαν διεξέρχονται, γενόμενοί τε ὡς πρὸς ἀλλήλους ὡμίλησαν,* quae manifestum est ad Hesiodeam theogoniam similesque libros spectare, mox tamen, ubi de sacris loquitur, et quid in his de rebus divinis disci possit, nihil praeter *θυσίας, εὐχὰς, ὄψεις ἑπομένας* memorat, unde satis intelligitur, nihil ei de recitationibus aut Hesiodeae theogoniae aut similium carminum innotuisse. Restabit igitur, ut doceamur, Platonis quidem aetate hunc usum obsolevisse; olim obtinuisse. Id ergo exspectabimus: tantisper autem dubitare licebit.

Ceterum possit fortasse aliquis hanc, quam impugnavimus, opi- 11
nionem in hunc modum quasi refingendam commendare, ut dicat theo-

15) De theogon. forma antiqu. p. 3.

goniae poetam, sive Hesiodum sive alium veterem rhapsodum, illud imprimis spectasse, ut carmen suum non in conviviis et epulis, ut Homerica, sed in sacris potissimum festorum conventibus audiretur, quemadmodum hymnos Homericos in festis deorum recitatos esse constat: et si cum festis concertationes rhapsodorum coniunctae essent, eos, qui haec curabant, praecipue talia carmina, qualis haec theogonia est, a rhapsodis proponi iussisse. Minus certe hoc improbabile fuerit: verum ut credam, longissime absum. Sed hac de re fortasse alias: nunc hoc tantum dico, rectissimum mihi videri Nitzschii iudicium, Melett. de hist. Hom. I p. 125, theogoniam ludis publicis aptam fuisse negantis.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. IX. Cal. Mart. ann. MDCCCXLV.

DE COMPOSITIONE THEOGONIAE.

Apud Diomedem grammaticum, ubi de exegetico vel enarrativo 3
genere poeseos exponitur (p. 480 ed. Putsch.), huius tres species esse dicuntur, angeltice, didascalice, historice. Et angeltice quidem ea dicitur, qua sententiae scribuntur, ut Theognidis liber, item chriae; didascalice, qua comprehenditur philosophia, velut Empedoclis aut Lucretii; historice denique, qua narrationes et genealogiae componuntur, „ut est“ inquit „Hesiodi γυναικῶν κατάλογος“. Sed in editione Mediolan. est „Hesiodi theogonia“[1]), sive nobilioris carminis nomen corrector aliquis pro altero minus in vulgus noto substituit, sive una cum catalogo etiam theogoniam commemorandam censuit, utpote vel materia vel tractatione artissime cum catalogo coniunctam et in eadem enarrativi vel exegetici generis specie historica numerandam. Narrationes enim et genealogiae, ut fuerunt in catalogo, sic etiam in theogonia compositae sunt, quumque catalogi universa descriptio haec esset, ut cum genealogiarum commemoratione rerum gestarum narrationes apte consererentur, sic in theogonia quoque fieri videmus, ut generationum series atque connexio distinguatur identidem insertis narrationibus aut etiam descriptionibus; itemque sicut in catalogo, quantum quidem ex veterum citationibus colligi potest, aliquanto plus spatii narrationibus rerum gestarum quam genealogiis datum fuit, sic in theogonia, si quis utriusque generis versus dinumeret, maiorem partem in narrationibus aut descriptionibus quam in generationum recensu versari videbit. Exorti quidem sunt aliquot abhinc annis, qui omnem hanc theogoniae formam, qualis nunc est, e genealogiis et nar-

1) Vid. Gaisford. ad Hephaest. p. 395 (432 ed. Lips.).

rationibus compositam, interpolatoribus quibusdam imputarent, anti-
quum carmen alienis additamentis augere totumque diffingere ausis,
sibi autem hoc contigisse gloriarentur, ut veram atque genuinam eius
formam tandem aliquando agnoscerent. Nempe quum theogonico car-
mini solam commemorationem divinarum generationum convenire,
narrationes autem rerum gestarum et descriptiones ab eius consilio
alienas esse opinarentur, quumque in iis partibus, quae mere genealo-
4 gicae sunt, aliquoties unius alicuius stirpis ac generationis commemo-
rationem ternis aut quinis versibus absolvi animadvertissent, hinc to-
tum carmen strophis aut ternorum aut quinorum versuum compositum
fuisse collegerunt, easque aut omnes aut plerasque deprehendi ac re-
stitui posse, si modo, resectis narrationibus ac descriptionibus, ea
tantum retinerentur, quae propria essent theogoniae, h. e. nihil praeter
nudum atque aridum indiculum genealogicum. Sed horum quidem
levitas dudum convicta atque explosa est: successit autem iis vir sum-
mus et criticorum nostra memoria facile princeps, Godofredus Her-
mannus, qui quum ipse aliquando strophicum illud genus compositio-
nis sibi non improbabile videri professus esset, postea, haud scio an
ludens magis quam serio, quonam fere modo haec nostra theogonia in
strophas quinorum versuum redigi posset demonstrare conatus est
libello de Hesiodi theogoniae forma antiquissima ann. 1844 edito. De-
monstravit autem Hermannus, meo quidem iudicio, nihil aliud, nisi
quantum ipse non modo Gruppium eiusque sectatorem Soetbeerium,
sed etiam veterem theogoniae scriptorem ingenii sollertia iudiciique
elegantia superaret. Neque enim ambigi potest, quin illa, quam ipse
composuit, theogonia multis partibus melior sit, quam haec, quam anti-
quitus traditam habemus. Attamen fuisse olim talem theogoniam, id
vero nemo credet, nisi cui persuasum fuerit, fuisse aliquando genus
quoddam hominum improborum, qui pravo quodam studio abrepti
grassarentur in veterum scriptorum monumentis eaque quantum pos-
sent naviter adulterarent atque diffingerent. Nam ex Hermanniana aut
simili quadam theogonia haec nostra nequaquam vel oscitantia atque
socordia describentium, vel errore aliquo eorum, qui varias carminis
recensiones contaminarent, evadere potuisse videbitur, sed statuendum
erit necessario, fuisse quosdam, qui illam data opera corrumperent,
multisque passim versibus aut omissis aut interpolatis aut transpositis
omnem veteris compositionis formam delerent. Id igitur si cui proba-
bile videbitur, equidem non invidebo: nunc autem contra disputari nihil

opus est, quandoquidem Hermanni theogonia in eo certe non dissimilis evasit huius nostrae, quod narrrationes rerum gestarum ac descriptiones easdem omnes locisque iisdem insertas pariter exhibet. De his ipsis autem videor mihi affirmare posse, vix ullam earum ornandi duntaxat et variandi aut amplificandi carminis causa insertam esse, sed pariter propemodum omnes ad rem pertinere, nempe ut significetur, quibus quasi gradibus deorum genus ex primitivo chao per Caeli atque deinceps Saturni regnum usque ad Iovem eiusque familiam progressum, quaque ratione factum sit, ut deiectis atque oppressis deis antiquioribus novi in eorum locum succederent. Hoc planum fiet universa carminis descriptione paullo accuratius examinata: quo facto etiam de eius componendi consilio et quae ei cum catalogo ratio intercedat, haud fortasse improbabiliter statui poterit.

Igitur qui satis attento in rem animo theogoniam legerit, facile intelliget non alio eam consilio compositam esse, quam ut omnis deorum multitudo, eorum maxime, quorum aliqua in fabulari historia celebritas esset, in brevi conspectu proponeretur, nec nomina solum, sed stirpes quoque et origines, et qui cuiusque parentes, coniuges, liberi essent, indicarentur: quod consilium non commodius perfici potuisse apparet, quam ut generationum divinarum series inde a primis initiis usque ad illud tempus, quo genus deorum quasi consummatum 5
fuit, deinceps percenseretur. Sed quum longo temporis spatio, per quod illa generationum series quasi decurrit, non una esset rerum conditio unusque status deorum, regnumque primum a Caelo ad Saturnum, deinde a Saturno ad Iovem transferretur, hinc necesse erat, etiam enumerationem generationum in tres partes dispesci, quarum una esset de iis, qui sub Caelo, altera de iis, qui sub Saturno, tertia de iis qui sub Iove in lucem prodiissent. Neque minus consentaneum erat, illas regni ab alio ad alium translationes non sileri a poeta theogonico, aut breviter tantum et quasi in transcursu attingi, sed disertius commemorari et quo quaeque modo quibusve de causis evenisset indicari, id quod fieri non potuit, nisi narrationibus apte insertis. — Haec nobis praemonenda videbantur de universa carminis descriptione: iam singulae partes considerandae, quidque in iis aut recte aut secus factum sit, examinandum est.

Exorditur theogonia, quemadmodum debebat, a primis rerum principiis, unde quum ceterarum rerum universitas, tum omne genus deorum originem habere putabatur, Chao, Terra, Cupidine. Chaos quid aut quale fuerit non dicitur, quamobrem non mirum est, aliis

aliter visum esse. Nobis persuasum est aeriam quandam ac nebulosam naturam significari, quod cur ita statuamus, quoniam alibi satis exposuimus[2]), hoc loco repeti nihil attinet. Verbum autem ἐγένετο de chao usurpatum rectius fuit quam factum est interpretabimur, qua de re item alio loco diximus[3]). Terrae nomine nunc quidem nondum quidquam praeter materiam solidiorem magisque corpoream significari nemo non intelligit, quamobrem id disertius indicari non opus erat. Neque illud dubitari posse videtur, quin illam poeta non modo post chaos, quemadmodum verba sonant, sed ex chao ortam atque concretam esse voluerit: quamquam non sane laudanda est tam indiserta oratio, quum praesertim nullo negotio planius dici potuerit ἐκ δ' ἄρα τοῖο pro αὐτὰρ ἔπειτα. Quod autem nonnulli etiam Tartarum in rerum principiis numerari crediderunt, non tam poetae quam ipsorum culpa factum est, quippe qui veram verborum constructionem non perspicerent[4]). Denique Cupido quid sit, neminem fugit: neque minus illud ipsum per se manifestum est, omnes quaecunque deinceps enumerantur generationes non sine illius vi ac numine contigisse[5]). — Excitatur autem ad generandum primum Chaos, Erebumque et Noctem ex sese procreat, h. e. tenebrarum genus duplex, alterum earum, quae in subterraneis mundi partibus perpetuae esse videbantur, alterum harum, quae supra terram statis temporibus effunduntur. Tenebrarum
6 naturam veteres in aere posuisse constat[6]), unde patet non inepte originem earum a Chao repeti, quippe quod et ipsum totum aerium esset, quum praesertim, quidquid in eo solidioris materiae fuerat, in Terram concrevisset. Ex Erebo et Nocte procreantur Aether et Dies, dissimili quidem a parentibus specie, natura tamen non diversa. Nam lux quo-

2) In dissert. de Cupidine cosmogonica p. 8 [637] sqq.

3) Comparat. theog. Hes. c. Hom. p. 8 [32] not. 12.

4) Cf. dissert. II de interpolat. theog. Hes. p. 3. 4 [442].

5) Non opus igitur fuit, id a poeta disertius exponi, neque assentior W. Murio in hist. litt. gr. (Critical hist. of the lang. and litt. of anc. Greece. Lond. 1850) tom. II p. 411 sic iudicanti: „The antiquity assigned by Hesiod to Eros, or Love, in the order of creation, seems to contain the germ of a fine image, which might, with a more genial poet, have aided in idealising the dry materialism of his cosmogony, but which the Boeotian minstrel has allowed to remain completely in the background." Scilicet si ingeniosior ille poeta non, quemadmodum hic Boeotus, de cuius ingenio ne ego quidem magnifice sentio, generationes tantum deorum recensere, sed divinorum amorum imaginibus delectare auditores voluisset.

6) Cf. de Cupid. cosmog. p. 12 [72].

que veteribus non incorporea esse videbatur, sed constare materia quadam omnium tenuissima atque subtilissima, qualis aer foret omnibus partibus crassioribus atque caliginosis plane purgatus[7]). Genus autem lucis item duplex. Partim enim in superioribus mundi regionibus perpetua esse videbatur, partim terrae propior, circumfusamque huic caliginem modo dispellens, modo rursus ei concedens.

Hae solae generationes ex Chao, reliquae omnes ex Terra prodeunt. Et primum quidem haec de suomet corpore Caelum procreat, pari secum ambitu, qui tecti instar ipsam circumdet, utpote sedem tutam ac domicilium futurum diis mox proventuris[8]). Porro Montes et Pontum ex sese parit, quorum illi excrevisse quodammodo e matris corpore et in altitudinem surrexisse, Pontus autem excretis ex terra humoribus et in cavernis eius collectis extitisse videbatur. — Deinde copulata cum Caelo Terra sex filios totidemque filias in lucem edit, quorum nomina sunt Oceanus, Coeus, Crius, Hyperion, Iapetus, Thia, Rhea, Themis, Mnemosyne, Phoebe, Tethys, denique Cronus, qui minimus natu, sed callidus viribusque praepotens et patri suo infensus fuisse dicitur. Horum omnium personae dubitari non potest quin aliae partes quasdam mundi recentis, aliae vires naturae maxime insignes, aliae legem atque ordinem significent, quo prima mundi conformatio regeretur[9]). Sed theogoniae compositor nomina memorasse contentus de significatione nihil prodidit. Nimirum percensere tantummodo omne genus deorum et stirpibus ac familiis describere, aliquas etiam, ubi opus esset, res gestas referre, non autem interpretari fabulas vo-

7) Cf. Ideler. ad Arist. Meteor. I p. 563.

8) Ambigua verborum structura consulto usus sum, quoniam apud Hesiodum quoque ambiguum esse potest, Terramne an Caelum deorum sedem intelligi velit. Illud sine dubio verum esse demonstravi in dissert. II de interpol. th. H. p. 13 [454]; alterum tamen pleraque crediderunt, et nuper etiam Murius, qui propterea, l. l. p. 414 not. 4, pugnare v. 128 cum 117 autumat. Ceterum simili quam Hesiodus structura, ut commoti per ἵνα cum superiore enuntiatione coniuncto alterum commo, ipsi subiunctum, per ὄφρα additur, etiam Homerus utitur Il. XV, 31: τῶν σ' αὖτις μνήσω, ἵν' ἀπολλήξῃς ἀπατάων, ὄφρα ἴδῃ, ἤν τοι χραίσμῃ φιλότης τε καὶ εὐνή. Nec aliter post ὄφρα ponitur ὡς, Il. III, 166: δεῦρο πάροιθ' ἐλθοῦσα, φίλον τέκος, ἵζευ ἐμεῖο, ὄφρα ἴδῃ πρότερόν τε πόσιν πηούς τε φίλους τε — ὥς μοι καὶ τόνδ' ἄνδρα πελώριον ἐξονομήνῃς κτλ., ad quem locum schol.: συνήρτηται δὲ τοῦτο τῷ πρώτῳ „ὄφρα ἴδῃ —.

9) De singulorum significatione dixi in dissert. de Titanibus Hesiodeis p. 15 [105] sqq.

luit, eamque rationem per totum carmen constanter servavit. Ac nonnullarum quidem fabularum aut nominum significatio tam facilis et expedita est, ut cuilibet sua sponte offeratur; alia obscuriora sunt nec fortasse ab ipso scriptore intellecta, id quod sat multis indiciis apparet, quorum aliquot insigniora postea monstrabimus. Nunc autem illud adverti volumus, in commemorandis personis divinis non raro scriptorem anticipatione quadam uti, quum aut epitheta iis tribuat illo quidem loco, ubi primum nominantur, nondum convenientia, aut res quasdam attingat longo demum post tempore actas. Ex altero genere est epitheton ἀστερόεις Caelo tributum v. 127, licet illo tempore, nullis adhuc stellis creatis, stellatum caelum esse non potuerit. Item
7 v. 117 Terra dicitur sedes omnium immortalium, idque repetitur 128, quamvis hi immortales, quorum in terra sedes esset, postea demum exorti sint. Ex altero genere illud est, quod mox v. 141 de Cyclopibus dicitur, eos Iovi tonitru et fulmen fabricasse: id enim non nunc statim quum nati sunt, sed post multa saecula fecerunt. Etiam quod v. 138 Cronus parentem suum exosus esse dicitur, est quaedam anticipatio rei postmodum narrandae: nam non sane innatum ei erat patris odium, sed postea demum excitatum, quum illum abuti potestate sua videret. Neque hoc reprehendendi scriptoris causa dixi, sed potius ut reprehensioni occurrerem. Nam similia anticipationis exempla apud optimos quosque poetas invenias, qui omnes, ut Naekius ait, Hecal. p. 27, „de eo, quod postmodum factum est, obiter inserere indicium solent[10].“ Sed in viam redeo.

10) Huc pertinent in theogonia v. 278 sqq. 289. 311. 314 sqq. 512 sqq. — Reprehenditur locus de Cyclopibus ab J. J. Wagnero, Script. min. III p. 175, propterea, quod Iovi Cyclopes fulmen fabricati esse dicantur, quumvis hoc ipsi a principio proprium fuisse dicendum sit, utpote aetheris numini. Apparet hanc reprehensionem sic demum iustum videri posse, si eam Iovis nationem etiam poeta theogonicus aut habuerit aut habere debuerit. Sed is, opinor, Iovem non alium informavit, quam deum optimum maximum, sapientia viribusque praepatentem, unde factum, ut Saturnum regno spoliaret sociosque sibi fortes ac fideles adiungeret, quorum ope imperium tueretur. Ovidius quoque, Fast. III, 438, Iovem non ab initio fulminibus armatum fuisse voluit, licet illam de aethere doctrinam ab Euripide, Ennio aliisque inculcatam probe nosset. — Quod autem illud de Cyclopibus fulmina Iovi fabricantibus hoc loco sibi commemorandum poeta credidit, eo magis excusabitur, si hoc earum munus non in vulgus notum fuit: quod ut statuam, rationes quasdam habeo alio tempore explicandas. Sed poeta, quum eas ad hoc munus fulminum fabricandorum natura quidem factos esse vellet, non tamen id efficere

Procreantur autem porro a Caelo et Terra sex filii diversae a superioribus naturae: primum tres Cyclopes, Brontes, Steropes, Arges, (latine **Tonitrum**, **Fulgetrum**, **Coruscum** dixeris,) qui cur Cyclopes, h. e. Coclites rotundis oculis dicantur, verbosius quam opus erat edocemur; deinde tres Centimani, Cottus, Briareus, Gyes (**Ferius**, **Viriatus**, **Membro**,) quorum non minus magnitudo et species insolita, quam robur supra modum ingens fuit. Apparet autem his nimias quasdam et immoderatas naturae vires significari, quales in tempestatum saevitia cum tonitru et fulminibus, in procellis, diluviis, terrae motibus animadvertuntur, quae cum domari nequirent disturbaturaeque omnem nascentis mundi ordinem viderentur, propterea Caelus, his filiis iratus, omnes rursus, ut editi in lucem erant, in terrae visceribus recondidit. Sed in his quoque scriptor quid factum sit breviter commemorat, causas autem, cur factum sit, indicare supersedit. Neque hoc reprehendendum, utpote carminis consilio ac rationi consentaneum: illud tamen vituperabile, quod non planum fecit, quosnam filios Caelus abscondiderit, solosne Centimanos, an una cum his Cyclopes, an fortasse etiam de superioribus unum et alterum: nam id quoque nonnullis dicere visus est, possuntque sane verba eius sic accipi[11]).

Sequitur prima theogoniae narratio paullo longior, ut Caelus a 8
filio suo Crono eviratus atque oppressus sit, quae res quoniam primae mundi aetati finem imposuit alteramque inchoavit, erat utique accuratius commemoranda, simulque interposita hac narratione prima pars carminis a secunda quasi quodam intervallo discriminanda. Eius summa haec est: Terram inclusis in corpore suo liberis gravatam vehementer indoluisse, utque ulcisceretur iniuriam falcem ex adamante fa-

---

potuisse ante quam a Iove vioculis, quibus statim nati a patre inclusi erant, liberarentur, oaturam eorum vix potnit melius, quam ab eo factum videmus, declarare. — V. 278 cur Neptuni cum Medusa concubitus memorari debuerit, nemioem fugiet. Geryonem v. 289, hydram v. 315, leonem Nemeaeum v. 332 ab Hercule interemptos propterea monet, quod propter banc solam causam illa monstra in fabulis celebrabantur. Item Cerberus v. 311 propter eam unam causam memorandus erat, quod Plutonis canis esset, quamobrem id statim hoc loco indicatur, quamvis Plutone nondum nato. De nymphis autem, v. 347, aut plane tacendum erat, eas *κουροτρόφους* esse, aut, si hoc minus placebat, illud quoque addendum, eas in hoc munere socias Apollinis esse, licet de huius dei ortu infra demum referatur. — De reliquis suo loco videbimus.

11) Cf. diss. de Titan. p. 8 [98].

bricatam esse filiosque eos, qui non inclusi essent, ad vindictam instigasse. Reliquis prae metu tacentibus Cronus sese ad facinus paratum esse ostendit. Igitur hunc mater in insidiis collocat, falcem tradit, quid faciendum sit praecipit. Mox quum amplecti Terram Caelus pararet, Cronus eum ex insidiis adoritur, virilia amputat, amputata in mare proiicit. Ex horum sanguine in terram sparso enascuntur Erinyes, Gigantes nymphaeque Meliae, ex ipsis autem genitalibus in mari natantibus spuma, e spuma virgo emergit pulcherrima, quae primum Cythera, mox Cyprum appellitur, unde Cytherea aut Cypria, ab ortu autem Spumigena dicitur: sic enim Graecum nomen Ἀφροδίτην convertere cum Marciano Capella licebit. Comitantur eam Cupido et Himerus, munusque eius hoc est, ut praesit rebus veneriis. Caelus autem filiis suis propter impietatem maledicens Titanum nomen imponit poenasque ab ipsis aliquando persolvendas praedicit. — Physica ratio non inelegans inclusa est in impias fabulas, ut Stoicus ait apud Ciceronem de nat. deor. II, 21, 64: quamquam quae ab illo ratio profertur, parum probabilis vel potius manifesto falsa est. Nobis quid videretur alibi disputavimus [12]), quae nunc non opus est repetere. Adscribemus tantum Macrobii verba, universam rem non inscite interpretantis, Saturn. I, 8 p. 245 Zeun.: „Quum semina rerum omnium de caelo fluerent et elementa universa, quae mundo plenitudinem facerent, ex illis seminibus funderentur, ubi mundus omnibus suis partibus membrisque perfectus est, certo iam tempore finis factus est procedendi de caelo semina ad elementorum conceptionem, quippe quae iam plena fuerant procreata. Ad animalium vero aeternam propagationem ad Venerem generandi facultas ex humore translata est, ut per coitum maris feminaeque cuncta deinceps gignerentur.“ Ceterum in theogonici poetae narratione sunt quae non immerito attentum lectorem offendant veteremque fabulam ab illo non recte intellectam adeoque corruptam esse arguant. Nam neque causam castrandi Caeli ab ira Terrae propter Liberos inclusos repetere, neque Erinyes, h. e. Furias scelerum ultrices, e Caeli sanguine exortas fingere debuit, quasi nefarium Croni facinus et Furiarum ultione dignum fuisset. Fuit enim necessarium, ne, si generare Caelus continuo pergeret, novis semper ac diversis rerum formis succrescen-

12) Ibid. p. 10 [100].

tibus, certa ac legitima mundi constitutio, ad normam a Themide et Mnemosyne praescriptam, impediretur ac perturbaretur. Sed hic error poetae condonandus est: perquam enim proclivis fuit, multique in hac fabula pariter a vero aberrarunt. Qui autem una cum Furiis e Caeli sanguine exorti sunt, Gigantes et nymphae Meliae, plane diversae naturae sunt. Pertinent enim ad humani generis originem, quam multos olim a fraxinis, quarum Meliae nymphae sunt, repetivisse constat, 6
quum alii Gigantes horum, qui nunc sunt, hominum progenitores fuisse dicerent [13]). Hic autem poeta, quum componeret sic Gigantes et nymphas Melias, significare fortasse voluit, ab utrisque inter se copulatis homines originem trahere, quamquam id non diserte eloquutus est, sed suspicandum intelligentibus reliquit. Quod autem utrosque e Caeli sanguine exortos facit, rationem habet non admodum obscuram. Nempe a Caelo et Terra quum deorum immortalium tum hominum genus ortum est, sed alteri per Titanes, iusto concubitu procreatos, alteri, mortales longeque diis inferiores, ex guttis sanguineis castrati Caeli in terram delapsis eamque minore et iam emoriente vi genetrice fecundantibus. Etiam Veneris ortum e Caeli genitalibus haud inepte fingi apparet: item cur ea Cythera moxque Cyprum appulsa esse dicatur, facile intelligas, siquidem in his insulis Caelestis Veneris religio a Phoenicibus ad Graecos perlata maxime floruit. Putida autem ista nominum et cognominum notatione, quae est v. 195 sqq., haud aegre careremus; et sunt in his versibus etiam manifesta interpolationis vestigia [14]). Neque illud non magnopere improbandum, quod de principatu a Caelo ad Saturnum delato nullum verbum in hac quidem narratione dicitur, sed in posterioribus tantum theogoniae partibus res obiter significatur. Est igitur haec narratio, quamvis apte suoque loco inserta, ipsa tamen non qualis esse deberet, sed manca et imperfecta.

Altera pars theogoniae primum numerosam proponit Noctis progeniem illa, quae in superiore parte memorata est, recentiorem. Ibi enim Aethera et Diem, nunc autem Mortem parit et Necem ac Letum, porro Somnum et Somniorum gregem; deinde Momum, h. e. Vituperium, et Miseriam et Hesperides aureorum pomorum custodes, Parcas porro et Poenas scelerum ultrices, et Nemesin, sive Reprehensionem eorum, qui modum excedunt, Fraudem denique et Concubitum noctur-

---

13) Cf. dissert. nostra de nymphis Meliis, Gigantibus et Erinysin, p. 11 [135] sqq.
14) Cf. dissert. I de interpol. th. Hes. p. 13 [438].

num, et Senectutem et postremam in hoc numero Discordiam. Ex Discordia autem nascuntur Labor, Pugna[15]), Fames, Dolores, Certamina, Caedes, Proelia, Homicidia, Iurgia, Mendacia, Altercationes, Iniustitia, Noxa, denique Iurisiurandi numen, quo peierantibus poenae infliguntur. Videmus igitur hoc loco varia malorum genera componi, quibus hominum, etiamque, ex parte saltem, deorum vita infestatur, quae omnia non inepte Noctis partu edita finguntur, quandoquidem quidquid grave, triste, luctuosum est, noctis simile cum eaque quodammodo cognatum esse videtur. Concubitum his immixtum fuerunt qui aegre ferrent, quem in malis a poeta numeratum esse ego quoque vix credo: sed cogitavit nimirum de nocturno, ideoque in Noctis familia eum recensuit. Etiam Hesperides in hunc coetum receptas mireris, de quarum genuina significatione et natura licet parum constet, non tamen certe in rebus malis ac pestiferis numerandae esse videntur. Verum poeta noster quum Vespertinas illas (id enim nomen significat) Noctis filias esse accepisset, maluit has quoque una cum ceteris commemorare, quam tertio quodam loco de Noctis partubus dicere. Ac vituperarunt eum nonnulli etiam propterea, quod his de iis dixerit, neque omnem Noctis familiam uno loco composuerit statim post Aethera et Diem v. 124, et Hermannus adeo in ea quam ipse composuit theogonia, hanc nostram scilicet correcturus, omnem hanc partem, quae est a v. 211 usque ad v. 232, transposuit post v. 125, et quinque strophis suo modo descripsit. Id mihi satis inconsiderate a viro acutissimo factum esse videtur, et probabilem, immo verissimam rationem agnosco, cur poeta sic facere noluerit. Nempe rerum, quae hoc loco memoran-

15) In theogonia v. 226. 7. legitur: *Αὐτὰρ Ἔρις στυγερὴ τέκε μὲν Πόνον ἀλγινόεντα Λήθην τε Λιμόν τε* —, quumque Oblivio non immerito aliena ab hoc coetu videretur, Ruhnkenius *Ἄτην*, proque hac, quae nunc paullo post, v. 230, cum *Δυσνομίῃ* apparet, *Ἀπάτην* reponi, versum autem 224, ubi *Ἀπάτη* et *Φιλότης* in Noctis filiabus sunt, plane deleri suasit. Huic recte Goettlingius obloquitur; quod autem ipse et Lennepius *Λήθην* pro Oblivione beneficiorum, officiorum, legum accipiendam suspicantur, vix credo hanc illo vocabulo sic simpliciter posito significari potuisse. Multo minus cum Gruppio dicemus, de Oblivione malorum consolatrice cogitandum esse: nam haec certe Eridis filia vocari nullo modo potuit. Neque vero Heynii *Λοιμόν* admittemus, sed rescribemus, opinor, *Δῆριν*. Hanc cum *Πόνῳ* etiam Homerus coniungit, Il. XVII, 158, potuitque e ΔΗΡΙΝ, facile ΛΗΡΙΝ, hinc autem ΛΗΘΙΝ, ΛΗΘΗΝ fieri. *Λιμόν*, pro quo aliquis fortasse *Λοιγόν* maluerit, (et in aliquot codd. *Λοιμόν* est,) non male Lennepius tuetur, provocans ad Opp. et D. v. 28 et 230.

tur, omnium ea vis ac natura est, ut existere plane non potuerint nisi inter homines aut animantes, quales illo quidem tempore, quum Aether et Dies nascerentur, nulli adhuc fuerunt. Illud quoque nonnullos male habuit, quod, quum v. 211 *Κὴρ* una inducta sit, mox v. 217 *Κῆρες* plurali numero memorantur. Atqui illam quidem priorem nihil aliud quam Necem, h. e. mortem aut armis aut aliqua vi externa illatam significare manifestum est; sed quum nomen ipsum etiam latius pateat, potuerunt profecto *Κῆρες* ea quoque numina vocari, quae poenas facinorum repetunt, malaque et perniciem sceleratis inferunt: quae numina vix diversa a Furiis esse ex ipsius poetae verbis v. 220—223 intelligitur. Quod si ita est, non ideo ille reprehendendus erit, quod idem nomen duobus locis, diverso tamen numero et significatu posuit, sed propterea, quod posteaquam v. 185 Furias induxit e Caeli castrati sanguine procreatas, nunc rursus *Κῆρας*, ab illis reapse non diversas, Noctis filias fecit. Eiusdem Furias filias a multis dictas esse constat, quam stirpem poeta quum traditam in fabulis accepisset non putavit sibi praetermittendam, parum curans quod sic iisdem deabus diversam originem tribueret. Tegitur quidem peccatum nominum diversitate; malles tamen superiore loco Furias praetermissas, etiam propter eam quam ibi exposui rationem. Ceterum numina unius naturae et significationis, sed nominibus parentibusque diversis, etiam alibi passim in theogonia inducuntur: nec fieri aliter potuit in huiusmodi carmine, in quo omnis multitudo fabulosorum deorum percensenda esset. Nam saepenumero in Graecorum mythologia iisdem numinibus ac potestatibus divinis personas plus minus diversas indui videmus, ac de nominibus, parentibus, rebus gestis eorum alia ab aliis tradi. Nec raro nominibus non mutatis magna est de parentibus dissensio, cuius generis praesens exemplum in Parcis habemus. Hae enim ab aliis Noctis, ab aliis Iovis et Themidis filiae dicebantur: neutrum sine probabili ratione[16]). Sed noster poeta utrumque tradit: nam hoc quidem loco eas in Noctis progenie numerat, v. 217, infra autem, v. 904, in Iovis liberis. Plerique hoc non ferendum rati alterum utrum locum utique corrigendum esse clamant. Ego, licet offensionem non dissimulem, de 11
corrigendi tamen necessitate dubito. Hoc autem credo, versus duos, 218. 219, qui totidem fere verbis infra v. 905. 906 repetuntur, ab in-

16) Cf. ad Aeschyl. Prometh. p. 108.

terpolatore insertos esse; quibus eiectis illud etiam lucramur, ut rectius verborum structura procedat. Nam ut nunc est, ineptissime, posteaquam *Κῆρες νηλεόποινοι* memoratae sunt, subiunguntur statim nomina non harum sed Parcarum ante illas memoratarum, et v. 220 pronomen *αἵτε* ambigi potest, utrum ad Parcas an ad alteras referendum sit, cui malo si quis ita medeatur, ut *αἵ τε* disiunctim scribat, quo scilicet per copulam diversa huius quam superioris pronominis (v. 228) relatio indicetur, vereor equidem ne haec *συχίνη ἐπικουρία* sit.

Pergit theogonia ad Ponti progeniem. Hunc enim Terra post Caelum, de cuius filiis in superiore parte expositum est, postque Montes, quorum nulla suboles extitit, primum enixa erat, ante Oceanum ceterosque Titanes. Et videmus hunc ordinem per totum carmen servari, ut a maioribus natu ad minores procedatur[17]). Ponti igitur tres filii sunt, Nereus, Thaumas, Phorcys, duaeque filiae, Ceto et Eurybia, quorum omnium deinceps liberi percensentur. Nerei nomine nihil nisi Fluorem significari constat: quod nomen quum potuerit sane cuilibet aquarum numini imponi, in theogonia tamen, et apud ceteros, quantum quidem compertum est, omnes, proprium eius dei factum est, qui maris naturam non universam, sicut Pontus et postea Neptunus, sed ex parte tantum repraesentaret, quatenus utile hominibus mare et benignum est, imprimis navigandi opportunitate atque instantium tempestatum praesagiis, quamobrem Nereus ut aequus, mitis, verax praedicatur. Et filiarum quoque eius quinquaginta nomina aut varias maris dotes atque amoenitates, aut proprietates atque affectiones designant: nonnullae ab terris et insulis appellantur, quas mare alluit: paucae quaedam diversi generis sunt, videnturque ad aliam quandam rationem cosmogonicam et theogonicam pertinere, quae rerum omnium originem et moderationem ad maris naturam referret. Sed haec hoc loco exponere longum est, neque necessarium.

Alter Ponti filius Thaumas eam maris naturam significat, unde admiranda quaedam atque stupenda hominibus prodire videbantur. Id et nomen indicat, et progenies ex Electra, Oceani filia, suscepta, Harpyiae, quas procellas ac turbines esse constat in mari orientes, et Iridem h. e. arcum caelestem, qui maris accolis item e mari oriri

17) In Titanum quidem generationibus paullulum ab instituto ordine deflectitur, sed non tamen sine certa ratione, quemadmodum infra demonstrabimus.

videtur. Matris autem Electrae nomen splendidam quandam naturam significat.

Numerosisssima est tertii filii, Phorcynis, progenies. Is enim e
Cetone, sorore sua, primum duas filias procreavit, Pephredo et Enyo,
quae communi nomine Graeae h. e. vetulae vocantur: deinde tres Gor-
gones, quarum duae, Stheno et Euryale, immortales sunt, tertia, Me-
dusa, mortalis fuit, quae quum a Neptuno compressa gravidaque facta
esset, interempta est a Perseo, de sanguine autem morientis prosilue-
runt Chrysaor et Pegasus, quorum alter ab aureo quem gestabat gladio
nomen accepit, alter, qui equus fuit, in Iovis aedibus stationem nactus
est eiusque arma, tonitru et fulmen, vectat. Chrysaor autem e Callir-
rhoe, Oceani filia, Geryonem generavit tricipitem, postea in Erytbia,
insula Oceani, ubi habitabat gregesque boum eximios alebat, ab Hercule
interemptum una cum bubulco, cui Eurytioni, et cum cane, cui Ortho 12
nomen fuit. — Genuerunt porro Phorcys et Ceto filiam Echidnam,
cuius forma fuit ex muliere et serpente mixta, domicilium autem in
specu subterraneo apud Arimos, ubi ex Typhoeo Orthum peperit
Geryonis illum canem, Cerberumque, qui item canis est apud inferos
in domo Plutonis, denique hydram Lernaeam, post ab Hercule inter-
emptam. Aut huius aut Echidnae filia Chimaera fuit, leonis, caprae,
draconis corpora mixta habens, quam Bellerophontes Pegaso vectus
obtruncavit. Chimaera porro aut item Echidna — nam id quoque ex
verbis poetae non certo intelligi potest, — ex Ortho cane Sphingem
peperit, Thebarum illam pestem, et leonem Nemeaeum a Iunone enu-
tritum, ab Hercule interemptum. Denique Phorcynis et Cetus proles
fuit Serpens immanis, malis aureis, quae ab Hesperidibus servabantur,
custos appositus. — Haec est Phorcynis familia, quam cur sibi poeta
sic singulatim persequendam tamque multos in eam versus insumen-
dos censuerit, — sunt enim circiter septuaginta, — non poterit non
permirum prorsusque inexplicabile videri, si quis theogoniam religio-
nis causa compositam esse opinatur. Quid enim istis monstris cum
religione? Itaque non defuerunt, qui omnem hanc partem ab antiqua
et genuina theogonia alienam, et postea demum ab aliquo interpolatore
additam affirmarent: quae tamen hunc ad interpolandum causa per-
movisset, explicare supersederunt. Nobis persuasum est, hanc partem
non minus quam aliam quamlibet genuinam esse, insertamque ab ipso
theogoniae compositore non alio consilio, quam quo totum carmen
compositum est, ut ad omnem fabularem historiam cognoscendam

quasi aditum faceret. Hanc ob causam haec monstra, quorum celebris in fabulis memoria esset, non debuerunt silentio praetermitti. Singula quid significent quaerere hoc loco nihil opus est. Nam quamvis constet, omnium ab initio physicam quandam significationem fuisse, tamen a poeta non propter hanc significationem, quae quidem ipsi vix cognita fuit, sed tantum propter eam, quam dixi, celebritatem memorata esse pro certo affirmare licet, idque satis est ad carminis intellectum.

Ponti posteritatem excipiunt qui a Caeli Terraeque liberis originem habuerunt, et primum quidem ab Oceano. Is igitur uxorem Tethyn ducit, ex eaque numerosam utriusque sexus prolem generat, mares, fluviorum deos, feminas, rivorum ac fontium nymphas. Et nympharum quidem ex ingenti multitudine — nam ter mille esse dicuntur, sed pleraeque accolis tantum notae, — commemorantur una et quadraginta, quarum nomina, pariter ut Nereidum, de quibus supra dictum est, aut proprietates quasdam atque affectiones aquarum, aut dotes atque commoditates designant, quas homines ex iis percipiunt; alia autem a terris imposita videntur, ut Asia et Europa, alia denique maiorem quandam numinum amplitudinem significant, quod genus eodem modo explicandum est, quem supra in Nereidibus indicavimus. E fluviorum numero haud amplius quinque et viginti memorantur, aut propter magnitudinem insignes, ut Nilus, Strymon, Ister, Peneus, aut propter claritatem, quam fabulae, imprimis Troicae, iis addiderunt, quae causa fuit, ut etiam rivis minoribus, Simoenti, Scamandro, Rhodio, Heptaporo, Granico, Aesepo locus concederetur, quorum nonnulli posteriore tempore plane exaruerunt, ut ne vestigia quidem eorum superessent.

13 Sequuntur quos ex Hyperione Thia peperit tres liberi, Sol, Luna, Aurora, de quibus nihil dicendum est. Hos porro excipiunt Crii et Eurybiae tres filii, Astraeus, Pallas, Perses, quorum si quis naturam et significationem quaerat, haec partim ex ipsorum parentumque nominibus, partim ex liberorum, quos genuerunt, natura colligi poterit, id quod alio loco facere conati sumus. Nunc tantum referenda sunt, quae in theogonia memorantur. Astraeus igitur ex Aurora ventos et Luciferum procreat, Pallas e Styge Vim, Robur, Concertationem, Victoriam, Perses ex Asteria Hecaten. Sed interpellatur hoc loco generationum enumeratio duabus digressionibus, altera de Styge eiusque liberis, altera de Hecate eiusque potestate et honore. Styx enim, quum Iupiter bellum contra Titanes gereret, omnibusque, qui partes suas amplexi

forent, magna praemia promisisset, liberos suos illi socios adduxit, quam ob causam quum ipsa honore affecta est, ut per numen eius iurando etiam immortales se obstringerent, tum filii eius comites Iovis satellitesque perpetui facti sunt. His expositis, post brevem commemorationem nuptiarum Coei et Phoebes, unde Latona et Asteria natae sunt, Asteria Persae, patrueli suo, copulata Hecaten peperisse dicitur, cuius laudes deinceps tam studiose tamque multis verbis praedicantur, ut nonnulli hunc locum, qui constat versibus haud minus quadraginta, non vere partem theogoniae sed hymnum in Hecaten esse crediderint ab aliquo interpolatore insertum. Mihi non dubium est, quin ab ipso primo compositore theogoniae intextus sit propter certam quandam rationem. Nimirum quemadmodum paullo ante Stygem eiusque liberos induxit cum Iove coniunctos eique servientes, sic nunc Hecaten item Iovi sociatam proponit: atque sicut illa coniunctione demonstratur, Iovem unum omnium validissimum esse, cuius vim ac robur nulla res frangat quique ex omni certamine victor semper evadat, sic Hecate Iovi sociata quid aliud significari dicemus, quam illam divini numinis vim et efficaciam, qua quidquid volunt dii facile etiam ex longinquo perficiant, — eam enim Hecates persona repraesentari alibi docuimus[18], — hanc igitur omnem Iovis factam esse, ab eoque, postquam rerum potitus sit, gubernari atque dispensari? Hoc est enim quod dicit poeta, quum Hecaten munus suum et honorem, qualem olim habuerit, postmodo Iovis consilio ac voluntate auctum atque amplificatum retinuisse ait. Itaque duabus his digressionibus, quibus res postea demum actae anticipantur, praeparantur quodammodo auditorum animi ad proximam partem carminis, quae Iovem inductura est totius mundi rectorem ac dominum. Talem adhuc nullum cognovimus: nam Saturnum imperio potitum suspicari quidem potuimus, non autem edocti sumus a poeta: nunc vero, quum etiam sub Saturno quae validissimae in mundo potestates fuerunt ad Iovem sua sponte se applicasse dicantur, tanto cupidius huius ipsius ortum ac promotionem expectari necesse est. Et revera tali consilio haec episodia a poeta interposita esse etiam hinc manifestum fit, quod in memorandis Titanum generationibus non eum ordinem, quo illi nati dicuntur, sed alium sequitur. Nam natu quidem Coeum Crio, Crium Hyperione maiorem fecit: nunc autem primum Hyperionem, deinde Crium, tertio loco

18) In dissert. de Hecate Hesiodea, p. 13 sqq. [229].

14 Coeum posuit, scilicet ne horum duorum progenies, Styx cum filiis suis et Hecate, interposita Hyperionis eiusque liberorum mentione, a proxima parte, quae de Iovis ortu exponit, separaretur, Coeum autem, licet Crio maiorem, tamen huic postposuit, quia sic tantum longius illud de Hecate episodium apte hanc partem concludere poterat.

Sequitur iam novus rerum ordo Cronique ad Iovem imperium translatum, quod quomodo evenerit breviter indicatur. Cronus enim ex Rhea tres filias, Vestam, Cererem, Iunonem, totidemque filios procreavit, Plutonem, Neptunum, Iovem. Sed quum praedictum esset, fore ut a liberis suis regno exueretur, partus Rheae, simul atque in lucem editi erant, devorare constituit. Sic quinque interempti; Iovem autem Rhea, Terrae matris consiliis et auxilio adiuta, marito subduxit servavitque, isque mox adultus patrem opprimit, devoratos liberos rursus evomere cogit, Cyclopes vinculis liberat, armisque ab iis instructus, tonitrubus ac fulminibus, deorum hominumque imperium obtinet. His summatim expositis ad Iapeti genus oratio convertitur. Is enim restabat de duodecim Titanibus, debuitque eum eiusque progeniem poeta, si aetatis ordinem solum sequi vellet, iam ante Cronum commemorare: fuit enim aetate maior. Sed quoniam, quae de Iapeti genere dicenda erant, omnia ad Iovis regnum pertinebant, differendam hanc narrationem iudicavit ad hunc locum, ubi illum iam regno potitum accepimus. Sunt autem Iapeti quattuor filii, Atlas, Menoetius, Prometheus, Epimetheus, e Clymene, Oceani filia, suscepti. De Epimetheo nihil memoratur, nisi eum recepta prima muliere, quam Iupiter fabricari iussisset, magnorum hominibus malorum causam fuisse. Alterum, Menoetium, Iupiter propter insolentiam fulmine percussum ad inferos abiecit: tertio, Atlanti, poena iniuncta, ut caeli orbem capite suo manibusque sustineret; Prometheus denique columnae alligatus, addito insuper supplicio, ut iecur eius quotidie recrescens ab aquila depasceretur. Causa supplicii deinceps longiore narratione exponitur, unde discimus, Prometheum hominum patrocinio suscepto impietatis erga Iovem culpam contraxisse, cuius poena quum non solum ipsi, sed etiam hominibus imponatur, communem utrorumque causam esse videmus. Nec dubitari potest, quin Promethei persona nihil aliud quam pravum generis humani ingenium et sollertiae adiuncta impietas repraesentetur. Similiter autem etiam reliqui fratres vitiorum, quibus homines laborant, significationem habent, suppliciisque eorum ostenditur, quanta cum severitate impietas atque improbitas a Iove castigetur. Sic igitur etiam

hanc narrationem non absimili consilio insertam esse iudicamus, quam quae supra de Stygis filiis et de Hecate dicta sunt: scilicet ut cognoscatur Iovis imperium non modo quam validum quantisque viribus firmatum, sed etiam quam severum sit. Potuisse id magis aperte declarari non nego: nam sunt sane quaedam obscurius indicata, quae quo pertineant lectorem non satis aut peritum aut attentum facile fugiant: sed nimirum id genus lectorum poeta suo iure deprecabitur. Alia contra prolixius, quam opus esset, explicari videntur, veluti sexus muliebris vitia quantumque ex iis malorum in hominum vitam redundet, quem locum non miramur multis vehementer displicuisse, iis praesertim, qui melius de mulieribus sentirent. Neque ego eum laudare volo; hoc tantum dico, imperite facere, qui versus illos suppositicios et ab hoc loco alienos esse dictitant: nam si abessent, intelligi plane non posset, qua ratione mulier poenae causa creata et ad homines adducta esse diceretur.

Iustius reprehenditur proxima pars theogoniae, quae est de bello Iovis cum Titanibus, non modo propter initium nimis abruptum, sed etiam propter ipsam belli narrationem mancam atque imperfectam. Neque enim declaratur qui fuerint Titanes, qui arma contra Iovem moverent [19]), illine duodecim, quos adhuc solos cognovimus, sed quos omnes Iovi adversatos esse prorsus incredibile est, an, si horum unus et alter favisse potius Iovi censendus sit, quinam ceteri fuerint, quos sat multos fuisse vel φαλάγγων vocabulum v. 676 ostendit, neque de causa belli edocemur, utrum deiecto iam Crono Titanes arma sumpserint, quo illum restituerent, an prius quam deiiceretur, ut regnum eius tutarentur. Neque causa tantum belli in obscuro est, sed de certaminis ipsius tenore atque decursu hoc unum audimus, decem annis continuis aequo Marte pugnatum esse, donec tandem Iupiter Terrae monitu Centimanos carcere, quo inclusi olim a Caelo fuerant, emiserit sociosque asciverit, quorum deinceps robur et fortia facta sic extolluntur, ut horum primae partes in victoria, Iovis tantum secundae, ceterorum deo-

19) Murium si audias, p. 413, multo etiam gravius poeta peccasse dicendus erit. Nam, inquit, „we are told that he (Iupiter) did not obtain possession of his empire until after an exterminating war against those very uncles, previously (v. 501 sqq.) described as his friends.“ Scilicet vir doctissimus miro et vix excusabili errore Cyclopes, v. 501 sqq. significatos, confundit cum Titanibus, v. 630 sqq.

rum nullae fuisse videantur. Haec omnia profecto eiusmodi sunt, ut non immerito suspiceris, ex aliqua Titanomachia partem quandam excerptam a theogoniae poeta et operi suo insertam esse, qui quum ostendendum putaret, quantis certaminibus opus fuisset ad Iovis imperium firmandum et stabiliendum, ipse autem aptiorem horum certaminum narrationem componere nequiret, tantum quantum posset fecerit, ut aliena, licet non satis apta, qualitercunque cum suis consueret. — Neque minus mira et reprehensione digna sunt, quae de Tartaro vicinisque mundi regionibus huic parti subiunguntur. Nam quum in Tartarum Titanes deiecti sint, nunc ubinam ille locus sit et qualis eius facies, quique in proximis regionibus aut infra terram aut in ultimis eius finibus habitent, centum haud minus versibus exponitur, et ita exponitur, ut nullam aliam carminis partem plura magisque aperta ineptae compositionis indicia prae se ferre dicas. Nam non modo repetitiones insunt inutiles et molestae, sed multa etiam inter se pugnantia, quae conciliari et ad unitatem notionis revocari nullo modo possint: ne dicam de prolixitate descriptionis supra modum ac proportionem reliqui carminis, quod quum totum, si a prooemio discesseris, versus habeat circiter nongentos, quumque res etiam gravissimas brevius non raro quam velles perstringat, quis non miretur, tam magnam eius partem in huiusmodi rebus consumi, quae ad summam argumenti haud sane multum faciant? Agnoscemus igitur in hoc loco compilatorem, qui quae passim apud poetas de Tartaro extremisque mundi partibus dicta invenisset, satis imperite coagmentarit, neque absimile vero est,
16 hanc coagmentationem non ipsi primo carminis compositori, sed diasceuastae cuiusdam malae sedulitati imputandam esse: ac de nonnullis quidem versibus quin spurii sint dubitari prorsus non potest[20]).

Subiungitur deinceps alia narratio de Typhoeo, Terrae et Tartari filio, eiusque contra Iovem certamine, in qua narratione item non pauca sunt, quae attentum lectorem summopere offendant. Sed de his quoniam alibi accurate a nobis disputatum est[21]), nunc taceri posse videtur. Hoc tantum dicemus, totam narrationem pro insiticia, h. e. non ab ipso theogoniae compositore, sed ab aliquo interpolatore inserta haberi posse propterea, quod in proximis post eam versibus 881—885, ubi transitus fit ad regnum a Iove ordinatum subolemque

20) Cf. dissert. de extremar. mundi partium descriptione p. 338.
21) In diss. de Typhoeo Hes. p. 342 sqq.

eius enumerandum, Titanum quidem certamen commemoratur, de Typhoei autem certamine plane tacetur, licet is in superioribus versibus 820 sqq. statim post devictos Titanes exortus esse dicatur, unde non immerito colligas, ei, cuius illi versus 881—885 sunt, Typhoei certamen ignotum fuisse. Nisi quis dicat, exortum quidem tunc Typhoeum esse, sed contra Iovem aliquo demum post tempore insurrexisse, constituto iam huius regno et liberis ab eo eiusque fratribus procreatis, poetam autem uno loco et de natalibus Typhoei et de eius certamine, quamvis posteriore, dicendum iudicasse, quemadmodnm etiam de Promethei contra Iovem delictis statim post eius natalia exposuit, licet is quoque longe serius, dudum devictis Titanibus stabilitoque Iovis imperio deliquerit. Quamquam in Prometheo quidem res ipsa per se satis aperta est; in Typhoeo non item. Neque tamen facile erat, alium ei et commodiorem locum dare, quandoquidem inter generationum enumerationem a v. 886 usque ad finem carminis deductam Typhoeum inseri non potuisse manifestum est. Itaque aut plane tacendum de eo aut hoc loco dicendum fuisse iudicabimus: tacendum autem non fuisse propterea, quod, quum in superiore parte carminis v. 306 de eius cum Echidna copulatione mentio iniecta esset, — nam qui ibi Typhaon dicitur, non alium quam Typhoeum esse constat, — conveniens videretur, ut etiam quis ille et unde ortus esset exponeretur. Sufficient haec fortasse ad tuendum hunc locum contra interpolationis suspicionem: ad removendum confusae et obscurae compositionis crimen non sufficiunt.

Reliqua pars theogoniae satis aequabili tenore decurrit. Nam postquam paucis verbis de ordinato a Iove imperio muneribusque inter deos distributis dictum est, enumerantur deinceps Iovis ceterorumque deorum coniugia et progenies, una tantum breviore narratione intexta. Iupiter enim quum primam uxorem Metin, h. e. Sapientiam, duxisset, futurum esse comperit, ut, si quem illa filium peperisset, is aliquando regnum totius mundi obtineret. Id igitur quominus accidere posset, Terrae matris Caelique monitu Metin gravidam, ante quam partum ederet, ipse totam imbibit suisque visceribus condidit, quo factum est, ut sapientia quidem eius et consiliis semper ut suis uteretur, liberi autem, a quibus regnum occuparetur, nasci ex ea non possent. Quid hac fabula significetur, non obscurum est: culpatur tamen a quibusdam [22]) poeta, quod Iovem non sua ipsum prudentia, sed 17

22) A Murio l. l. p. 409.

Terrae Caelique consiliis admonitum instans periculum praevidisse et cavisse finxerit, eoque fabulae sententiam obscuraverit et corruperit. Atque similiter ab eo etiam antea peccatum esse aiunt quum in Iovis tum in Saturni fabula. Nam Saturnum quoque de imminente sibi periculo non sua prudentia sed Terrae Caelique praedictionibus admoneri fecit, itemque horum consiliis instructum Iovem quum patre tum Titanibus superiorem evadere. Quod quum vera harum fabularum sententia sine dubio haec esset, ut post Caelum Saturnus, post Saturnum Iupiter propter maiorem sapientiam regnum obtinuisse dicerentur, nunc contra apud Hesiodum maiorem sapientiam non in his duobus, sed in Terra et Caelo esse videri. Nempe si sapientiam eandem esse dicimus quam fatorum cognitionem, quod tamen veteribus fortasse non ita visum est. Ili enim fatum suum etiam diis esse crediderunt, utpote qui non ab omni aeternitate fuissent, sed originem haberent ex causis quibusdam naturalibus et reconditis, unde quum ortus eorum tum sors futura penderet: huius autem fati sui non pariter omnes gnaros esse, ipsumque adeo Iovem, quamvis ceterorum omnium summum moderatorem, qui quae cuiusque sors fatalis esset cognitum perspectumque haberet, de suo tamen ipsius fato admonendum fuisse per eos, qui, quum originibus rerum ac principiis propiores essent, etiam fatorum magis gnari videri poterant[23]). Ab his igitur ille didicit in fatis esse, ut periculum ipsi a suis et Metidis liberis immineret, id tamen caveri posse, si ipse gravidam uxorem imbiberet, h. e. tutum eum a periculo fore, si summam sapientiam ipse totam suam faceret, ut nemo unquam existere sapientior posset. Saturno simile periculum praedictum, neque tamen eius depellendi ratio indicata erat, propterea scilicet, quod huic fatale erat utique imperio excidere, utpote quod alteri maiori ac sapientiori deberetur. Itaque quod ipse consilium iniit liberos interimendi, quo fatum eluderet, caruit eventu. Quod vero Centimanos Iupiter Terrae monitu liberat sociosque sibi contra Titanes adiungit, ne hoc quidem sapientiam in eo minorem fuisse ostendit. Nam si in fatis fuit, ut Centimanorum auxilio Titanes opprimi deberent, cur de fato Iupiter, salva sua sapientia, admoneri a vetustioribus numinibus potuerit, paullo ante diximus: moderari autem Centimanis solutis, immensasque eorum vires sic gubernare, ut servirent tantum ipsi, nocere autem et perturbare futuram rerum constitutionem non amplius

23) Cf. ad Aeschyl. Prometh. p. 37. 38.

possent, id vero maioris cuiusdam et excellentis sapientiae fuit, qua quum Saturnus careret, ne exsolvere quidem illos vinculis, quibus a Caelo constricti fuerant, ausus est. — Hanc igitur harum fabularum sententiam a theogoniae compositore, quamvis non disertis verbis indicatam, non tamen corruptam aut obscuratam, sed sic res relatas esse aio, ut quid significetur attentum atque intelligentem lectorem fugere vix possit. Ego autem, quo saepius ipse illum vituperavi, eo magis officii mei esse duxi, ut eum ab iniusta aliorum vituperatione defenderem. Nunc persequar quae reliqua sunt de genealogicis.

Altera Iovis coniux Themis numeratur, quae trium Horarum totidemque Parcarum mater fit; tertia Eurynome, Oceani filia, una ex iis, quae in antiquiore quadam mythologia multo ampliorem, quam qui vulgo Oceanidibus tribuitur, locum ac dignitatem habuisse videntur. 18
Huius ex Iove tres filiae sunt, quae Gratiae vocantur. Quarta uxor Ceres est, ex qua Proserpinam suscipit, mox a Plutone in matrimonium ducendam. Quinta est Mnemosyne, quae novem Musarum mater fit, sexta Latona, ex qua nascuntur Apollo et Diana, septima denique et postrema Iovis uxor Iuno est, quae Heben, Martem, Ilithyiam parit. Ipse autem Iupiter ex capite suo Minervam edit, quam Metis olim ex eius semine conceptam in lucem edere, quum deglutiretur, nequiverat. Iuno autem, hunc partum indignata et aemulata, ex semet ipsa filium parit Vulcanum. — Sequuntur Neptuni nuptiae cum Amphitrite, unde filius Triton nascitur, et Martis cum Venere, ex qua Pavor, Terror, Harmonia gignuntur. Hinc autem rursus ad Iovem oratio revertitur enumeratque quos ille filios non iustis nuptiis, sed furtivo concubitu, neque ex deabus maioribus, sed ex minoribus adeoque ex mulieribus mortalibus, sed quae postea immortalitatem nactae sunt, procreaverit, et quidem ex Maia, Atlantis filia, Mercurium, e Semele, Cadmi filia, Dionysum, ex Alcmena Herculem. Commemorantur deinde Vulcani nuptiae cum Aglaia, una Gratiarum, Dionysi cum Ariadne Minois filia, quae quum mortalis esset, Iovis beneficio immortalitatem nacta est, Herculis denique cum Hebe s. Iuventa, quam Iovis et Iunonis filiam esse supra cognovimus. His tribus hoc commune est, quod nulla ex iis progenies memoratur. Et Vulcani quidem ex Aglaia liberos ne ab aliis quidem tradi arbitror; Dionyso autem ex Ariadne a nonnullis tres filii nati esse dicebantur, Oenopion, Euanthes, Staphylus, Herculi ex Iuventa duo, Alexiares et Anicetus. Sed hi, opinor, aut nondum nati erant, quum haec theogonia componeretur, aut tam obscuri, ut

compositor eos aut ignoraret aut praetermittendos certe iudicaret in tali carmine, quod nobiliores tantum et quorum celebrata in fabulis memoria esset, complecti deberet. Ceterum sunt parva quaedam in hac parte offendicula: unum hoc, quod Vulcani cum Aglaia nuptiae non commode inter Dionysi et Herculis natalia et matrimonia interponuntur: nam rectius sine dubio fuerat, eas statim post Martis cum Venere nuptias et progeniem collocari v. 936, quo facto et frater fratrem eadem matre natum continuo sequeretur, et Dionysi itemque Herculis natalibus statim etiam matrimonia eorum subiungerentur. Nescio igitur an hos duos versus, qui sunt 944. 945, post v. 936 transponendos suadeam: nisi forte hunc, qui nunc est, ordinem compositor propterea praetulerit, quod illa tria matrimonia, Vulcani, Dionysi, Herculis, pariter sine subole commemoranda fuerunt. Altera offensio est, quod quum ceteri omnes, quorum hoc loco natalia referuntur, utrumque parentem immortalem haberent, his Hercules immixtus est, mortali matre Alcmena prognatus. Nam Semele, Dionysi mater, quamvis et ipsa mortalis nata, postea tamen immortalis facta est, quemadmodum ipse poeta nos docet v. 941. Hanc ob causam veteribus quibusdam duo illi versus de Hercule, 942. 943, spurii esse visi sunt[24]; sed iniuria, ut arbitror. Nam praetermitti Hercules a poeta propterea non potuit, quia inter deos post obitum receptus et nuptiis quoque divae Iuventae dignatus est. Accedebat autem fortasse etiam haec ratio, quod mater eius Alcmena pariter atque Dionysi Semele immortalitatem nacta
19 esse credebatur[25]): quamquam velles hoc de illa itidem ut de altera significatum. Denique v. 937 matrem Mercurii Maiam Atlantis filiam esse audimus, de nuptiis autem Atlantis et quos ille liberos genuisset nihil nec antea, quum de eius ortu referretur, accepimus, neque nunc saltem quae mater Maiae fuerit audimus, contra quam alias in theogonia fieri solitum est. Nam quod Semelae quoque et Ariadnae patres tantum, non matres, Alcmenae autem ne pater quidem memoratur: harum, utpote mortalium, diversam rationem esse apparet. Peccatum igitur in Maia esse dixeris: quamquam hoc leve et facile ignoscendum esse nemo non concedet.

Postremis septem versibus, 955—961, de Solis cum Perseide, Oceani filia, coniugio eorumque liberis Circe et Aeete, ac de Aeetae

24) Cf. dissert. de fals. indic. lacun. Th. Hes. p. 25. 26 [423].

25) Vid. Wesseling. ad Diod. IV, 58. Koch. ad Anton. Liber. c. 32.

cum Idyia, item Oceani filia, nuptiis refertur, unde Medea nata est, quam quidem, quum recentiores poetae ut mortalem mulierem inducant, antiquitus in dearum numero habitam esse satis constat. — Hinc, absolutis deorum generationibus, post brevem Musarum invocationem, sequitur enumeratio dearum immortalium, quae e mortalium virorum complexu liberos pepererunt, Ceres ex Iasione Plutum, opulentiae deum, Harmonia e Cadmo Ino, Semelen, Agauen, Autonoen, Polydorum, Callirrhoe, Oceani filia, e Chrysaore Geryonem, post ab Hercule interemptum, Aurora e Tithono Memnonem et Emathionem, e Cephalo Phaethontem, post a Venere propter pulchritudinem raptum templique sui custodem et daemonem factum, Medea ex Iasone Medeum, Psamathe Nereis ex Aeaco Phocum, Thetis e Peleo Achillem, Venus ex Anchise Aeneam, Circe ex Ulixe Agrium et Latinum, Calypso denique ex eodem Nausithoum et Nausinoum: quae omnes qua ratione a poeta hoc ordine enumeratae sint, alibi disserui, simulque etiam nullam causam esse dixi, cur hanc appendicem ab alio, quam qui superiorem theogoniam composuerit, assutam esse credamus. Iam vero manifestum est, talem dearum a viris mortalibus compressarum enumerationem propter ipsum argumenti genus non modo theogoniae, quae de deorum dearumque coniugiis et generationibus exponeret, aptissime subiungi, sed etiam alteri carmini, quo mulierum mortalium cum deis concubitus ac liberi percenserentur, praemitti potuisse: idque re vera factum esse ipsi postremi duo versus demonstrant:

νῦν δὲ γυναικῶν φῦλον ἀείσατε, ἡδυέπειαι
Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο.

Fuisse autem novimus de mulieribus deorum compressu liberos enixis carmen nobilissimum, Catalogum sive pluraliter Catalogos appellatum, eidemque, cui theogoniam, Hesiodo adscriptum. Quid igitur veri similius, quam hunc ipsum catalogum esse, ad quem per appendicem theogoniae illosque, quos supra posui, versiculos transitus factus sit? Nam quae contra hanc sententiam nonnulli protulerunt, levia omnia nulliusque ponderis esse satis a me ea, quam supra significavi, dissertatione demonstratum esse arbitror. Quodsi ab eodem homine hanc appendicem theogoniae cum clausula sua atque theogoniam ipsam compositam esse statuimus, — quod cur aliter statuatur, nulla prorsus ratio est, — consequitur necessario, aut eiusdem item hominis theogoniam esse, cuius fuerit catalogus, ad quem postrema theogoniae pars transitum faciat, aut, si alius sit, compositam certe ab hoc theogoniam

esse eo consilio, ut catalogo praemitteretur. Perfacile sine dubio foret
20 haec diiudicare, si comparare alterum carmen cum altero liceret: sic enim patefieret, quid aut similitudinis aut diversitatis intercederet vel in dicendi genere orationisque habitu, vel in compositionis artificio, vel in rerum tractatione aliisque signis eiusmodi, quae in tali causa iudicium nostrum regere debent. Nunc autem quae supersunt catalogi fragmenta et pauca et perexigua sunt, ex quibus neque universam carminis descriptionem, unde exordium ceperit quamque rationem in contexendis genealogiis sequutum sit, nec qualis omnino color atque habitus fuerit, satis liquido cognosci possit. Quid? quod saepenumero, ubi Hesiodus auctor alicuius fabulae citatur, ambiguum est, catalogusne intelligendus sit, an Eoeae, alius poetae opus, sed a plerisque tamen Hesiodo tributum et cum catalogo coniunctum[26]). Hoc unum constat, in catalogo plurimas vel narrationes vel descriptiones genealogiis contextas fuisse: velut in Argonautarum fabula, quum de itinere eorum diceretur, terrarum quas peragrassent situs et miracula tam copiose descripta esse videntur, ut haec pars etiam proprio nomine *γῆς περίοδος* appellata sit[27]). Ad hoc igitur exemplum etiam in theogonia narrationes et descriptiones cum genealogiis compositas habemus, ut non immerito Diomedes, illo quem in principio huius dissertationis citavimus loco, in historica specie poeseos aut u n a c u m catalogo aut p r o catalogo theogoniam numerare potuerit. Ac de genealogica quidem huius parte manifestum esse arbitror, multas generationes non aliam ob causam commemoratas esse, quam quod eorum, qui generati sunt, frequens in catalogo mentio fieret, quo pertinet omnis Phorcynis familia: in narrationibus autem ex ingenti multitudine fabularum, quae de diis ferebantur, nonnullas tantum recipi potuisse apparet, certo quodam adhibito delectu. Institutam igitur a compositore hanc rationem videmus, ut ea potissimum narraret, quae maxime pertinerent ad caelestis ac mundani regni mutationes et vicissitudines declarandas: idque prudenter ab eo factum esse non poterit negari, quamvis in ipsis

26) Vid. Marckscheffel. Hesiodi, Eumeli etc. fragm. p. 106 sqq. impr. p. 109, et nos in censura edit. Goettling., Diurn. antiquar. ann. 1845 suppl. no. 19 p. 150.

27) Id mihi probabiliter colligi posse videtur e verbis Strabonis, VII, 3 p. 302 (tom. II p. 83 Tauchn.), ubi Ephorum dixisse refert, *ἐν τῇ καλουμένῃ γῆς περιόδῳ* apud Hesiodum Phineum ab Harpyis abripi. Alias aliorum coniecturas memoravit Marckscheff. p. 197 sq.

quidem narrationibus permulta aut desiderari aut reprehendi posse vel
ex iis, quae a nobis exposita sunt, satis appareat. Longe uberior au-
tem reprehendendi nascetur materia, si quis omnem carminis structuram
et habitum ad artis regulas examinet: nec defuerunt, qui huiusmodi
censuram strenue exercerent, notarentque partim genus dicendi varium
et inaequale, orationem modo tenuem, sine ornatu, humi repentem,
sed tamen nativa quadam simplicitate et elegantia satis commendabi-
lem, modo, ubi altius assurgere conaretur, tumidam atque inflatam et
inani quodam strepitu verborum aures obtundentem, alibi odiosam aut
earundem aut similium formularum repetitionem, quae summam artis
atque ingenii inopiam proderet, porro compositionem partium et iun-
cturam nimis saepe duram atque inconcinnam, transitum ab alia ad
aliam praecipitem et abruptum, in ipsis denique partibus tantam dissi-
militudinem, quae manifestum faceret, esse hanc theogoniam non unius
poetae opus, sed ex variis atque diversis carminibus aut carminum
partibus coagmentatam. Haec atque talia nos ipsi non semel in supe- 21
rioribus scriptionibus notavimus, quamobrem si quis censores theo-
goniae, qui adhuc extiterunt, acerrimos enumeret, vel praecipuum in
his locum nobis assignare debebit. Et tamen permagna est inter nos
ceterosque dissensio. Illi enim sic fere iudicarunt: fieri nullo modo
potuisse, ut tale carmen, tam inconcinnum atque inelaboratum, a quo-
quam vetere poeta, nedum ab Hesiodo, Homeri aemulo, componeretur:
quod quum tamen fuisse Hesiodi theogoniam magno consensu tradi-
tum sit, consequi necessario, ut ea multum diversa fuisse statuatur ab
hac nostra, ac procedente demum tempore, multis partibus amissis,
lacunisque aut plane non aut male sartis, plurimis autem alienis ad-
mixtis, in hanc quam nunc videmus formam sui plane dissimilem eva-
sisse. Nobis autem consensus ille de Hesiodo theogoniae auctore
haudquaquam eam vim habere videtur, ut non liceat rem, tanquam
prorsus incertam, in medio relinquere: de hac vero, quae nomen He-
siodi praefert, theogonia pro certo affirmamus, nullum adhuc argumen-
tum prolatum, nullum indicium demonstratum esse, unde colligi recte
possit, aliam quandam et ab hac, quae nunc est, admodum diversam
unquam a veteribus tractatam esse. Quidquid enim, ut dictum ab He-
siodo in theogonia, verbis haud ambiguis a veteribus memoratur, id
etiam in hac nostra theogonia dictum videmus, et quae a nonnullis in
contrariam partem disputata sunt, haec omnia liquido et sic ut contra
dici non amplius possit refutasse nobis videmur in dissertatione de

falsis indiciis lacunarum theogoniae Hesiodeae ante undecim annos edita. Item nulla est huius theogoniae pars, quae quidem alicuius momenti sit, quam abfuisse a veterum exemplaribus ullo idoneo argumento demonstrari possit. Non de singulis versiculis loquor, sed de eiusmodi locis, qui ad universi operis descriptionem pertinent. Horum enim nullus est, de quo non unum aut alterum antiqui scriptoris testimonium, aut certe una aut altera veterum grammaticorum annotatio extet, ex erudita schola Alexandrinorum, florente adhuc doctrina et arte critica[28]). Quodsi cui forte libeat obiicere, potuisse tamen fieri, ut ab Alexandrinis legerentur, quae aliquot ante saeculis nondum lecta, sed interim ab interpolatoribus addita essent, huic respondebitur, potuisse sane, ut alia multa, sic illud quoque fieri; reapse autem ut factum esse credamus, non eo nos adduci, quod ipsis sic placeat, sed argumenta desiderare ad rem demonstrandam idonea. — Illud autem vix dubitari posse arbitramur, quin fuerint omni tempore, qui spuriam hanc theogoniam et ab Hesiodo abiudicandam esse intelligerent. De Boeotis quidem, poetae popularibus, Pausaniae testimonio, IX, 31, 4, comperimus, eos nihil illi praeter *Ἔργα* adscripsisse, ipse autem Pausanias theogoniam certe sibi suppositiciam videri non semel profite-
22 tur[29]). Neque is hac in re Boeotorum solum fidem sequutus videri debet: sic enim ne catalogum quidem, quem sine ulla suspicionis significatione citare solet[30]), genuinum habere potuisset: sed habuit il-

28) Quae extant scholia in theogoniam a Byzantinis magistris mediocriter doctis et perquam saepe ineptis conscripta esse apparet: sed insunt tamen nonnulla ex eruditis Alexandrinorum commentariis derivata, quae id quod a me dictum est comprobent; nam pertinent ad quamvis maiorem carminis partem. Inveniuntur talia in schol. ad v. 2. 5. 17. 68. 116. 117. 126. 134. 209. 233. 250. 287. 293. 313. 323. 326. 379. 459. 484. 565. 573. 746. 767. 872. 914. 926. 934. 985. 991. 1004. De signis autem, unde dignosci haec a Byzantinorum quisquiliis possint, dixi in diss. de schol. theog. ann. 1848 edita. Aliorum vel grammaticorum vel scriptorum varii generis testimonia, in quibus nonnulla certe Alexandrinis illis non recentiora, de omnibus theogoniae partibus, e Mützellii libro de emend. th. Hes. peti possunt.

29) Vid. IX, 27, 2: *Ἡσίοδον ἢ τὸν Ἡσιόδῳ θεογονίαν ἐσποιήσαντα.* ib. 35, 1: *Ἡσίοδος ἐν θεογονίᾳ· προσιέσθω δὲ ὅτῳ φίλον τὴν θεογονίαν.* Semel tantum, I, 24, 7, theogoniam sine suspicionis testificatione citasse videri possit. Sed pertinet is locus potius ad O. et D., quorum narrationem cum ea, quae in theogonia est, confudit. Vid. dissert. nostr. de Pandora p. 21 [291].

30) Vid. I, 3, 1. 43, 1. II, 6, 3. De II, 26, 6 non liquet, utrum Catal. an Eoeae designentur.

lius iudicii etiam alias sine dubio vel rationes vel auctoritates. Et de theogonia quidem ab Hesiodo abiudicanda plerosque consensisse ipsius verba manifestum faciunt, VIII, 18, 1: *Ἡσιόδου γὰρ δὴ ἔπη τὴν Θεογονίαν εἶναι εἰσὶν οἳ νομίζουσι*: **sunt qui Hesiodeum carmen theogoniam esse credant**: nam sunt qui, *εἰσὶν οἵ*, quum dicit, paucos quosdam significat a ceterorum consensu dissensisse. Critici Alexandrini quid indicaverint, a nullo relatum esse memini; hoc tamen in aperto est, quamvis saepe ab uno aut altero eorum **Hesiodus in theogonia** citetur, hinc non consequi, eos vere Hesiodum carminis auctorem credidisse[31]). Potuerunt enim brevitatis causa tralaticio nomine uti, ubi nihil referret, verumne id an falsum esset, quemadmodum hodieque in citandis Iliadis aut Odysseae locis Homeri nomine etiam illi utuntur, qui aut alterum carmen aut multas in utroque partes Homeri esse negant, aut ne fuisse quidem ullum Homerum suspicantur. Atque eadem haec observatio etiam ad alios quosvis veteres scriptores pertinet Hesiodi theogoniam memorantes, quorum unus Aristoteles, gravissimus in huiusmodi causa auctor, comprobare observationis veritatem potest, quippe qui, licet Orpheum poetam nunquam fuisse docuerit[32]), nomen tamen eius usurpare in commemorandis Orphicorum placitis non veritus sit.

Videtur autem omnino haud admodum dissimilis Hesiodi atque Orphei conditio. Nomen utriusque clarum, sed fabulis involuta memoria, et in carminibus, quae multa utrique adscribuntur, complura ar-

31) Minus considerate Wolfius Prolegg. ad Hom. p. CCLVIII, eumque secutus Bodius, de Orph. p. 51, ex Aristoniei scholio ad Il. XVIII, 39: *ὁ τῶν Νηρεΐδων χορὸς προηθέτηται καὶ παρὰ Ζηνοδότῳ ὡς Ἡσιόδειον ἔχων χαρακτῆρα*, Zenodoto et Aristarcho theogoniam genuinam visum esse collegerunt.

32) Cic. de nat. deor. I, 38, 107: **Orpheum poetam docet Aristoteles nunquam fuisse, et hoc Orphicum carmen Pythagorei ferunt cuiusdam fuisse Cercopis. At Orpheus, id est imago eius, ut vos vultis, in animum meum saepe incurrit.** Perperam haec verba sic a nonnullis accepta sunt, quasi non hoc Arist. negasset, fuisse ullum Orpheum, sed illud tantum, poetam Orpheum fuisse. Nam manifestum est in hoc contextu Orpheum a Cicerone afferri pro exemplo rei, quae, quum **nulla** sit, cogitetur tamen, id quod fieri non posset, si cogitationes ex imaginibus tantum rerum nascerentur, quemadmodum Epicurei volebant. Veram Ciceronis sententiam perspexit is, qui saepe *οἶος πέπνυται*, Lobeckius in Agl. p. 349, neque fefellit ea C. W. J. Cronium, De Orpheo (Erlang. 1839) p. 7. 8, quamquam is Ciceronis testimonio de Aristotele diffidit, sine causa idonea, ut equidem arbitror. Sed hanc rem persequi longum est neque hoc loco necessarium.

gumentis certe non magnopere diversis. Nam praeter theogonica, seu de generationibus divinis, etiam de agrorum cultura Orpheus non minus quam Hesiodus scripsisse dicitur: porro ut Orpheum suam εἰς Ἅιδου κατάβασιν, sic Θησέως εἰς Ἅιδου κατάβασιν Hesiodum cecinisse voluerunt. Utriusque astrologica carmina ferebantur; Orphei Ὡοσκοπικά erant, Hesiodi Ὀρνιθομαντεία; denique cum illius Κορυβαντικῷ alterius carmen de Dactylis Idaeis haud inepte componemus. Hoc tamen inter eos differt, quod, quum Orphei persona sine dubio tota commenticia sit, de Hesiodo non est cur dubitemus, quin vixerit quoudam in Boeotia et carminum laude
23 inclaruerit. Crescente autem, ut fit, cum tempore fama et claritate nominis, factum est postea, quum, quae ipse cecinerat, aut periissent aut parvae tantum reliquiae eorum superessent, ut multa, quae in simili quodam genere versabantur, quam in quo illum excelluisse fama ferebat, pro Hesiodeis venditarentur, quae qui accuratius examinaret, nec hominis neque adeo aevi eiusdem esse agnosceret. Horum maxime celebratus erat Catalogus, quippe plenissimam fabularis historiae memoriam complexus, cui mox Eoeae, alius auctoris carmen sed argumenti eiusdem, adiectae, theogonia autem, ut equidem arbitror, praefixa est. Nam eiusdem hanc atque catalogum auctoris fuisse minus credibile est, siquidem ille, etiamsi forma non dissimili ex genealogiis et narrationibus mixtus, melius tamen atque concinnius compositus fuisse videtur, ut potuerit ab iis quoque qui theogoniam damnarent pro genuino haberi. Facta igitur theogonia eo consilio est, ut catalogo praefigeretur: idque consilium probabiliter statuemus eo tempore natum esse, quum primum Graeci veterum poetarum suorum opera, dispersa adhuc et particulatim habita, studiosius conquirere et quaedam quasi corpora eorum componere coepissent. Huius autem studii nullum aut prius aut celebratius exemplum extitisse comperimus, quam quod Athenis, illa omnium bonarum artium matre aut altrice, a Pisistrato editum est, qui congregatis in aula sua viris illa aetate doctissimis, Onomacrito Atheniensi, Zopyro Heracleota, Orpheo Crotoniata, aliisque compluribus, eorum opera usus est non solum in Homeri, sed in ceterorum quoque nobilium poetarum carminibus colligendis, digerendis, restituendis, quibus deinde bibliothecam omnium in Graecia primam adornavit. Et in Hesiodeis quoque quae ferebantur operibus horum virorum curam versatam esse quum per se ipsum vix dubitari possit, tum probatur Plutarchi narratione, in vita Solonis c. 20, qui

ex quodam Hesiodi carmine versum Pisistrati voluntate exemptum esse Herea Megarensi auctore tradit[33]). Plura de Orphicis testimonia sunt, in quibus Onomacritus maxime occupatus fuit, is qui et vaticinia Musaei interpolasse, et multa Orpheo supposuisse arguitur. Non mirum igitur, si, quod hic in Orphicis, id in Hesiodeis quoque alius quispiam ausus est, qui, quum catalogo sive heroum genealogiis similem quandam deorum genealogiam praemitti posse aut etiam debere censeret, supplere quod deerat ipse quantum posset conaretur[34]). Fueritne olim antiquius quoddam carmen theogonicum, Hesiodo iure an iniuria adscriptum, neque ego scio, neque sciri ab aliis posse arbitror. Si tamen fuerit, nonnihil diversum fuisse coniicio non modo ab hoc, quod nobis traditum est, sed etiam ab iis, quae homines ingeniosi hinc sollerter excerpta suo quisque modo concinnarunt aut posthac fortasse concinnaturi sunt. Reliquias autem quasdam ex antiquiore theogonia 24
in hanc nostram translatas esse non video cur credam: video potius, quae dubitationem iniiciant. Nam quum omnes theogoniae nostrae partes in duo genera dispesci possint, quorum in altero genealogiae sunt brevioresque narrationes rerum cum generationibus necessario coniunctarum, in altero autem longiores illae narrationes ac descriptiones, de Hecate, de Prometheo, de Titanum bello, de Tartaro locisque inferis, de Typhoei certamine: illud prius genus eiusmodi est, quod principale merito dixeris, et sine quo constare theogonia non possit: alterum genus adsitne an absit, minus refert. De hoc igitur nunc non loquor; sed in illo priore inesse quaedam aio ab Hesiodeo aevo aliena, et quae ad Pisistrati potius aut non longe priorem aetatem referenda videantur. Huc pertinet Nili fluvii nomen v. 338, Homero ignotum et vix ante septimum a. Chr. saeculum in Graecia vulgatum[35]), item Istri,

33) Cf. Wolf. Prolegg. p. CLVII. Mueller. Prolegg. myth. p. 399. Ritschel. de bibl. Alex. p. 54. Koechly, de Homero et epico Gr. poesi, in Diurn. antiq. ann. 1843 p. 113. Nitzsch. de histor. Hom. I p. 168. Marckscheffel. p. 161. Mure hist. litt. gr. I, p. 215. Bernhardy II, p. 168. 170 sq. Vater. de Pisistrato, in Encyclop. litt. et art. III, 15 p. 65.

34) Falsarium, opus suum veteri poetae supponentem, etiam in prooemio agnoscimus, quod quamvis interpolatum, totum tamen abiudicari ab ipsius theogoniae compositore nullo modo potest, qui prorsus contra morem veterum vatum studiose providit, ne ignorarent lectores, quis esset, h. e. quemnam se videri vellet, v. 22 sqq.

35) Certe qui nominaverit Nilum neminem invenio ante Solonem, ap. Plutarch. Sol. c. 26.

quem vix credibile est multo prius innotuisse, et Eridani, sive is Padus habendus est, quemadmodum primus Pherecydes statuisse videtur[36]), sive alius ad occidentem fluvius fabulosus. Asiam porro et Europam in Oceani filiabus numeratas, v. 357. 359, non facile aliam ob causam existimabimus, quam quod essent illae magnarum terrarum cognomines, cuius rei antiquius vestigium nullum est, quam in hymno in Apollinem Pythium[37]), quem bello sacro adversus Cirrhaeos ol. XLVI gesto posteriorem esse versus postremi fidem faciunt[38]). Neque minus huc referemus Tyrrhenos et Latinos v. 1012. 1014 memoratos, quodque Phaethon *δαίμων δῖος* Venerisque aedituus factus esse dicitur v. 990, siquidem *δαίμονας* hoc sensu, ut essent inter deos hominesque medii et illorum ministri, non ante septem sapientum aetatem a Graecis creditos esse comperimus. Etiam in sermone nonnulla sunt non modo ab Homeri, sed, quantum quidem constet, a communi vetustissimorum usu abhorrentia, velut *γέντο* pro *ἐγένετο*, *χὠ* per crasin pro *καὶ ὁ*, v. 283 et 284, *λοισθοτάτη* v. 291, aliaque fortasse plura, quae non libet conquirere, quoniam lubricum sane de omni hoc genere indicium est. Unum tamen non possum quin commemorem, pronominis reciproci vel, ut hodie loquimur, reflexivi formam compositam *ἑαυτῇ*, v. 126, siquidem harum formarum usum veteribus epicis ignotum fuisse constat fere inter grammaticos, neque ego me ullum antiquius exemplum invenire memini, ac ne inter eos quidem, qui post Pisistrati aetatem scripserunt, antiquiorem Simonide auctorem citare possum[39]).

36) Vid. Marckscheffel. p. 355 sq. et J. H. Voss. sched. crit. II p. 389.

37) V. 72. 73. et 113. 14., ubi ad templum Apollinis concursuri dicuntur *ἠμὲν ὅσοι Πελοπόννησον πίειραν ἔχουσιν, ἠδ' ὅσοι Εὐρώπην τε καὶ ἀμφιρύτους κατὰ νήσους.* E schol. Vict. ad Hom. Il. XVI, 233 p. 450 a 3, ubi Dodonus Iovis ex Europa Oceanide filius esse dicitur, nomen illud praecipue Epiro et finitimis terris impositum fuisse suspiceris. Cf. etiam Welcker. de Cret. colon. p. 51.

38) Nisi quis forte hos versus insiticios credat cum A. Schoenbornio in libello nuperrime edito, Ueber das Wesen Apollons und die Verbreitung seines Dienstes. Berol. 1854, p. 18. Mihi tamen argumenta eius parum valida esse videntur, rectiusque Matthiaeum iudicasse arbitror in ed. hymn. Hom. p. 29. Nec Murius, hist. litt. Gr. II p. 333, de versibus illis dubitat. Grotium, Hist. Gr. tom. I, p. 581 vers. germ., quid permoverit, ut hymnum antiquiorem censeret, ex eius verbis non liquet.

39) Simonidis epigramma apud Thucydidem VI, 59 (cf. Schneidewin. Simonid. reliqu. p. 165): *Ἀνδρὸς ἀριστεύσαντος ἐν Ἑλλάδι τῶν ἐφ' ἑαυτοῦ Ἱππίου*

Non miror igitur viros doctos, qui deesse versum illum in theogonia 25 non posse intelligerent, nec ferre tamen formam minus antiquam vellent, certatim ad coniecturas confugisse, quae tanto malo mederentur. Nimirum sic multi criticam exercent, ut quidquid conciliari cum praeiudicatis suis opinionibus non potest, corrigendo, ut ipsi aiunt, removeant. Ad istum igitur modum etiam illa ex rebus ducta indicia, de quibus supra dixi, removeri poterunt, si quis versus illos spurios et ab aliquo interpolatore insertos esse pronuntiet. Qui autem sobriam veri investigationem pluris faciunt, quam opinionum arbitria, haud aegre etiam illos tolerabunt et quae inde consequuntur accipient.

At dixerit fortasse aliquis: si tam sero theogonia composita est, qui fieri potuit, ut tantam mox vetustatis opinionem et auctoritatem nancisceretur[40]? Respondemus idem, quod in Orphicorum causa non dissimili a Lobeckio, viro summo, responsum est: „Si Galenus in bibliopolarum tabernis libros sibi ipsi inscriptos repperit, quorum nullam litteram agnosceret, si illius Viterbiensis dominicani aequales fabulas paene sub oculis ipsorum confictas crediderunt, Platonis quoque aevo carmen et condi a falsariis et pro dudum condito afferri potuit“[41]). Quanto magis igitur Pisistrati aevo, sub ipsis nascentis modo litteraturae et eruditionis initiis, quo tempore quotus quisque ad criticam exercendam instructus paratusque fuisse videbitur? Sed Pisistrati aevum quum dico, nolo hoc sic intelligi, quasi non alibi quam in huius aula et ab iisdem, a quibus Homerica, Orphica aliaque collecta esse constat, etiam hanc Hesiodeorum collectionem, quae theogoniam catalogo praefixam haberet, confectam esse pro certo statuam. Non improbabile hoc esse dixi: ceterum si quis eodem aevo etiam alibi quam Athenis brevique vel ante Pisistratum vel post eum tempore similes poetarum collectiones factas esse sumat, equidem non intercedam; quamquam in huiusmodi quaestionibus, ubi certo sciri nihil potest, id potissimum amplectendum suaserim, quod maximam habeat veri si-

Ἀρχεδίκην ἥδε κέκευθε κόνις. Ceterum apud Aeoles usus horum compositorum sine dubio antiquior fuit. Cf. Goettling. ad Th. v. 470 et Ahrens. dialect. Aeol. p. 126. — Zenodotum etiam Homero formam compositam tribuisse ostendunt schol. ad Il. I, 271. XIV, 162.

40) Sic fere vir doctissimus, I. Caesar, in dissert. de Hesiodi Theogonia eiusque censoribus, Diurn. antiqu. ann. 1843 p. 423.

41) Aglaoph. p 611.

militudinem. Auctoritas autem theogoniae qualis et quam magna fuerit, non satis mihi compertum esse fateor. Loquuntur de **poetica** auctoritate, hoc est, si recte mentem eorum accipio, de auctoritate apud poetas, qui de stirpibus cognationibusque deorum eadem fere, quae in theogonia sunt, referre soleant. Atqui facile foret non pauciorum cum illa dissensum quam consensum demonstrare; deinde, si maxime omnes consentirent, nihil tamen hinc de carminis illius auctoritate consequeretur, quandoquidem eius compositor fabulas non ipse primus confinxit, sed quas traditas accepit, adoptavit. Possit aliquis eodem iure de philosophica aut etiam de historica theogoniae auctoritate loqui. Quippe ex philosophorum numero iam Pherecydes ille Syrius, aequalis eius aetatis, qua ego theogoniam compositam esse statui, **chaos** ab Hesiodo sumpsisse idque aquam interpretatus esse creditur[42]. Quasi vero constet, neminem ante compositam theogoniam de chao loquutum esse. Plato porro et Aristoteles theogoniae ut
26 Hesiodei operis aliquoties mentionem faciunt. Id autem quam vim habeat, iam supra exposui. Neque vero Zenonem, Chrysippum aliosque Stoicos, qui theogoniam interpretati esse dicuntur[43], aliqua auctoritatis ac vetustatis persuasione, sed hac potissimum ratione permotos esse crediderim, quod in nullo alio carmine tam multas fabulas in brevi conspectu positas viderent: Hesiodine illud an alius auctoris, tribusne an sex ante saeculis compositum esset, quaerere nihil attinebat. — Videamus nunc historicos. Acusilai ferebantur genealogiarum libri, in quibus maxime Hesiodum sequutus esse eiusque versus in prosam orationem convertisse dicebatur, ita tamen, ut plurima corrigeret[44]. Apertum est, id de catalogo potissimum accipiendum esse: quamquam etiam theogonica multa ab illo tractata esse ex fragmentis intelligitur. Nec minus apertum est, qui factum sit, ut Hesiodeis car-

42) Achill. Tat. in Arat. Phaen. p. 123 Petav.: *Θαλῆς ὁ Μιλήσιος καὶ Φερεκύδης ὁ Σύριος ἐν Θεολογίᾳ ἀρχὴν τῶν ὅλων τὸ ὕδωρ ὑφιστῶσιν, ὃ δὴ καὶ χάος καλεῖ ὁ Φερεκύδης, ὡς εἰκὸς τοῦτο ἐκλεξάμενος παρὰ τοῦ Ἡσιόδου.*

43) Cic. de nat. deor. I, 14, 36. 15, 41.

44) Clem. Alex. Strom. VI, p. 278 Sylb. (tom. III, p. 112 Klotz.): *Τὰ Ἡσιόδου μετήλλαξαν εἰς πεζὸν λόγον καὶ ὡς ἴδια ἐξήνεγκαν Εὔμηλός τε καὶ Ἀκουσίλαος οἱ ἱστοριογράφοι.* Ioseph. ctr. Apion. I, p. 1021 et Euseb. pr. eu. X, 7, 7 (tom. II, p. 80 Hein.): *Περίεργος ἂν εἴην ἐγὼ τοὺς ἐμοῦ μᾶλλον ἐπισταμένους διδάσκων, ὅσα μὲν Ἑλλάνικος Ἀκουσιλάῳ περὶ τῶν γενεαλογιῶν διαπεφώνηκεν, ὅσα δὲ διωρθοῦτο τὸν Ἡσίοδον Ἀκουσίλαος.*

minibus usus esse crederetur: ab iis nimirum, qui Hesiodum, aliquot saeculis antiquiorem, theogoniae et catalogi auctorem esse non dubitarent; ipsum autem Acusilaum Suidas ait aeneas quasdam tabulas a se usurpatas affirmasse, in patris sui domo effossas[45]). Non magis auctoritatem theogoniae demonstrant quae de Eumelo legimus. Ferebantur etiam huius libri, in quibus pariter atque Acusilaus Hesiodum sequutus esse credebatur[46]): nempe eandem ob causam, antiquiorem scriptorem recentior. Re vera autem, quum Eumelus centum fere annis ante scripserit quam theogonia componeretur, huius compositor Eumelum potius, quam Eumelus theogoniam usurpasse videri poterit. Et ne apparet quidem, hancine an catalogum in mente habuerint, qui illud de Eumelo crediderunt. — Tantum de historicis: ceterum quod modo dixi, patet latissime, estque in omni hac quaestione de auctoritate theogoniae tenendum: non liquere plerumque, ubi Hesiodus simpliciter nominatur, utrum haec an aliud quodpiam carmen intelligendum sit. Itaque Pythagoras, Xenophanes, Heraclitus, Anaxagoras, quorum nota sunt iudicia, reprehendere Hesiodum propter fabularum absurditatem atque impietatem potuissent, etiamsi theogoniam nullam nossent. Nam eiusmodi fabulis etiam catalogus et Eoeae refertae erant. Quid? quod ne Herodoti quidem illud celebratissimum testimonium, II, 53, omni dubitatione caret. Coniungit enim cum Hesiodo Homerum, qui certe theogoniam nullam condidit, sed propterea tamen memoratur, quod multa theogonica in carminibus proposuit: idem autem in catalogo quoque et Eoeis factum erat. Quamquam non dubito equidem, quin vere theogoniam Herodotus significaverit eiusque Hesiodum auctorem crediderit. Hoc idem post Herodotum plurimi fecerunt, quum veteres tum recentiores; auctoritatem autem carminis hinc effici, eamque talem, quae obstare possit, quominus theogoniam sexto demum saeculo ab aliquo collectore carminum Hesiodeorum compositam esse dicamus, id vero concedi nullo pacto potest.

Scrib. Gryphiswaldiae a. d. XII. Cal. Mart. ann. MDCCCLIV.

45) Suid. s. v. Ἀκουσίλαος. — Ceterum subditicium illud Acusilai opus fuisse criticos non fugiebat. Vid. C. Müller. fr. hist. gr. I p. XXXVII. et de tabulis istis effossis Hereher. in diss. Ueber die Glaubwürdigk. d. n. Gesch. des Ptolemaeus Chennus, in Annal. phil. et paed. suppl. N. F. I (ann. 1856) p. 278 (12).

46) Cf. de his Eumeli libris Markscheffel. p. 223 sqq., cuius sententiam p. 226 propositam merito probat C. Müller. Fragm. hist. Gr. tom. II p. 20.

COROLLARIUM.

Quod in superiore dissertatione p. 499 dictum est, si quis censores theogoniae qui adhuc extiterunt acerrimos enumeraret, in his locum vel praecipuum mihi assignatum iri, id quo pertineret et quo iure dictum esset neminem latere posse putabam, qui priores meos libellos perlegisset. Nam non uno loco neque verbis obscuris aut ambiguis, sed aliquoties et planissime sic me indicare professus sum, ut hanc theogoniam non ab uno poeta uno tanquam fetu ingenii editam, sed e variis variorum poetarum carminibus aut carminum partibus ab aliquo compositore concinnatam esse censerem, qui, quum narrationem contexere vellet de deorum originibus imperiique ab aliis ad alios translati vicibus, mutuaretur ex aliorum carminibus si quid consilio suo aptum videretur, quae autem deessent ad absolvendum hoc corpus theogonicum, ipse de suo suppleret, sic tamen, ut ultra brevem recensum generationum paucis plerumque versibus conclusum nihil adderet[47]): et rationes quoque, cur ita iudicarem, plus semel indicavi[48]). Ecce autem, extitit nuper quidam theogoniae editor, qui haec omnia non modo pro non dictis habuit, — id enim facile ferrem, — sed prorsus diversam maximeque a me impugnatam opinionem mihi attribuere non veritus est. Nam et in praefatiuncula editionis, et in commentatione de theogonia, quae Actis Acad. Berol. ann. 1856 inserta est, in iis me numerat, qui de uno aliquo theogoniae ut unius carminis poeta somniare non desierint, et quo magis appareat, quantum a meae opinionis vanitate ipsius iudicium discrepet, illud ipsum, quod ego satis a me demonstratum esse credidi, theogoniam e fragmentis inaequalibus compositam esse, tanquam adversarius contra me demonstrandum sibi sumit. Nimirum aut non legit meas dissertationes, — quamquam aliquoties, nec sine laude, earum mentionem facit, — aut miro quodam et vix credibili errore prorsus contraria eorum, quae legerat, se legisse opinatus est, aut — sed quod restat silentio premere malo. Ceterum alienorum carminum partes a compositore theogoniae contextas esse dudum ante nos alii intellexerunt; interest autem inter me et hunc meum adversarium hoc maxime, quod ego ne

47) Vid. diss. de theog. in sacr. non adh. p. 4 [465]. de interpol. II p. 10 [450]. de fals. iodic. tac. p. 7 [398] de Titan. p. 32 [121]. 34 [123] de Phorc. p. 6 [180].

48) E. c. de extr. mund. part. p. 18 [338 sq.]. de Typhoeo p. 6 [344] et p. 24 [368]. de Pandora p. 19 [287]. de Titan. p. 31 [120]. 34 [123].

illud quidem pro certo accipi posse credo, fuisse in illis carminibus etiam antiquam quandam theogoniam Hesiodeam, ille contra hoc non dubitandum esse putat, propterea scilicet, quod Hesiodum theogoniae auctorem perhiberi a multis videt. Itaque credulitate saltem me ab eo superari haud invitus agnosco. Neque illam ei laudem invideo, quod certam quandam Hesiodei characteris notitiam sese habere affirmat, qua fretus quid illo nomine dignum sit dignoscere possit, aut quod etiam Onomacriti, ut compositoris, Cercopis vero, ut interpolatoris, manum a se deprehensam esse opinatur. Haec igitur, ut non invidenda, sic ne examinanda quidem hoc tempore, sed admiranda tantum duco: sunt enim sane eiusmodi, in quae recte convenire dicas versiculum ab ipso, suae sibi virtutis conscio, confidenter de suo quodam opere usurpatum, *μωμήσεταί τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται.*

Scrib. Gryphiswaldiae d. XXI. m. Mai. MDCCCLVII.

DE SCHOLIIS THEOGONIAE.

3 Hesiodus poeta quamquam neque aetate nec gloria multum Homero inferior habitus, sortem tamen admodum diversam nactus est. Nam quum quae Homero tribuebantur duo carmina primaria inde ab initio nascentis apud Graecos eruditionis excellentium ingeniorum curis collecta et disposita, moxque magno acumine et subtili doctrina certatim explicata et emendata sint, iis contra, quae Hesiodi esse ferebantur, multo minus omni tempore curae ac studii impertitum esse videmus. Sat magnus quidem eorum numerus eodem fere cum Homericis tempore colligi et in duo fortasse corpora coniungi coeptus esse videtur; sed neque de hac ipsa collectione quidquam memoriae proditum est, neque criticorum aut interpretum studia his carminibus perpurgandis et explicandis magnopere insumpta sunt, quumque Homerica ab omnibus, etiam indoctis, assidue audirentur ac lectitarentur, Hesiodea pleraque in pauciorum hominum doctorum manibus fere deliturunt, adeoque postremo interciderunt, ut de magno numero nihil praeter duos libros haud magnos, uniusque fragmentum paullo amplius, reliquorum autem paucissimi tantum versiculi relicti sint, hic illic a veteribus citati. Atque de duobus illis libris alter, quem fuerunt qui solum ipsius Ascraei poetae esse indicarent, Opera et Dies, quosnam veteres commentatores invenerit, quaerere nunc nihil attinet: perpauca quidem ex horum fontibus in hos, quos hodie habemus, Procli, Tzetzae, Moschopuli, Ioannis Protospatharii commentarios derivata esse satis apparet. Alter, Theogonia, quum propter argumenti naturam philosophos, Stoicos imprimis, ad interpretandum invitaret, tum etiam a grammaticis non prorsus neglectus est: sed multo minus tamen quam in Iliade aut Odyssea studii in theogonia collocatum esse

haec ipsa, quae exstat, carminis forma vel potius deformitas manifestum facit, quae mihi quidem non, ut nonnulli crediderunt, medio demum aevo invecta, sed antiquitus tradita et a grammaticis Alexandrinis, licet animadversa, non tamen correcta esse videtur. Quae autem de horum studiis ad nostram notitiam perlata sunt, haec et numero perpauca et pretio fere vilia sunt, ac ne id quidem theogoniae contigit, ut plenior aliquis commentarius ex eo saltem genere, ex quo 4
est Procli enarratio Operum et Dierum, aetatem ferret. Nam nihil hodie habemus praeter pauca quaedam scholia *μερικά*, quemadmodum inscribuntur, ex uberioribus olim commentariis excerpta [1]), idque ab hominibus indoctis, qui plurima, pro captu suo, aut resecuerunt tanquam inutilia aut male excerpendo corruperunt, neque pauca futilia et inepta ipsi de suo admiscuerunt. Atque haec scholiorum conditio deterruisse recentiores editores videtur, quominus aliquid accuratioris studii in ea conferrent; nam sunt sane pleraque eiusmodi, quae corrigendi et interpretandi laborem nullo ipsa fructu rependant, neque quidquam ad Hesiodei carminis aut emendationem aut intellectum conferant. Hinc factum est, ut ad hunc usque diem ista farrago susque deque habita sit omnique corruptelarum genere scateat: quod etsi nemo magnopere doleat aut irascatur, probandum tamen certe non est, futuroque theogoniae editori videndum erit, ut scholiis quoque tantum curae impendat, quantum, si non ipsorum dignitas, huius certe, quam profitemur, artis lex et ratio postulat. Atque mihi quidem, si quando contigerit, ut theogoniae editionem talem, qualem animo informavi, perficere ipse possim, etiam scholia illa non negligere decretum est: nunc autem aliquot curae meae specimina proponere visum est, quo et iudicia virorum doctorum experiar et, si qui sint, qui opera aut consilio me adiuvare possint, horum mihi voluntatem conciliem, eorum

1) *Τὸν παλαιὸν ἐξηγητήν* laudat Ioannes Diaconus p. 468 Gaisf., ubi quae affertur verbi *στυγεῖν* interpretatio, eadem legitur in schol. ad v. 383. — *Κορνούτου ἐξήγησις εἰς τὴν τοῦ Ἡσιόδου θεογονίαν* et *εἰς ἆθλα τοῦ Ἡρακλέους* in bibliotheca Laurentiana extare dicitur a Montefalconio, Biblioth. Ms. I p. 338, ut ex O. Iahnii prolegg. in Persium p. XII didici: nam ipsum Mont. librum usurpare non potui. Et polliceri commentarium in theogoniam ipse Cornutus visus est, de nat. deor. c. 17 p. 95, donec loci huius scriptura e codd. Paris. ab Osanno correcta est. Conf. Villoisoni prolegg. p. XXVII cum Osanni annotatione. De ista tamen *ἐξηγήσει* bibl. Laur., quid rei sit et quo iure Cornuto tribuatur, pervelim accuratius inquiri ab aliquo eorum, quibus Laurentiana patet.

maxime, qui ex codicibus manu scriptis aliquid, quod operae pretium sit, conferre in rem meam possint. Nam praeter eos codices, qui adhuc ab editoribus usurpati sunt [2]), extant passim etiam alii complures scholiis instructi, quumque illi quidem omnes eandem fere scholiorum farraginem offerant, quam typis descriptam legimus, fieri tamen potest, ut alia diversa et fortasse meliora in aliis servata sint. Certe in bibliotheca Casanatensi, quae Romae est ad S. Mariae supra Minervam, codicem esse audio bombycinum, saeculi XIII aut XIV, formae quartae, foliorum 86, signatum G. V, 5 (olim I, II, 6), qui fol. 58—73 theogoniam habeat cum scholiis, ac deinde fol. 74—81 *ἐξήγησιν τῆς Ἡσιόδου Θεογονίας*, ab editis scholiis itemque ab Ioannis Diaconi allegoriis diversam, quantum quidem ex paucis versiculis, pro specimine excerptis, intelligere potui [3]). Videtur interpretatio esse allegorica, eaque perquam inepta; non pigebit tamen etiam talia cognoscere, siquidem pertinent quodammodo ad litterarum nostrarum historiam: et inepta plurima ab ipsis veteribus fabularum inter-

2) In Trincavelli editione usurpati sunt tres codices Veneti, de quibus cf. I. Morellius in F. A. Wolf. Analectt. litt. III p. 263 sqq., in Basileensi codex Cantabrigiensis, denique a Gaisfordio aliquot Parisini, impr. B (no. 2708), praetereaque Schellershemianus et Bodleianus.

3) Codicis huius notitiam Th. Mommseni humanitati debeo, qui etiam de aliis quibusdam codicibus Hesiodeis in Ital. bibl. ad me perscripsit. Horum unus item Casanatensis est, G. IV, 16. olim I, 11, 10, in quo praeter Hesiodum cum scholiis extat Tzetzianum carmen theogonicum, ab I. Bekkero publicatum in Comm. Acad. Berol. 1840, porro Oppiani Halieutica, Theocriti idyllia octo priora, et Batrachomyomachia, omnia cum scholiis. Alter est Ottobonianus no. 193, qui praeter scholia in theogoniam etiam *ἐξήγησιν* habet, eandem fortasse quam Casan. G. V, 5. Tertius bibliothecae Vaticanae Palatin. no. 319, theogoniam cum commentario continens, cuius in fine hic versus legitur: *φθάσας τὸ κέντρον, ἔνθα δ' ἀρχὴ καὶ τέλος.* Sunt autem in bibl. Vatic. codices Hesiodei haud minus XLI, alii O. et D. alii theog. continentes, plerique nondum collati. Hesiodi tria carmina cum scholiis habet etiam codex Laurentianus no. 2823, qui Lennepio est Flor. D, quamquam is scholiorum nullam mentionem facit. Etiam Parisiis praeter eos, quibus Gaisford. usus est, in aliquot codicibus scholia esse dicuntur, velut in eo, qui est no. 2877, ex quo paucula quaedam a Boissonadio afferuntur in ed. Hes. p. 164. cf. Lennep. praef. p. XVI et XVIII. De codice Vindobonensi 128, qui Ioannis Diaconi allegorias habet, cf. Lambecc. comm. bibl. Vind. l. VII p. 234. Monachii tres, ni fallor, Hesiodi codices sunt cum scholiis, unus no. 283, de quo vid. F. Rankius ad Hes. Scut. p. 292, alter no. 91, de quo vid. id. p. 298, tertius Victorianus, de quo cf. Bekker. praef. ad schol. Iliad. p. III. Denique de duobus codd. Moscov. vid. Rank. p. 295.

pretibus, a Zenone, Chrysippo aliisque excogitata esse novimus, unde nonnulla etiam in hos novicios commentarios manare potuerunt, qualia si forte ad auctores relata fuerint, in lucro, si non magno, at tamen aliquo deputabimus.

De horum autem quae vulgata sunt scholiorum conditione universa iam ante hos quindecim annos vir praestantissimus, Iulius Muetzell, tam accurate et subtiliter tantoque multiplicis doctrinae apparatu disputavit[4], vix ut quidquam praeter paucas quasdam ac tenues stipulas ad spicilegium successoribus reliquerit, quamobrem etiam haec mea opera non fere nisi in levioribus quibusdam rebus versabitur, quas ille, pro consilii sui ratione, breviter tantum et summatim attigit. — Primum igitur, quod supra proposui, esse hanc scholiorum farraginem ex antiquioribus et uberioribus commentariis ab indoctis hominibus imperite et negligenter sublectam, multisque noviciis ac futilibus additamentis mixtam, id quum commune habeat cum ceteris scholiorum collectionibus longe plurimis, tum haud scio an nulla tam multis tamque manifestis in qualibet pagina indiciis prodat. Horum unum illud videri possit, quod in schol. ad v. 211 in Parcarum interpretatione legitur: *Μοίρας λέγει τὰς ἐπιμεριζούσας καὶ ἐπικυρούσας, ὡς εἴρηται, τὸν θάνατον*: siquidem nihil in superioribus scholiis de Parcis earumque munere dictum est, quo illud *ὡς εἴρηται* referatur, quamobrem omissum eiusmodi locum ab excerpente suspiceris. Verum in tam multis horum scholiorum corruptelis illud quoque haud improbabile, peccatum a describente, et *εἴρηται* pro *εἵμαρται* positum esse: quod si ita sit, in vetere commentario de *Μοιρῶν* nomine eiusque cum ΜΕΙΡΩ, *εἵμαρται*, *μέρος* cognatione aliquid dictum fuisse couieceris, unde nunc nihil relictum est, nisi quod in definitione et *ἐπιμερίζειν* et hoc, quod posui, *εἵμαρται* usurpatur. Ceterum descripsi scholii verba ut in editione Basileensi leguntur; in Trincavelliana autem haec sunt: *Μοίρας λέγει τὰς ἐπιμεριζούσας, Κῆρας δὲ τὰς ἐπιψηφιζομένας τὸν θάνατον*, omissis verbis *ὡς εἴρηται*. Quodsi quis ipsum Hesiodi versum, ad quem haec pertinent,
respiciat, non poterit non sententiam veteris interpretis rectius in 6
Trincavelliano quam in Basileensi scholio servatam iudicare, videturque is tale quid scripsisse: *Μ. λέγει τὰς ἐπιμεριζούσας, Κ. δε τὰς ἐπικυρούσας ὡς εἵμαρται τὸν θάνατον*: quamquam mallem equi-

4) De emendatione theogoniae Hesiodeae libri tres. Lips. 1833.

dem *K. δ. τὰς ἐπιφερούσας* scripsisset, cuius loco cur alterum posuerit, ratio in promptu est. Habemus igitur hoc mutilatae interpretationis exemplum, cuius generis alia plurima passim deprehenduntur. Unum quidem manifestissimum, ad v. 1002, ubi quae in vulgato scholio et mutila et corrupta sunt, integriora extant in codice Schellershemiano, quamobrem de hoc nihil opus est nunc a me dici. Aliud est in schol. ad v. 313, ubi in interpretatione hydrae Lernaeae, quam, ut Hesiodus ait, *θρέψε θεὰ λευκώλενος Ἥρη, ἄπλητον κοτέουσα βίῃ Ἡρακληείῃ*, inter alia, quae nunc omittenda sunt, haec leguntur: *σὺν δὲ Ἡρακλεῖ, ἐπεὶ καὶ ὁ καρκίνος τῇ Λέρνῃ κατηστέρισται*, quae mutila esse nemo non intelligit. Nam nec praecessit quidquam, cui illud *σὺν δὲ Ἡ.* coniungi possit, et postremorum verborum sententia absurda est. Dubitari non potest, quin vetus interpres omnem istam fabulam particulatim commemoraverit, de Herculis pugna, de eo, quem pugnae socium habuit, Iolao, de cancro a Iunone immisso, qui Herculi cum hydra pugnanti calces morderet, denique de utriusque belluae catasterismo. Vid. Eur. Ion. v. 190—201. Hellanic. et Herodor. ap. schol. Platon. Phaed. p. 89 C. Apollod. II, 5, 2, 1. Eratosth. catast. c. 11. Hygin. f. 30. Itaque vetus interpres huiusmodi quid scripsisse videtur: *σὺν δὲ Ἡρακλεῖ ὁ Ἰόλαος ἐμάχετο*, et mox: *ἔπειτα δὲ καὶ ὁ καρκίνος σὺν τῇ Λερναίᾳ ὕδρᾳ κατηστέριστο*: quorum nunc has reliquias habemus laceras et corruptas. — Mutilata sunt etiam quae ad v. 465 legimus, aliorum plane diversorum contextui perperam inserta: *ἐν τούτοις ἡ ζωή. καὶ διὰ τοῦ τελευταῖοι. πάντα γάρ, φησί, ἦν ἀφανῆ ἄνευ ζωῆς.* Scilicet pertinebant haec ad allegoricam interpretationem Iovis et ceterorum Saturni liberorum, quos pater devoratos ventrique inclusos habebat, donec a Iove liberarentur, quae qualis fuerit, ex Ioanne Diacono disci potest p. 474 Gaisf.: *Ζῆνα τὸν αἰθέρα οἰητέον. τοῦτο γὰρ ζωῆς αἴτιον.* et paullo post: *πρὸ γὰρ τοῦ διακριθῆναι τὰ στοιχεῖα ἀπὸ τῆς ὕλης καὶ τὸν οἰκεῖον ἕκαστον λαχεῖν τόπον — ἐγκεκρυμμένα ἦν καὶ ἀφανῆ. ἀφ' οὗ δὲ ὁ Ζεύς, τουτέστι τὸ ζωογόνον πῦρ, τὸν ἄνω τόπον εἴληχε — αἱ τῆς ὕλης δυνάμεις εἰς τὸ ἐνεργείᾳ* (scr. *ἐνεργεῖν*) *προέβαινον.* Itaque fratres Iovis et sorores ex huius interpretis sententia elementorum vires significabant, quae tamen quasi inclusae tenerentur neque operari possent ante quam vitali aetheris vigore, qui Iove significabatur, excitatae et vivificatae essent: qualem fabulae interpretationem non paucis veterum placuisse comperimus.

Itaque in commentario ad Hesiodum, postquam de significatione liberorum Saturni expositum fuit, sequuta haec fere conieceris: *ὁ δὲ Ζεὺς ἐν τούτοις ἡ ζωὴ, καὶ διὰ τοῦτο τελευταῖος κτλ.* [5]) — Non absimile exemplum est in schol. ad v. 529, ubi haec verba, *τέχνη γὰρ βίου ἐστίν*, nullo nec structurae nec sententiae vinculo cum reliquis coniuncta sunt, videnturque casu quodam relicta esse ex deperdita quadam expositione de Prometheo, et cur is vel punitus a Iove vel solutus sit, scilicet quod artem ad vitam hominum necessariam tradidisset. Ipsius autem scholii, cui illa verba assuta sunt, tres corruptelas quilibet facile corriget. — Sed permira est annotatio schol. Basil. ad v. 943: *σημειωτέον ὅτι δύο συλλαβῶν ἀποκοπαί εἰσιν*, quae quid sibi velit, nemo facile dixerit: quippe in Hesiodi versu, *Ἀλκμήνη δ'* 7
ἄρ' ἔτικτε βίην Ἡρακληείην, elisiones quidem duae sunt, sed has grammatici *ἐκθλίψεις*, non *ἀποκοπὰς* dicunt, neque quisquam unquam eiusmodi rem annotatione dignam habuit. Equidem ista verba ex Alcmenae nominis interpretatione relicta esse credo, qua illud ex *ἄλκιμος* et *νοῦς* factum esse diceretur. Nam ita nonnullis visum esse quum e schol. Trincav. ad hunc versum, tum e Ioanne Diacono p. 494 cognoscitur. Statuebant igitur primitus *Ἀλκιμονόην* fuisse, aut potius *Ἀλκιμηνόην*, atque hinc duarum syllabarum detractione *Ἀλκμήνην* prodiisse: quamquam apocopes nomen de huiusmodi detractione a veteribus grammaticis vix usurpatum esse credo. Ceterum ne sic quidem illud *σημειωτέον* ad haec, quibus praescriptum est, verba, sed alio pertinet, qua de re postea dicendum erit.

Non pauca autem in vetere commentario, quum ab epitomatoribus non recte intelligerentur, in alienam et absurdam sententiam corrupta sunt, cuius generis insigne exemplum est in schol. ad v. 209. Ibi in Basil. ad explicandum verbum, quo Hesiodus utitur, *τιταίνοντας*, haec scripta sunt: *θελήσεται τιμωρίαν ἀπαιτῆσαι τὸν πατέρα παρεκτείνοντα τῇ ὕβρει καὶ τίσεως ἄξια ποιοῦντα τιμωροῦντας τῇ μητρί*: in Trincav. autem haec: *τίσιν καὶ τιμωρίαν λαμβάνοντας ὑπὲρ ὧν ἠδίκησαν, ἢ τιμωρίαν παρέχοντας, ἢ θελήσαντας τιμωρίαν ἀποτῖσαι τὸν πατέρα παρεκτείνοντα τὴν ὕβριν καὶ τίσεως ἄξια ποιοῦντα*: neque multum diversa in codice Parisino sunt, quae nunc describere piget. Apparet autem haec omnia ex eodem fonte derivata esse, sed postquam semel ab uno corrupta

5) Sic fere etiam Muetzell. de em. theog. Hes. p. 480.

erant, postea magis etiam ab aliis, qui huius exemplo uterentur, perturbata. Vetus commentator ad interpretandos Hesiodi versus

φάσκε δὲ τιταίνοντας ἀτασθαλίῃ μέγα ῥέξαι
ἔργον, τοῖο δ' ἔπειτα τίσιν μετόπισθεν ἔσεσθαι,

huiusmodi quid adscripserat: *παρεκτείνοντας τῇ ὕβρει καὶ τίσεως ἄξια ποιοῦντας, τιμωροῦντας τῇ μητρί*, quae saltem non absurda erant. Verba autem in Basil. cum his coniuncta, *θελήσεται — — τὸν πατέρα*, plane non pertinebant ad hunc contextum, sed extrema erant superioris scholii: *ἀπὸ τοῦ μέλλειν αὐτοὺς τιμωρίας τίνειν ὑπὲρ τῆς τοῦ πατρὸς ὕβρεως ἕνεκα τοῦ Οὐρανοῦ παρὰ τοῦ Διὸς τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ὃς* (hoc enim addendum est) *θελήσεται τιμωρίαν ἀπαιτῆσαι τὸν πατέρα.* Haec quoque multis modis turbata esse nemo non videt. Nam quid significat *ὑπὲρ τῆς τοῦ πατρὸς ὕβρεως*? siquidem pro genitivo obiecti illud *τοῦ πατρὸς* haberi vix potest. Quod autem sequitur, *ἕνεκα τοῦ Οὐρανοῦ*, adscriptum ab aliquo erat, qui illud *ὑπὲρ τῆς ὕβρεως* disertius explicare vellet: propter iniuriam eos poenas daturos, hoc esse, propter Uranum ab ipsis violatum: atque eodem sine dubio pertinebat etiam genitivus *τοῦ πατρός*: est enim Uranus Titanum pater. Perinepte autem post *τοῦ Διὸς* addidit aliquis *τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ*, Saturnum cum Urano confundens. Remotis igitur his sordibus, veteris commentarii, si minus haec verba, sententiam tamen hanc fuisse videmus: *ἀπὸ τοῦ μέλλειν αὐτοὺς τιμωρίαν τίνειν ὑπὲρ τῆς ὕβρεως παρὰ* (aut. *ὑπὸ*, quod habet Trincav. et cod. Par.) *τοῦ Διὸς, ὃς θελήσεται τιμωρίαν ἀπαιτῆσαι τὸν πατέρα.*

Sic etiam aliis locis permultis agnoscas quidem veteris commen-
8 tarii vestigia, sed additamentis imperite insertis obscurata, velut in his, quae ad v. 379 de ventis leguntur: *Ἀργέστην: τὸν ὀξὺν καὶ καθαρὸν Ἀργέστην Ζέφυρον εἶπε. Ζέφυρον δὲ λέγει τὸν Εὖρον. Πνεῖ δὲ Ἀργέστης, ὁ καὶ Εὖρος καλούμενος, ἀπὸ ἀνατολῆς, ὁ δὲ Ζέφυρος ἀπὸ δύσεως.* Quamvis haec turbata sint, apparet tamen duas diversas *ἀργέστου* vocabuli interpretationes proponi, alteram, ut Eurum significet, alteram, ut Zephyri cognomentum sit. Utriusque interpretationis veteres auctores fuisse aliunde compertum est, scholia autem, quae descripsimus, in hunc fere modum corrigi posse videntur: *τὸν ὀξὺν καὶ ταχὺν καὶ καθαρὸν Ζέφυρον ἀργέστην εἶπε. — Ζέφυρον δὲ λέγει, οὐκ Εὖρον*: ut in altero membro significatio cognomenti proponatur, in altero autem reiiciatur

eorum sententia, qui Argesten ab Hesiodo Eurum, non Zephyrum dictum esse statuebant. Leguntur autem porro in scholiis etiam haec: *τοῦτο ἀρχὴ Ἀπηλιώτην φησί. Ζητητέον δὲ, ὅτι χωρὶς συνδέσμου Ἀργέστην Ζέφυρον εἶπεν.* Fuisse qui Argesten eundem atque *Ἀπηλιώτην* sive Subsolanum putarent, etiam Etymol. M. docet p. 136, 26, quamquam is, quem hic auctorem citat, Apollonius Rh. Argon. II, 961, hoc minime probat. Quam ob causam autem nonnulli Hesiodo hanc sententiam tribuerint, facile intelligi potest. Nam sic demum quattuor ab eo commemorati erant venti cardinales, Subsolanus eique oppositus Zephyrus, et Boreas eique Notus contrarius: et hanc causam ipsa scholia significant: *πνεῖ δὲ Ἀργέστης, ὁ καὶ Εὖρος καλούμενος, ἀπὸ ἀνατολῆς, ὁ δὲ Ζέφυρος ἀπὸ δύσεως, ὁ δὲ Βορρᾶς ἀπὸ τῆς ἄρκτου, καὶ ὁ Νότος ἀπὸ μεσημβρίας.* Neque adeo incredibile est, ipsum Aristarchum sic de Hesiodo statuisse, quamvis apud Homerum aliam *ἀργέστου* significationem esse videret, quamobrem mihi pariter atque Goettlingio haud spernenda videtur Gaisfordi coniectura, pro *τοῦτο ἀρχὴ*, quod in scholio scriptum est, *τοῦτον Ἀρίσταρχος* reponentis. In omni autem scholio videor mihi quasi quasdam lacinias deprehendere male consutas, ex uberiore diversarum opinionum expositione, primum eius, quae *ἀργέστην* pro Zephyri epitheto haberet, quo pertinent quae paullo ante posuimus *τὸν ὀξὺν καὶ ταχὺν — οὐκ Εὖρον*: deinde alterius huic oppositae, cuius reliquias habemus in verbis proximis: *πνεῖ δὲ Ἀργέστης, ὁ καὶ Εὖρος καλούμενος κτλ.* et praemissa fortasse his fuerunt haec fere: *Ἀργέστην λέγει τὸν Εὖρον*, quae postea cum superioribus perperam confusa sunt in absurdam, quam legimus, sententiam, *Ζέφυρον δὲ λέγει τὸν Εὖρον.* Proxima pars Acusilaum citat eius, quae primo loco posita est, sententiae auctorem; eodemque pertinent quae in extremo scholio leguntur: *ζητητέον δέ, ὅτι χωρὶς συνδέσμου Ἀργέστην Ζέφυρον εἶπεν*: nam hunc copulae defectum consideranti non potest non probabilior Acusilai sententia videri. Reliquae duae partes, altera Homericum vocabuli usum commemorat, altera, s Gaisfordi emendatio probatur, Aristarchi de loco Hesiodeo iudicium. — Non absimile confusionis exemplum est ad v. 371, ubi quum *Θεία* dicatur esse *ἡ κίνησις τῆς σφαίρας, παρὰ τὸ θέειν*, horum verborum tenori ineptissime interposita est plane diversa interpretatio, *ὁ θαυμασμός*, quam apparet eorum esse, qui nomen non a *θέειν* sed a *θεᾶσθαι, θηεῖσθαι* derivarent: multaque alia huius generis pro-

ferri possunt, quorum unum alterumque infra memorabimus, quoniam in eiusmodi locis inveniuntur, de quibus etiam propter alias causas dicendum erit.

9 Nihil autem frequentius est in his scholiis, quam ut variae ac diversae proponantur eiusdem fabulae interpretationes, sive omnes ex uno vetere commentario haustae — nam novimus etiam veteres allegoristas haud secus quam hos novicios saepenumero easdem fabulas non uno modo interpretari solitos, — sive ex diversis commentariis collectae, sive a Byzantinis demum magistris excogitatae, quorum ingenium quam promptum ad huiusmodi lusus fuerit vel unus Ioannes Diaconus docere potest. Ita in eo scholio, cuius iam supra mentionem fecimus, ad v. 313, de Herculis cum hydra certamine duae diversae interpretationes sunt, altera physica, ut significetur *ἡ καταφορὰ τῶν τοῦ ἀέρος ὑδάτων, ἣν Ἡρακλῆς ἀναιρεῖ, ἤγουν ὁ ἥλιος ὁ τοῦ ἀέρος ὢν κλέος*, in qua interpretatione Iuno aerem significat, calori solis, h. e. Herculi, infesta, *τῇ θερμότητι ὁ ἀὴρ ὀργιζόμενος*, altera ethica, ut virtus sub Herculis persona malitiam quamvis multiplicem, hydram multorum capitum, superare dicatur. — Item quattuor interpretationes plus minus inter se diversae componuntur in schol. ad v. 224, ubi quum unus *ἀπάτην* de omni genere fraudis accipiat, eamque noctis filiam propterea dici credat, quod homines quasi nocte mentibus offusa vindictaeque immemores fraudem committere soleant, duo alii de ipsa quidem *ἀπάτῃ* non dissentiunt, matris tamen alias rationes comminiscuntur, alter hanc, quod fere occultentur fraudes et quasi in tenebris committantur, alter autem, quod, qui fraudentur alterum, veritatem occultent et quasi nocte involvant; quartus vero de ipsa etiam *ἀπάτῃ* obloquitur: non enim malitiosam illam fraudem significari, qua homines inter se utantur, sed amatoriam mentis occaecationem, quam Venus obiiciat: *οὐ τὴν ἐν τῷ βίῳ ἀπάτην λέγει, ἀλλὰ τὴν τῆς Ἀφροδίτης*: quippe, ait, hanc interpretationem suppeditat adiecta *φιλότητος* mentio: *ἡ γὰρ φιλότης παρακειμένη ταῦτα ὑποβάλλει*. Sententia, si non vera, non tamen certe inepta, et paullo probabilior, quam quae nupero interpreti placuit, ut *φιλότης* furacitatem significaret. Ceterum in priore scholii parte diversarum interpretationum membra ita inter se mixta et confusa sunt, ut vera scriptorum sententia vix percipi possit. Digerenda erant in hunc modum: *ὥσπερ γὰρ ἐπιλανθανόμενοι τῆς τιμωρίας ἁμαρτάνομεν· διὰ τοῦτο νυκτὸς ἀπάτη*: deinde altera interpretatio: *νυκτὶ τὰ ἐν σκο-*

τίᾳ γενόμενα εἴκασται. λεληθότως γὰρ ἐπεισέρχεται: tertia denique: *ὁ γὰρ ἀπατῶν τὴν ἀλήθειαν ἀποκρύπτει.* — Diversae interpretationes perperam coniunctae sunt etiam in schol. ad v. 273: *Πεφρηδώ: τὴν ἐναλίαν τομήν* (Basil. *ποτμήν.* scr. *πομπήν*), *τὸν πλοῦν. ἐπεὶ οὖν ἐν τῷ πλεῖν ἔνι καὶ σωθῆναι, τὴν μὲν Πεφρηδὼ εἶπεν εὔπεπλον, τὴν δὲ Ἐνυὼ κροκόπεπλον, ὡς ἐπὶ κακῷ. Φρίσσει γάρ τις ἀρχόμενος τοῦ πλοῦ κτλ.* Qui *Πεφρηδὼ* de *πομπῇ ἐναλίᾳ* interpretabantur, nomen a *φορέω* deducebant aut potius a *φρέω*, quam formam veteres in compositis saltem usurparunt, *εἰσφρέω, ἐκφρέω*, possintque proxima verba, *ἐπεὶ οὖν* et quae sequuntur, aliquo modo ad hanc interpretationem pertinere videri. Sed qui porro legit *φρίσσει γάρ τις κτλ.*, intelliget sine dubio haec arctissime cum superioribus cohaerere, omniaque pertinere ad diversam nominis interpretationem, ut non ipsa navigatio vectioque maritima, sed metus potius significetur cum spe mixtus, qualem habere solent, qui maritimam navigationem ingrediuntur, *Ἐνυοῦς* autem nomine certamen cum fluctibus subeundum: quam interpretationem qui comminiscebantur, *Πεφρηδώ* non a *φρέω* sed a *φρίσσω* dictam statuebant, scilicet quoniam *Πεφριδώ* aut legebant aut certe pronuntiabant. Atque id ita esse Ioannis Diaconi comparatio docebit p. 462: *δηλαδὴ ἡ τῶν ὑδάτων περιφορὰ τῶν θαλασσίων ἐκ βάθους ὀρινομένη τὰ κύματα ἀποτίκτει τὰ φρίσσειν ἡμᾶς ποιοῦντα καὶ κραυγάζειν*, in quibus apparet *φρίσσειν* ad *Πεφριδώ, κραυγάζειν* ad *Ἐνυώ* pertinere. Quamquam videtur Ioannes ne alteram quidem originationem a *φρέω, φορέω* excludere voluisse, quum *περιφορὰν τῶν ὑδάτων* dicat, optionem scilicet in re dubia lectori permittens, quemadmodum etiam in nostra scholiorum farragine qui *οὖν* post *ἐπεὶ* inseruerunt nexum aliquem inter duas diversas interpretationes efficere conati sunt. De forma *Πεφριδώ* autem, quae et in theogoniae aliquot codicibus et saepius alibi reperitur, conf. Lennep. in annot. crit. p. 40. 41 et Welcker, de Aeschyli trilogia p. 382. — Item diversae interpretationes sunt in schol. ad v. 485, de lapide quem Saturnus devoravit. Nam prior scholii pars hunc lapidem de corpore humano, posterior de terra interpretatur. Est autem haec pars aliquot verborum omissione corrupta et in hunc modum restituenda: *τοῦτον δὲ τὸν λίθον* [*καταποθῆναι*] *λέγει* [*διὰ*] *τὸ τὴν γῆν ἀποκεκρύφθαι ὑπὸ τῆς ἀκαταστασίας τῶν ἀέρων τὸ πρίν*, eaque interpretatio hactenus certe cum Stoicorum ratione conspirat a Cornuto c. 6 p. 21 Os. tra-

dita, quod lapis ille pro terra accipitur, quamquam Stoici devorationem eius non de aeris s. nebulae ac nubium usque quaque terram involventium tumultu, sed de eius collocatione in centro mundi accipiebant. Altera interpretatio, de corpore humano, est etiam in schol. ad v. 493, quod tamen ad v. 497 potius pertinet, cuius versus etiam initium praescriptum est, *πρῶτον δ' ἐξήμεσσε λίθον.* In hoc scholio primum pro *τὴν αἴσθησιν τῶν κράσεων* scribendum erit *τὴν εἴσθεσιν* —, deinde haec ipsa verba cum iis, a quibus nunc interposito ex Hesiodo lemmate separata sunt, coniungenda esse videntur in hunc modum: *ἐξήμεσε τὰ τέκνα αὐτοῦ διὰ τῆς ἀγαθῆς βουλῆς τῇ Γῆς* (v. 494). *ἡ γὰρ Γῆ συνεβούλευσε τὸν δόλον* [*διὰ*] *τὴν εἴσθεσιν τῶν κράσεων. καὶ ὁ λίθος γὰρ τὸ* [scr. *ἐγένετο*] *σῶμα, παρόσον ἐκ τεττάρων στοιχείων.* Sententia, quantum ex his tricis percipi potest, haec fortasse est: quum Saturnus Telluris monitu (v. 463) liberos suos devorasse, moxque eiusdem consilio rursus evomuisse dicatur, significari institutam in Saturni visceribus esse elementorum mixturam, unde postea corpora ad vivendum et generandum apta, quale est humanum, prodirent. Quippe Saturnum *Κρόνον* dictum volebant *ἀπὸ τοῦ κερᾶν καὶ κιρνᾶν ἕκαστα τῶν γενεθλιωμάτων.* Sic igitur etiam ex lapide vivum corpus factum, admixtis quattuor elementis: *καὶ ὁ λίθος ἐγένετο σῶμα, παρόσον ἐκ τεττάρων στοιχείων.* — Porro in schol. ad. v. 187, quum vetus commentator Melias recte interpretatus sit de nymphis arborum, quae ad humani generis ortum pertinerent, qua de re alibi accuratius a nobis expositum est[6]), recentior aliquis homo indoctus huic sententiae suam opinionem opposuit, significari *τὴν γένεσιν τῶν ἀλόγων ζώων*, nomenque non a *μελίαις* sive fraxinis, sed *ἀπὸ τοῦ μῆλα, τὰ ἄλογα*, derivandum. Haec nunc in Basil. cum alterius interpretationis contextu perpe-
11 ram coniuncta, simul aliquot librariorum erroribus depravata sunt: *ἐκ τούτων ἦν τό γένος τῶν ἀνθρώπων. Μελίας δὲ διὰ τὸ ἅμα τοῖς δένδρεσι γίνεσθαι τὴν γένεσιν τῶν ἄλλων ζώων.* Apparet *τὴν γέν. τῶν ἀλόγων ζ.* scribendum, et haec verba plane a superioribus dirimenda esse, in quibus pro *γίνεσθαι* scr. *γενέσθαι*, ut est in Trincavelliana, quae hoc scholium aliter neque tamen melius conformatum exhibet. Sed haec accuratius persequi non opus est. Ceterum

6) In dissert. de Nymphis Meliis, Gigantibus et Erinysin, p. 11 [135] sqq.

pleraque talium additamentorum dubitari non potest quin scriptoribus imputanda sint admodum recentibus, ex Byzantina disciplina, qui quum in parvis quae etiamtum supererant veterum commentariorum reliquiis aut deesse aliquid ad interpretationem viderent, aut meliora a se afferri posse crederent, eiusmodi supplementa et correctiones de suo largirentur, quemadmodum a Triclinio factum esse ipsius professione constat, ab J. Morellio in F. A. Wolfii Analectt. litt. III p. 265 publicata. Huic igitur, ut aliquot saltem exempla afferam, debetur bella chimaerae interpretatio, ad v. 325, ubi illius imagine artem rhetoricam significari οὐκ ἀφυῶς, ut ipse ait, suspicatur; item Stygis, ad v. 400, qua nubes caelum quasi sepientes, et Oceani, ad v. 507, quo mentis celerem agitationem rerumque caelestium contemplationem designari vult. Talia non pauca sunt in hac farragine, si non ab eodem Triclinio, certe ab eius similibus profecta. A nupero autem scholiorum editore, Gaisfordio, ne id quidem provisum est, ut Tricliniana additamenta ea, quae Morellius indicaverat, aliqua nota a reliquis distinguerentur: quin nonnunquam arctissime illa cum ceterorum contextu coniuncta sunt, ne interpunctione quidem intercedente, velut ad v. 607, ubi Tricliniana sunt omnia, quae post συγγενεῖς leguntur, et ad v. 617, ubi Triclinius loquitur inde a verbis ἀλλ' ἡ τοῦ οὐρανοῦ αὖθις περίοδος, quae a superiorum contextu seiungenda, in hoc autem maiorem interpunctionem, quae nunc est ante βραχὺ δέ τι, cum minore permutandam esse suus quemque sensus docere poterat. Adscripserat autem ista Triclinius codici Veneto, biblioth. Marcian. no. 464, unde in alterum, no. 480, et, ut videtur, in Paullinum, qui nunc item Marcianus est, fluxerunt, editaque sunt a Victore Trincavello, Venet. 1537. Basileensis editio, quinquennio post Trincavellianam publicata, his additamentis caret, scholiorumque eam collectionem exhibet, quae Cantabrigiensi codice continetur, conspirans illa quidem in plerisque cum Venetorum codicum scholiis, sed non raro etiam discrepans. Et in universum aestimanti Cantabrigiensia scholia Venetis praestabiliora censeri debent: nam quum plura ac sinceriora habeant sanae ac veteris eruditionis vestigia, tum paucioribus noviciae doctrinae additamentis dehonestata sunt. In iis autem, quae utrisque communia sunt, — et sunt haec longe plurima —, saepenumero tamen rem eandem non eodem modo proponi videas: quod ubi fit, non quidem semper, sed plerumque certe meliora sunt in Cantabrigiensibus. Id nunc aliquot exemplis demonstrare lubet. Primum igitur ad v. 119 Tartarum utraque aerem inter-

pretantur terrae circumfusum et a verbo *ταράσσεσθαι* appellatum[7]): rationem appellandi in schol. Cant., quamvis corrupto, hanc tamen agnoscas, quod turbidus initio et caliginosus aer fuerit, antequam solis calore extenuaretur et purgaretur; contra Venetum si audias, aer propterea illud nomen accepit, quod solis calore ex humido statu in am-
12 plius spatium extendi eoque turbari solet. Utra explicatio praestabilior sit, dubitari non potest: comparanti autem inter se scholiorum scripturas facile apparebit, eam, quae in Venet. est, non aliunde ortam esse, quam quod scholiorum compilator, exemplum depravatum nactus, — quale etiam Cantabr. est, — ex verbis, quorum sententia corruptelis obscurata esset, aliquid saltem, quod intelligi et construi posset, efficere conatus sit. Emendationem schol. Cantabr. certam et indubitatam vix inventum iri spero, nisi hoc mihi intelligere videor, ea, quae nunc leguntur: *εἶναι δὲ εἰκὸς τοῦτο ἐξ ἐλάσσονος ὑγροῦ εἰς πλείονα ὄγκον διαχεόμενον καὶ ἀτμιζόμενον. τετάρακται δὲ μέχρι ἂν λάβῃ τὸν ἥλιον* — in hunc modum refingenda esse: *εἶναι δὲ εἰκὸς τοῦτον — — — ἀτμιζόμενον τεταράχθαι, μέχρι ἂν λ. τ. ἥ.* Significatur autem aeris illa conditio, quae fuit initio rerum, quum primum ex chao, h. e. ex humido, terra, quasi quaedam *ὑποστάθμη*, desideret, aer autem, *κατὰ ἀνάδοσιν*, tolleretur, quae Stoicorum fuit sententia. Vid. Cornut. c. 17 p. 84. schol. th. ad. v. 115 et 117. Io. Diac. p. 457[8]). — Porro ad v. 126 corruptissima quidem et difficiliora ad intelligendum quam Veneta scholia Cantabrigiensia sunt, sed ita tamen, ut, quid in vetere commentario scriptum fuerit, facilius ex iis divinari posse videatur, qua de re infra commodius dicemus. — Item ad v. 127 paullo pleniora sunt schol. Cantabr., sed propter corruptelas impeditiora: quamquam hae facile removeri possunt. Apponam totum scholium lectione et interpunctione emendata: *τὸ ἀπὸ τῆς γῆς συμβὰν ἐν αἰτίᾳ* (pro *ἐναντία*) *λέγει. Τὴν γῆν καλεῖ*

7) Cf. Lucian. de astrolog. c. 21 extr.

8) Commune scholio ad v. 115, Ioanni Diacono et Cornuto est, quod montes extitisse dicuntur *κατὰ ἐξοστρακισμὸν τῆς γῆς*, ubi *ἐξόστωσιν* potius expectaveris. Neque persuadere mihi possum, ut illud vocabulum tali significatu a Stoicis usurpatum esse credam, sed veterem in commentario Hesiodeo corruptelam subesse censeo, in scholia nostra et Ioannis allegorias, itemque in Cornuti libellum propagatam, qui quot alienis et recentissimis additamentis deformatus sit, neminem fugere potest, qui quidem sapiat. Cf. Muetzell. p. 307 et O. Jahnii prolegg. in Persium p. XI. XII.

τὴν νυγμὴν, ὡς ἂν (pro *ἐν*) *διαβήτῃ περιρραγέντος τοῦ οὐρανοῦ. καὶ τὸ πρῶτον παγὲν αἴτιον τοῦ περιρραγέντος. Οὐ γὰρ πρῶτον ἡ περιφέρεια καὶ τότε ἡ νυγμή, ἀλλὰ νυγμὴ καὶ τότε περιφέρεια γίνεται. Ἴσον δ' εἰς ὁμοίωσιν* (pro *ἡ ὁμοίωσις*) *τῆς* [*περιφερείας*] *ὁμοίας καὶ σφαιροειδοῦς.* Aliquot ex his emendationibus suppeditat etiam codex Schellershem.: pertinet autem postrema scholii pars ad Hesiodi *οὐρανὸν ἶσον ἑαυτῇ*, sc. *τῇ γῇ*. — Etiam ad v. 134 veterem commentarium paullo fidelius in Cant. quam in Ven. repraesentari vel Acusilai mentio ostendit, quae a Ven. abest. Nam Acusilai nomen pro Arcesilai reponendum esse nemo dubitabit. Ceterum vix sana sunt, quae in eodem scholio de Iapeto legimus: *ἐπεὶ γὰρ φύσιν ἔχει* (ita scr. pr. *ἔχειν*) *πάντα τὰ μέρη ἀφιέμενα πίπτειν ἄνω, τὸ τοιοῦτον εἶδος Ἰαπετὸν ἐκάλεσεν.* Scribendum puto *πάντα τὰ βάρη*, abstr. pr. concr., et *πίπτειν ἄνωθεν.* Nam Iapetum allegoristis *τὴν βαρύτητα* significasse ex Etymol. M. p. 523 extr. discimus; contrariam significationem qui probaverit, neminem novimus, de veteribus quidem: nam quae in schol. Ven. ad h. v. scripta sunt: *ἐπεὶ δὲ φύσιν ἔχει πάντα τὰ κοῦφα ἀφιέμενα πίπτειν ἄνω, τὸ τοιοῦτον μέρος Ἰαπ. ἐκάλ.*, manifestum est a correctore esse scholii iam corrupti, cuius correctio et Io. Diaconum induxit, p. 457, ut Iapetum ad ignis naturam referret, et Osannum ad Cornut. p. 293, ut in schol. Ven. *ἵπτειν* pro *πίπτειν* reponendum censeret, miro sane iudicio. — Ad. v. 135 in Mnemosynae interpreta- 13
tione sine dubio magis genuinum est, quod Cant. habet, *τὴν ἐπιμονὴν τῆς διαπλάσεως τῶν ζώων*, quam quod Ven., *τὴν ἐπίμονον διάπλασιν τ. ζ.* Nempe non ipsam conformationem perpetuam animalium illa significabat, sed causam eius et quasi moderatricem, quae curaret, ut genera formaeque animalium qualia ab initio fuerunt, talia in perpetuum recrearentur, *τὴν τοῦ συναναφέρειν τὰ γεγονότα αἰτίαν*, ut Cornutus p. 94, *ἀφ' ἧς πᾶσα ἡ ἰδιότης ἐπιγίνεται*, ut Olympiodorus ait in comm. ad Phileb. ap. Gesner. fragm. ined. p. 410. — Etiam ad v. 139 plura ex vetere commentario in Cant. quam in Ven. supersunt: nam hic de tribus Cyclopum generibus, quae Hellanicus distinxerat, nihil servavit. — Ad. v. 154 schol. Cant., licet haud incorruptum, saniora tamen habet quam Ven. Videtur autem illius scriptura in hunc modum emendanda: *ὅσοι γὰρ δεινότατοι τῶν παίδων τοῦ Οὐρανοῦ καὶ τῆς Γῆς ἦσαν, ἐμισοῦντο ὑπὸ τοῦ πατρός. Ἐπισημαίνει* (pr. *ἐσήμαινε*) *δὲ ὅτι καὶ* [pro *τὸ*]

ὑπὸ τῶν ἀδελφῶν ἐμισοῦντο, διὰ τὸ εἰπεῖν „σφετέρῳ δέ". ὁ γὰρ δὲ σύνδεσμος ἐπισημαίνει (pr. *ἐσήμαινε*) *καὶ ἄλλον* [pr. *ἄλλην*] *τινά. ἐπεὶ εἶχεν εἰπεῖν σφετέρῳ μόνον.* (pr. *σφετέρων μόνων ἄλλων.* Et hoc quidem *ἄλλων* in *Ἄλλως* mutari debet: subiungitur enim aliud scholium.) — Denique ad v. 215 de Hesperidibus multo locupletius schol. Cant., quam Ven., sed simul eiusmodi est, ut ex uberiore commentario indiligenter excerptum esse appareat, atque insuper una manifesta corruptela affectum. Nam quod Herculis mentio fit, qui solem significet, isque *τρυγῆσαι τὰ μῆλα* dicitur, addita etiam huius rei interpretatione, quamvis nihil de hac fabula in hoc Hesiodi loco dictum sit, id vix aliter explicari posse videtur, quam fuisse in vetere commentario omnem Hesperidum historiam fabulosam paullo copiosius memoratam, atque hinc ea excerpta esse, quae nunc in schol. legimus. Quod autem scribitur *ὅτι παρερχομένου τοῦ ἡλίου ἐμφαίνονται τὰ ἄστρα*, perversum et veritati contrarium esse apparet. Ortum vitium ex omissione negationis et permutatione litterarum *ἐμ* et *ἔτι*, scribendumque *οὐκ ἔτι φαίνονται.* — Satis mihi his exemplis probasse videor, id quod supra posui, multa in schol. Cant. meliora quam in Ven. esse; possunt alia proferri, in quibus Veneta scholia praestant, pauciora tamen et minoris fere momenti, quamobrem de his nunc dicere nolo. Sed unus locus est perquam memorabilis, nec silentio praetermittendus. Nam ad eos theogoniae versus, qui sunt de muliere Iovis iussu a Vulcano facta, quum in Cantabr. scholiis nihil annotatum sit, scholia Ven. solitum sibi interpretationis modum longe excedunt, simulque nonnulla afferunt, quae ad geminum potius locum in O. et D., quam ad hanc theogoniae partem pertinent, veluti p. 429 extr.: *ἐκ τεσσάρων στοιχείων συνέστησε σῶμα: καὶ ὁ μὲν ποιητὴς τὰ τρία κατέλεξε*, quae respiciunt ad O. et D. v. 60, *Ἥφαιστον δ' ἐκέλευσε γαῖαν ὕδει φύρειν*, ubi *Ἥφαιστος* ignis esse videbatur, terram aquae copulans. item p. 430: *τὸ „ἀθανάταις δὲ θεαῖς εἰς ὦπα ἐΐσκειν"*, quae sunt ex O. et D. v. 62. Dicemusne igitur haec ex aliquo in O. et D. commentario huc translata esse, quemadmodum Muetzellio visum est p. 347? an theogoniae interpres, non alienum ratus hoc loco alteram eiusdem fabulae narrationem simul tractari, de suo ipse penu haec exprompsit? Sic potius ut statuam, permoveor verbis, quae p. 429 leguntur: *ὁ ποιητὴς οὗτος*
14 *ἐν τοῖς ὄπισθεν τὴν χείρονά φησιν Ἔριν ὑπ' ἀνάγκης τιμᾶσθαι παρὰ τῶν ἀνθρώπων*, quae pertinent ad O. et D. v. 15. Nam in

commentario ad O. et D. qui Pandorae fabulam tractabat, non potuit, quae in eodem carmine de Eride dicuntur, ἐν τοῖς ὄπισθεν, sed debebat ἐν τοῖς ἔμπροσθεν proposita dicere. Nisi quis illud ipsum consulto factum esse dicat, quo celaret hanc annotationem aliunde translatam esse. Verum in ipsa hac annotatione tam multa sunt ad solam theogoniam, non ad alterum carmen spectantia, eaque cum ceteris arctissime cohaerentia, ut horum scriptori non opus fuisse credam aliena compilare. Utut est, hoc certe apparet, habuisse eum corpus carminum Hesiodeorum uno codice comprehensum, in quo theogonia Operibus praemissa, non, ut in plerisque qui hodie extant utriusque carminis codicibus, subiuncta esset: eamque collocationem sine dubio veriorem iudicabant, quicumque, cum Proclo ad O. et D. v. 51, etiam ab ipso Hesiodo theogoniam prius editam esse ex hac ipsa de Pandora narratione sibi intelligere videbantur.

Verissime autem illud a Muetzellio observatum est, tantam esse multis locis Venetorum scholiorum cum Ioannis Diaconi allegoriis similitudinem vel potius congruentiam, ut aut scholia ab Ioanne, aut Ioannem a scholiorum scriptore compilatum esse appareat, contra multo minorem Cantabrigiensi cum Ioanne necessitudinem intercedere. Atque ea quidem, quae aut Ioannes cum solo Cantabrigiensi, aut omnes tres inter se participant, ita fere comparata sunt, ut ex communi fonte quum ad Ioannem tum ad scholiorum compositores permanasse videantur, h. e. ex vetere commentario, quem Ioannes ipse p. 468 significat, τὸν παλαιὸν ἐξηγητήν citans. Conspirantes enim in universum sententiae verbis tamen plus minus diversis proponuntur, id quod facile apparebit, si quis locos a Muetzellio p. 346 indicatos inter se contulerit, quibus addi poterunt scholl. ad v. 115. 182. 215. 237. 886. 931. 938. cum Ioann. Diac. p. 556, 11. 558, 27. 559, 35. 568, 16. 598, 13. 601, 21. 602, 9 ed. Lips. sive p. 457. 459. 460. 466. 490. 492. 493 ed. Oxon. Contra si quid Cantabrigiensia scholia sine interpretatione praetermittunt, cuius in Venetis scholiis interpretatio extat, haec eadem semper fere etiam apud Ioannem reperitur, itemque si de duabus diversis interpretationibus alteram Cant., alteram Ven. scholia habent, hic quoque Ven., non Cant., cum Ioanne conspirare videmus. Prioris generis exempla sunt ad v. 178. 240. 328. 899. 902. 904. 912. 913. 930. 934. 937. 940. 945. 947. 957. quae cf. cum Ioann. p. 459 (558, 26). 461 (501, 15). 466 (567, 36). 490 (598, 29) 491 (599, 24. 34. 600, 9. 17) 492 (601, 13. 23.) 493 (601, 28.

602, 20. 603, 14). 494 (603, 18). 495 (604, 35. 605, 14); alterius autem ad v. 319. 907. 943. 975, cum Ioann. p. 465 (566, 3). 491 (600, 2). 494 (603, 7). 496 (605, 1). Neque raro, quae in Ven. aut corrupta aut propter epitomes brevitatem obscurata sunt, integriora apud Ioannem leguntur, unde emendari illa aut illustrari possunt, veluti in schol. ad v. 185 pro *τοὺς ἐπιβαίνοντας μόχθους* nemo dubitabit, quin ex Ioanne p. 459 *τοὺς ἐπισυμβαίνοντας* legendum sit; item ad v. 240 pro *ὅσα — — σημαίνει* scrib. e p. 461 *συμβαίνει.* et ad v. 936 in Cadmi nominis interpretatione pro *μέρη τῶν πόλεων καταδεδασμένα* scrib. e p. 493 *καταδεδαμασμένα*, siquidem *Κάδμον* a *καταδαμάζειν*, non a *καταδάζεσθαι* dictum volebant. Poteram, si opus esset, eiusmodi plura proferre, quorum nullo superiores editores usi sunt. Quae autem in schol. ad v. 299 de Echidna leguntur, *ὄφιν* eam dici *δεινόν τε μέγαν τε, διὰ τὸ ῥοιζηδὸν τελεῖσθαι καὶ σφοδρότερον φαρμακεύειν*, vix quisquam satis intelligere potest, nisi ex Ioanne p. 464 pleniorem Echidnae interpretationem cognoverit: significari noxios vapores, quales, quum terra movetur, ex eius sinu et cavernis exhalantur, eosque cum serpente comparari, quoniam cum fragore existant et quasi veneno quodam noceant: *διὰ τὸ κάτωθεν τὴν τοιαύτην ἀναθυμίασιν ῥοιζηδὸν ἐπιτελεῖσθαι καὶ σφοδρότερον φαρμακεύειν.* — Item vix rationem perspicias, cur in schol. Ven. ad 325 *Βελλεροφόντης* dicatur *ὁ ἥλιος ὁ τὰ βέλη τὰ ῥέοντα φονεύων*: sed Ioannes p. 465 docebat, *τὰ ῥέοντα βέλη* torrentes esse hibernis imbribus effectos, *τοὺς χειμάρρους*, quos etiam Chimaerae nomen significet, Bellerophontem autem solem dici, quoniam imbribus hibernis finem faciat, eoque torrentes illos interimat, nomine a *βέλος*, *ῥέω* et *φονεύω* ducto. — In schol. ad 328: *Ἥρη — ὁ ἀὴρ ὁ κυδρορρόας ἤτοι ὁ δοξαζόμενος διὰ τῆς βροχῆς*, vereor ut recte intelligantur absque Ioannis interpretatione, qui hanc rationem subesse demonstrat, quod Iuno, h. e. aer, a Iove honoretur, quum is coniugis in gremium descendat, imbribus scilicet effusis. Nempe *κυδρὴν* hi interpretes, non *κυδνὴν Διὸς παράκοιτιν* apud Hesiodum legebant, idque adiectivum e *κῦδος* et *ῥέω* factum rati, quasi *κυδορρόαν*, (ita enim ap. Ioannem legitur,) aerem designare volebant, cui *κῦδος* impertiretur *ταῖς ῥοαῖς τῶν ὑδάτων.* — In schol. ad v. 899, ad explicandam fabulam de Metide a Iove devorata haec leguntur: *ὁ λόγος τὴν κακὴν βουλὴν περιλαβὼν ἔνδον τῆς ἑαυτοῦ κοιλίας περιέκλεισεν.* Suspiceris, quemadmodum Iove *τὸν λόγον*, sic

Metide *τὴν κακὴν βουλὴν* significari: sed hic quoque veram rationem Ioannes aperit p. 490: *ὁ δ' ὑπὸ Διὸς κωλυθεὶς γεννηθῆναι ἐκ τῆς Μήτιδος παῖς ὑπέρβιον ἦτορ ἔχων πάντως ἡ κακοβουλία ἐστὶ καὶ ἡ ἐξ αὐτῆς φαύλη πρᾶξις. Τάχα γάρ ἐκ τῆς βουλῆς* (haec Metis est), *μήπω τῷ λόγῳ συνελθούσης καὶ τῇ ὀρθότητι τῆς διανοίας, ἀποτίκτεται τὰ φαῦλα βουλεύματα.* Sunt haec pauca de multis, sed quae sufficiant tamen ad id quod volui demonstrandum. Neque illud cuiquam obscurum esse potest, quod iam Muetzellius pronuntiavit, scholiorum compositorem ex Ioanne, non hunc ex illo hausisse. Sunt autem aliquot interpretationes scholiorum, quarum geminae etiam in Etymologico M. inveniuntur; sed in his quoque Cantabrigiensium et Venetorum dispar conditio est, ut altera ex simili quodam atque Etymologicum fonte, altera ex hoc ipso derivata videantur. Nam quae in Cant. ad v. 134 de nominibus Titanum, et ad v. 135 de Rhea leguntur, ex parte quidem, non tamen plane cum Etymol. p. 523, 50 et 701, 18 congruunt; contra Venet. ad v. 459 de *Κρόνῳ*, et ad v. 594 de apibus tam similia sunt iis, quae Etymol. habet p. 540, 8, et 713, 21 ut altera ex alteris descripta esse appareat: quumque Etymol. p. 540, 24 Photius auctor citetur, non Etymologum scholiis, sed scholiorum compositorem Etymologico usum esse consequitur.

Iam de iis scholiorum locis dicendum est, qui *σημειώσεις* grammaticorum et *ἀθετήσεις* commemorant, quos manifestum est omnes ex vetere et erudito commentario servatos esse. Sunt autem, qui quidem disertam eiusmodi mentionem habeant, praeter unum omnes in Cantabrigiensi tantum scholiorum collectione, quae res vel sola demonstrat, quantopere illa Venetis scholiis praestent. Primus ex hoc genere locus est in schol. ad v. 17: *σημείωσαι δὲ ὅτι δύο Ἀφρο-* 16
δῖται, ὧν τὴν μίαν συνέζευξε Θέμιδι, ἀρχαιοτέραν οὖσαν. Duas de Veneris ortu sententias a vetustissimis poetis prodi nemo ignorat, quum aut mari prognata dicatur, Caeli genitalibus immissis, aut Iovis ex Dione filia, quorum alteram Hesiodus proposuit theog. v. 188 sqq., alteram Homerus, impr. Iliad. V, 370. Hac fabularum diversitate inducti posteriores Veneris numen in duas personas dispertiverunt: quin fuerunt qui plures etiam facerent, ut apud Ciceronem d. n. d. III, 23 quattuor enumerantur, poteratque etiam hic numerus facile augeri; sed nihil opus est talia nunc persequi. Plerique tamen duas Veneres statuebant, alteram *ἀμήτορα* illam Caelo ortam, quae Urania dicta est, alteram Dionae filiam, quam quidem, tanquam *πάνδημον*, non intelle-

cta vera huius cognominis ratione, Caelesti illi oppositam credebant[9]). Ceterum veteres Hesiodi interpretes ut maiorem Venerem in prooemio theogoniae memoratam crederent', praeter eam causam, quam ipsa scholia inlicant, scilicet quod aptius hanc quam alteram cum Themide, Caeli item filia, componi censerent, etiam hoc sine dubio permovit, quod minoris Veneris, Dione prognatae, nullam prorsus in ipsa theogonia mentionem fieri videbant. — Plus difficultatis obiiciunt schol. ad v. 117, ubi in Cantabr. haec leguntur: *Ζήνων δὲ ὁ Στωϊκὸς ἐκ τοῦ ὑγροῦ ὑποστάθμην [τὴν] γῆν γεγενῆσθαί φησιν, ὅθεν ἐγαγόμενος* (sic) *ἀθετεῖ τοὺς στίχους:* in Venet. autem haec: *διὰ τοῦτο καὶ Πλάτων αἴτιον τοῦ κόσμου τὴν γῆν φησιν ἐν τῷ Φαίδωνι, ὅθεν ὁ ἐπαγόμενος ἀθετεῖται στίχος.* Utraque corrupta esse apparet. Quo sensu terra mundi causa dici potuerit, intelligitur e schol. ad v. 127: quoniam scilicet terra mundi centrum est, centrum autem causa videbatur orbis circumducti. Sed neque dictum hac de re a Platone est in Phaedone, neque facile perspicias, quomodo propter huiusmodi rationem proximus versus 118 damnari potuerit. Quamquam hoc quidem aliquis propterea factum esse suspicetur, quod, si qui terram centrum universi ideoque rerum omnium sempiternum quasi fundamentum, *πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί*, a poeta habitam statuerunt, haec sententia perverti videbatur addito proximo versu, *ἀθανάτων οἳ ἔχουσι κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου*, quippe quum sic illud *πάντων* non, ut illi volebant, rerum universitatem, sed deos tantum significaret. Attamen vel sic in scholio Ven. agnoscenda erit epitomatoris imperitia, qui ea ipsa omiserit, quae maxime ad rem pertinerent. Ego autem ne his quidem, quae extant, *ὁ ἐπαγόμενος ἀθετεῖται στίχος*, fidem haberi posse censeo, sed *παραδιόρθωσιν* esse credo eorum, quae in Cantabr. leguntur, *ὅθεν ἐγαγόμενος* (h. e. *ἐπαγόμενος*) *ἀθετεῖ τοὺς στίχους*, Zeno scilicet. Deest in his accuratior versuum, quos Zeno damnaverit, designatio: ni fallor *τοὺς ἐφεξῆς δύο*: deest autem etiam explicatio rationis, cur, si terram sedimentum ex humore dixit, propterea proximos duos versus alienos indicaverit. Sed videtur mihi sic fere iudicasse: deorum immortalium firmam semper et stabilem sedem terram dici non potuisse propterea, quod dii fuerint etiam ante, quam illa ex humore desederit: versu autem 118 damnato, necesse

9) Cf. Plat. Sympos. c. 8 p. 181 B ibiq. Ast — De *Ἀφρ. πανδήμῳ* add. Harpocr. s. v. *πάνδ.* Pausan. I, 22, 3. Lobeck. Aglaoph. p. 437, d.

erat etiam proximum 119 pariter damnari, structura et sententia
arctissime cum illo connexum, siquidem *Τάρταρα* a verbo *ἔχου-* 17
σι pendebat. Nam posteriorum interpretatio, qui *Τάρταρα* recto
casu dici et nascentis mundi elementum quoddam hoc nomine
designari voluerunt, a Zenonis ratione longe abhorret, qui primum
chaos, quod aquam interpretabatur, hinc terram, aquae sedimentum,
tertium denique amorem fuisse statuebat. Schol. Apoll. Rh. I, 498:
*καὶ Ζήνων δὲ ὁ Στωϊκὸς τὸ παρ᾽ Ἡσιόδῳ χάος ὕδωρ εἶναί
φησιν, οὗ συνιζάνοντος ἰλὺν γίνεσθαι, ἧς πηγνυμένης ἡ γῆ στε-
ρεοῦται· τρίτον δὲ ἔρωτα γεγονέναι.* Quod autem fuerunt, qui
Tartarum aerem interpretarentur terrae circumfusum, qua de re supra
dictum est, Zenonem in his fuisse non adducor ut credam. Nam pu-
gnat haec interpretatio cum ipsis Hesiodi verbis, qui illum non cir-
cumfusum terrae, sed inclusum *μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης* esse ait,
estque sine dubio a posterioribus demum excogitata, quibus etiam
pugnantia quovis pacto conciliare mos erat. Ceterum Zeno non qui-
dem commentarium in theogoniam composuit, — nam Ciceronis verba
d. n. d. I, 14, 36 in hanc sententiam detorquere non licet, — sed saepe-
numero in libris suis de theogonia disputavit[10]), quemadmodum Chry-
sippum Cicero, c. 15, 41, in secundo libro de natura deorum Orphei, Musaei,
Hesiodi Homerique fabulas tractasse scribit, quod qua ratione fecerit,
hodieque aliquot exemplis cognosci potest. Itaque in tali disputatione
fieri facile potuit, ut unum alterumque locum tanquam alienum atque
insiticium notaret, quas notationes grammatici postea, artis suae voca-
bulo appellatas, tanquam Zenonis *ἀθετήσεις* in commentariis com-
memorarunt. Zeno autem has fabulas cosmogonicas in libris *περὶ τοῦ
ὅλου* (Diog. VII, 136) aut *περὶ φύσεως* (Stob. ecl. I, p. 178), vix ab
illis diversis, tractasse videtur. — *Σημειῶσιν* veterum grammatico-
rum scholia Cant. etiam ad v. 233 testantur, de coniunctis duobus
Nerei epithetis *ἀψευδέα καὶ ἀληθέα: τὸ δὲ σημαινόμενον* (*τὸ
σημεῖον* recte cod. Par., in quo idem scholium extat) *ὅτι οὐκ ἔστι
διὰ λόγου* (*δίλογος* cod. Par.), *ἀλλ᾽ ἐπεὶ καὶ ψευδόμενοι* (*οἱ ψ.*
Par.) *διὰ δύο ψεύδονται, ἤγουν* (*ἤτοι* Par.) *ἑκουσίως διά τινα
ὠφέλειαν, ἢ ἀκουσίως διὰ τὸ ἐπιλανθάνεσθαι.* Reliqua, quae
admodum in cod. Cant. corrupta, emendatiora in Par. sunt, adscribere
nihil attinet. Pro *διὰ λόγου* apparet aut *δίλογος* cum cod. Par. scri-

10) Cf. Krische, Forschungen auf d. Gebiete der alt. Philos. I, 394.

bendum, ut subaudiatur *ὁ στίχος*, aut, quod magis placet, *διλογία*, quemadmodum in schol. Ven. ad Iliad. VII, 295: *ἀθετεῖται ὡς καθαιρῶν τὰ προειρημένα — ἔχει δὲ καὶ διλογίαν ἔτας καὶ ἑταίρους*. ad XII, 77: *ἔχει μέν τινα διλογίαν ὁ στίχος*. Add. schol. ad Soph. Oed. Tyr. v. 637: *ἅμα δὲ καὶ μὴ διλογία ᾖ*, ubi ante Elmsleium scribebatur *διαλογία*. — Afferam autem hoc loco similis cuiusdam annotationis exemplum, quamquam non diserte memorata *σημειώσει*, in schol. ad v. 146: *ἐκ παραλλήλου τὰς ἰσοδυνάμους λέγει*, scil. *λέξεις*. Significantur voces *ἰσχύς* et *βίη*, *λέξεις ἰσοδύναμοι ἐκ παραλλήλου* h. e. voces eiusdem potestatis iuxta se positae, quo sensu grammaticos illud *ἐκ παραλλήλου* dicere nemo ignorat. Minus recte schol. Ven.: *ἐκ παραλλήλου τὰς δυνάμεις αὐτῶν λέγει*, quae verba in illorum locum ab aliquo substituta videntur, qui sententiam eorum non assequeretur. — Porro *σημείωσις* est, sed neque hoc verbo, neque alio, ut *σημειωτέον* aut
18 *σημείωσαι*, notata, in schol. Cant. ad v. 323: *ὅτι οἱ μεταβάλλοντες τὴν φράσιν ὀφείλουσι βέλτιον ἐπεξεργάζεσθαι, εἰ δὲ μή γε, τῇ προσλαβούσῃ χρήσασθαι*. Quid sit *ἡ προσλαβοῦσα φράσις* nemo dixerit. Sensus postulat, ut rescribatur *τῇ παροδοθείσῃ* aut tale quid[11]). Est autem hoc scholium sine dubio ex uberiore disputatione excerptum, quae qualis fuerit sciri quidem non potest, sed probabiliter tamen fortasse divinari. Ad constructionem huius loci, impeditam sane et perversam, qua offensi critici recentiores duos versus 323. 324 eiiciendos censuerunt, eam disputationem non pertinuisse, ipsum *φράσις* vocabulum demonstrare videtur, quod loquutionem, non constructionem significat. Discimus autem e schol. ad Iliad. VI, 181, fuisse quos *Χιμαίρας* nomen offenderet, quandoquidem bellua ista neque tota, neque capite saltem et anteriore corporis parte capra esset, sed media tantummodo, cetera autem aut leo, aut serpens. Itaque tali offensione permotum etiam Hesiodum esse statuerunt, ut tria belluae capita daret, in quibus unum saltem *χιμαίρας* sive caprae, contra mentem Homeri: *Ἡσίοδος δ' ἠπατήθη, τρικέφαλον αὐτὴν λέγων*. Improbata igitur est haec mutatio, ut non in melius facta: atque hinc illud superesse credo, quod in scholiis legimus: „si quis, ut ab Hesiodo factum est, dictionem immutat, meliorem faece-

---

11) Aliam medicinam Hermannus tentavit in Diurn. schol. (Allgem. Schulzeit.) 1833 II p. 925.

re debet, sin minus, ea uti, quae tradita est." — Proximum exemplum est in schol. ad v. 484, de Iove recens nato, in specu a matre abscondito *Αἰγαίῳ ἐν ὄρει*: *Σημείωσαι ὅτι καὶ οὗτος αἰγίοχον ἤκουσεν τὸν Δία, ἐπεὶ αἶγα ἐθήλασεν. ἀφ' οὗ ἐν Κρήτῃ καὶ Αἰγὸς ὄρος καλεῖται καὶ Αἰγαῖον, τὸ ὑπ' ἐνίων ἔκδικον καλούμενον. Ὁ δὲ Ὅμηρος ἀπὸ τοῦ ἰδίου ὅπλου τῆς αἰγίδος αἰγίοχον αὐτὸν ἐκάλεσεν.* Notum est *αἰγίοχον* Iovem alios propterea dictum credidisse, quod caprae lacte nutritus esset *ἀπὸ τῆς αἰγὸς ὀχῆς* h. e. *τροφῆς*, alios ab aegide, quam gestaret. Illam Hesiodi sententiam fuisse colligebant ex Aegaei h. e. Caprini montis nomine, quippe quod et ipsum a capra puerum in specu montis nutriente repetendum videretur: atque huiusmodi expositionis quasi breviarium scholia nostra servarunt. Ceterum quum *Αἰγαῖον* s. *Αἰγὸς ὄρος* in Creta a nullo vetere scriptore memoretur, nomen illud apud Hesiodum nonnullis corruptum visum est, permutandumque cum *Ἀργαίῳ*, quod in Ald. aliisque editionibus, sed in nullo, quod sciam, codice inventum est. Commendavit hanc mutationem etiam Hoeckius, Creta, tom. I p. 409, sed nulla, ut arbitror, idonea ratione. Nam ne *Ἀργαῖον* quidem *ὄρος* alibi a veteribus memoratum est: *Αἰγαῖον* autem etiam Arati olim codices habuerunt v. 32, pro eo quod nunc legimus *Ἰδαίῳ*, et Theo in comm. ad Arat., quamvis dubitanter loquatur, non tamen prorsus illud alterum damnat, adeoque in theogonia tanquam antiquitus traditum agnoscit: quod etsi iure aliquis miretur in tam frequenti Iovis natalium commemoratione nusquam a quoquam alio tradi, non tamen consequi arbitror, ut ne fuisse quidem unquam illud nomen statuamus. Quidni enim obsoletum potius et alio celebriore obscuratum credimus? Cf. et Salmas. ad Solin. p. 626 et Graev. Lectt. Hes. p. 628 Loesn. — Postrema scholii verba, *τὸ ὑπ' ἐνίων ἔκδικον καλούμενον*, non inscite Gaisfordius emendavit, *Δικταῖον* scribens. Nam hoc nomen non ei solum monti proprium fuit, qui est in extrema insulae parte, qua ad orientem vergit, sed pertinet etiam ad ea iuga, quae magis ad occidentem procurrunt, et haud procul a Prianso, Praeso et Lycto Idaeis iugis appropinquant, qua de re vid. 19
Hoeck. l. l. p. 407. Sed verius tamen puto *Αἰγιδόχον*, quo nomine *τόπον ἐν Κρήτῃ* fuisse ait schol. Il. II, 157, Euphorionem auctorem citans [12]). Quod autem Goettlingius ait, *Αἰγαῖον ὄρος* ipsum Idam

12) Cf. diss. de Iovis incunabulis p. 12 [258].

montem esse, mera est hariolatio. De accentu, utrum *Αἴγαιον* an *Αἰγαῖον* scribendum sit, dicere longum est. — Sequitur *ἀθετήσεως* notatio neque in Cant. neque in Ven., sed in Parisino tantum codice servata, ad v. 573: *ἀθετοῦνται, διότι, φασὶν, ἀπρεπὲς θεὰν οὖσαν τὴν Ἀθηνᾶν κοσμεῖν γυναῖκα.* Numerum versuum aut epitomatoris aut librarii negligentia omisit: sed res ipsa docet pertinere hoc iudicium ad quinque versus, 573—577. — Quae porro *σημείωσις* in cod. Cant. ad v. 926 commemoratur: *πρῶτος οὗτος τὸν Ἥφαιστον ἐκ μόνης Ἥρας εἶπε, διὸ καὶ τὸ σημεῖον*, ubi perperam Gaisford. scripsit *διὸ καὶ τοῦτο σημείωσαι*, — debebat potius ad v. 927 adscribi. — Denique ad v. 943 in Cant. leguntur: *σημειωτέον ὅτι δύο συλλαβῶν ἀποκοπαί εἰσιν. Ἀθετοῦνται ἑφεξῆς στίχοι ἐννέα. τοὺς γὰρ ἐξ ἀμφοτέρων θεῶν γενεαλογεῖν αὐτῷ πρόκειται.* De duarum syllabarum apocopa iam supra dixi, et *σημείωσιν* alio pertinere monui. Pertinet enim ad aliquot versuum *ἀθέτησιν*: sed quod novem versus a criticis damnati esse dicuntur, librariis sine dubio imputandum est, qui notas numerales *β* et *ϑ* permutarunt. Nam quae causa affertur, eos tantum hoc loco memorari, qui utrosque parentes deos habeant, haec Herculem solum excludit, cuius mater mortalis fuit, ne post mortem quidem, id quod Semelae contigit, inter deos recepta. Monui hac de re iam dudum in diss. de fals. indic. lacun. theog. Hesiod. p. 26 [423], et corrigendum apud scholiastam numerum etiam antea God. Hermannus monuerat in Diar. schol. ann. 1833 p. 926.

Sed quoniam ex his quas consideravimus, criticorum notationibus tres (v. 323. 384. 926) ad comparationem Hesiodi cum Homero pertinent, adiungam nunc reliquas eiusdem generis observationes, quibus quod non diserta *σημειώσεως* commemoratio additur, epitomatoribus imputandum videtur, a quibus eam etiam in schol. Cant. ad v. 323 omissam vidimus, ubi ipsa coniunctio *ὅτι* omissionem arguit, et in Ven. ad v. 484. Referenda igitur huc est schol. Cant. annotatio ad v. 746: *μαχόμενα τὰ ἐπὶ τῷ Ἄτλαντι. εἰ γὰρ ἐννέα ἡμερῶν διάστημα ὁ ἄκμων καταβαίνει ἐπὶ τῆς γῆς* (v. 722. 3), *πῶς οἷόντε τὸν Ἄτλαντα ἐπὶ τῆς γῆς ἑστῶτα βαστάζειν τὸν οὐρανόν; Ὁμήρου εἰπόντος „ἔχει δέ τε κίονας αὐτός“, ἀντὶ τοῦ ἐπιμελείας ἀξιοῖ ἢ φυλάττει, ὡς καὶ ἐν ἄλλῳ* (Od. IV, 737) *„καί μοι κῆπον ἔχει πολυδένδρεον“ — ὁ δὲ Ἡσίοδος ἀντὶ τοῦ κατέχει καὶ φέρει ἤκουσεν.* Nota est Homerici versus interpretatio e schol. ad Od. I, 53: neque illud rarum apud grammaticos, ut Ho-

meri verba non recte ab Hesiodo accepta atque hinc multa aliter, quam deberet, ab eo tradita esse criminentur, ex quo genere est quod de Chimaera supra attulimus, item quod de Nereo notatur ad Iliad. XVIII, 38, de Cypride et Cytherea ad Il. V, 422. Od. VIII, 362, de Cyclopibus ad Od. IX, 106, cuiusmodi comparationibus *διπλῆν* apponere solebant (schol. Il. VIII, 368. X, 430. XI, 750. XXIII, 679. XXIV, 527). Sed Hesiodeo versui duplex, ut arbitror, nota apposita fuit, altera propter comparationem Homeri, altera propter *τὸ μαχόμενον* in ipsius descriptione Atlantis. Et admonet hoc me alterius *μαχομένου* in schol. ad v. 2 notati: *μάχεται τὸ ἁπαλοῖσι καὶ τὸ ἐπερρώσαντο. τὸ γὰρ σύντονον τῷ ἠρεμαίῳ ἀντίκειται.* cui statim adiungitur defensio: *ἢ ὅτι πόδας μὲν εἶχον ἁπαλοὺς, ἐρρωμένως δὲ καὶ συντόνως ὠρχοῦντο ἢ ἐπισταμένως ἐχόρευον. ἀνοίκειον* (scr. *οὐκ ἀνοικ.*) *δὲ Μούσαις τὸ ἐπίθετον.* quibuscum conferre iuvabit schol. Iliad. XXIV, 616. — Contra laudatum a criticis Hesiodum videmus, quod quae Homerus ambigue, ipse planius eloquutus esset, in schol. Cant. ad v. 934: *ὑγιῶς ἐκδέδοται τὸ παρ' Ὁμήρῳ ἀμφιβόλως νοούμενον*: quae annotatio pertinet ad *Φόβον καὶ Δεῖμον*, Pavorem et Terrorem, quos Hesiodus diserte Martis ex Venere filios dicit, quum Homerus alterum quidem a Marte genitum perhibeat Il. XIII, 299, de altero autem, quem una cum illo comitem Marti addit Il. IV, 440, hoc non dicat, neque qua uterque matre natus sit usquam significet. Agnoscimus autem etiam in hoc scholio, quantopere omnia ab epitomatore breviata sint: accedit praeterea diversorum scholiorum confusio. Nam quae prima ad hunc versum 934 adscripta sunt, *ἐπειδὴ ἐν παντὶ τόπῳ τῷ πυρὶ κεχρήμεθα*, nihil ad hunc locum pertinent, sed ad v. 929: scilicet *ἐκ πάντων τέχνῃσι κεκασμένον Οὐρανιώνων* Vulcanum propterea dici, quod vix ullum artis opus ab hominibus nisi ignis ope perfici possit. — Tertia quaedam Hesiodi cum Homero comparatio est in schol. ad v. 1004, de quo iam supra dictum est. Addam autem schol. ad v. 250, ubi cum recentioribus poetis ille componitur: *εὐειδὴς Γαλάτεια: τοῦτο τὸ ἐπίθετον ἀφορμὴν παρέσχε τοῖς νεωτέροις, τὸν Κύκλωπος καὶ Γαλατείας κατασκευάσαι ἔρωτα.* Neque alienum fuerit hoc loco etiam eos scholiorum locos attingere, qui fabularum minus vulgo tritarum commemoratione antiquae eruditionis grammaticae vestigia ostendunt, velut Cant. ad. v. 985, de Emathione ab Hercule interempto, eiusdemque ad v. 992, de laboribus Iasoni ab Aeeta impositis. Unum paullo accura-

tius considerandum est utriusque collectionis scholium ad v. 142, et atheteseos notationem et citationem carminis deperditi et fabulosae historiae memoriam complexum, de quo ab aliis minus recte iudicatum esse videtur: *Κράτης ἀντὶ τούτου* (h. e. pro v. 149) *ἄλλον στίχον παρατίθεται,*

Οἱ δ' ἐξ ἀθανάτων θνητοὶ τράφεν αὐδήεντες.

Πῶς γὰρ τοὺς αὐτοὺς θεοῖς ἐναλιγκίους λέγει, καὶ ἐν τῷ τῶν Λευκιππιδῶν καταλόγῳ ὑπὸ Ἀπόλλωνος ἀναιρεῖσθαι ποιεῖ; Ἢ ὅτι οὐ πάντας τοὺς ἐκ τῶν θεῶν ἀθανάτους εἶναι συμβαίνει, ὥς φησιν Ἡσίοδος; Ἐν γὰρ τοῖς ἑξῆς (v. 289) *Γηρυόνην θνητὸν ὄντα Χρυσάορος εἶναι λέγει παῖδα. ὁ δὲ Χρυσάωρ Μεδούσης ἦν* (excidit fort. *καὶ Ποσειδῶνος*). *Πῶς δὲ καὶ αὐτὴ ἡ Μέδουσα ἀναιρεῖται ὑφ' Ἡρακλέους καὶ ὁ Ὄρθρος κύων, ἀπ' ἀθανάτων γεννηθέντες;* Primum nequaquam ex hac annotatione colligi debuit, Cratetem illum versum ex alia quapiam theogoniae recensione sumpsisse, id quod Goettlingius voluit; neque magis ipse eum procudisse videbitur. Potuit ille versus ex alio carmine Hesiodeo, ubi de Cyclopibus dictum erat, et, nisi fallor, ex illo ipso, qui postea citatur, catalogo afferri, in quo de caede illorum narratum fuisse videmus. Hunc igitur Crates apposuerat et fortasse in alterius locum substituendum suaserat. Deinde vituperat Muetzellius p. 349 tanquam levitatis paene intolerabilis documentum, quod Medusa ab Hercule interempta dicitur. Atqui diligentiorem se praestat scholii auctor, quam ut tam turpiter errasse videri possit: peccatum sine dubio a describentibus est, et auctoris manus in hunc modum restituenda: *πῶς δὲ καὶ αὐτὴ ἡ Μέδουσα ἀναιρεῖται [ὑπὸ Περσέως], ὑφ' Ἡρακλέους δὲ* [pro *καὶ*] *ὁ Ὄρθρος κύων;* Ceterum de *Ὄρθρῳ* ambigas, siccine hoc nomen ab auctore scholii scriptum sit, an *Ὄρθος* potius, quam formam schol. Bas. ad v. 293 unam tuetur, licet in Ven. utraque sit,
21 altera ad v. 293, altera ad v. 327, ubi de veritate scripturae dubitari non potest propter additum veriverbium, *παρόσον ἐν τῷ ὄρθρῳ σφοδροτέρα ἡ ψύξις,* quocum cf. Ioann. Diac. p. 564, 8 ed. Lips. et praecipue p. 567, 27. In ipsa theogonia codices plerique *Ὄρθον* commendant: alibi incertior est optio. Cf. quos citant Rupert. ad Sil. Ital. XIII, 845 et Muetzell. p. 230.

Sequitur ut de aliquot scholiorum locis videamus, in quibus veteres grammatici nominatim citantur: quamquam in universum de his omnibus praeclare a Muetzellio disputatum est, demonstratumque, id

quod maxime advertendum, nullum neque grammaticum neque alium scriptorem in scholiis citari, qui post Augusti aetatem vixerit, et esse adeo vestigia quaedam, ex quibus colligatur, scholiorum auctoribus posteriores grammaticos, veluti Apollonium eiusque filium Herodianum, non cognitos fuisse, unde non immerito illi aetati assignandi videntur, quae inter Augustum et hos, quos dixi, grammaticos media est. Sed de Zenodoto, cuius et editio memoratur, in schol. Ven. et Par. ad v. 5, ubi *Τερμησσοῖο* ab eo scriptum esse dicitur, et interpretatio, in schol. cod. Schellershem. et Paris. ap. Ruhnk. epist. crit. I p. 91, ad v. 116, ubi chaos *τὸν κεχυμένον ἀέρα* dixisse traditur, dubitatum est a Muetzellio p. 281, vetusne ille Ephesius intelligendus sit, an alius recentior, *ὁ ἐν ἄστει καλούμενος*, cuius *εἰς τὴν Ἡσιόδου θεογονίαν* commentarium Suidas memorat, quum de alterius Zenodoti Hesiodeis studiis nihil aliunde compertum sit. Quod enim Goettlingius, praef. p. LXVI, *τὰς Ζηνοδοτείους διορθώσεις*, ab Apollon. de pronom. p. 140 B commemoratas, quae sane fuerunt veteris illius Ephesii, etiam in schol. ad v. 5 significari credit, vereor ut probari possit, quandoquidem has diorthoses ad unum Homerum pertinuisse, non silvam emendationum ad varios scriptores fuisse pro certo habeo. Deinde interpretis etiam officio Ephesium functum esse, ut de chao Hesiodeo sententiam dixerit, nihil est quod persuadeat. Itaque equidem cautam Muetzellii dubitationem imitari malo. Dubitatur autem ab eodem etiam de Aristophane, sitne in schol. ad v. 68, ubi *ἐπισημήνασθαι* Hesiodi versum dicitur, editio theogoniae intelligenda, an potius annotatio alibi proposita, fortasse in canone, quem confecerit, scriptorum praestantissimorum. Sed probabilius tamen illud verbum de editione notis criticis instructa interpretabimur, quum praesertim indicem illum etiam censuras scriptorum habuisse, easque tam accuratas, ut vel de singulis locis iudicia aut exponerentur aut certe significarentur, vix cuiquam credibile videri possit. Ceterum quae porro in scholio leguntur: *νῦν περὶ τῆς ἀνόδου αὐτῶν* (h. e. *τῶν Μουσῶν*) *φησὶν* (*ὁ ποιητής* scil.) *τῆς εἰς Ὄλυμπον· πρότερον γὰρ ἦν ὁ λόγος αὐτῷ περὶ τῆς ἐν τόπῳ αὐτῶν χορείας*, — et quid offenderit in Hesiodi loco criticum, et quomodo haec offensio aut ab ipso aut ab aliis [13]) remota sit, docere nos possunt. Offendit autem etiam recentiores adverbium *τότε*, quo quodnam tempus significetur, non

13) Hoc ab aliis propterea addendum fuit, quod *ὑπομνήματα* neque in

statim apparet. Sed in illo versuum contextu vix aliud tempus significari posse dicemus, quam quo Musae natae erant: nam de ortu earum poeta modo dixerat v. 60, paullulumque moratus in loci natalis
22 descriptione, ut haud procul fuerit a summo Olympo, utque chori ibi ac domicilia Musarum sint, personarique omnia earum cantibus soleant, iam pergens *αἳ τότ' ἴσαν*, inquit, *πατέρ' εἰς ὅν*, h. e. tum, quum natae erant, ad Iovis domum, in altiore Olympi cacumine sitam, ascenderunt. Hanc igitur ascensionem Aristophanes, sive aliquis lyticus, significans, *περὶ τῆς ἀνόδου τῶν Μουσῶν τῆς εἰς Ὄλυμπον* poetam loqui, superioribus autem versibus *τὴν ἐν τόπῳ χορείαν*, saltationem in ipso ubi natae erant loco, memorari ait. Muetzellius p. 382, *τὴν ἄνοδον* non de ascensione, sed de reditu accipiens, *τὴν ἐν τόπῳ χορείαν* non potuit nisi de ea saltatione accipere, quam in Helicone Musae peregisse narrantur v. 2 sqq., quo scilicet ab Olympo se contulerant. Hanc ob causam longe diversum loci tenorem ab eo, qui nunc est, Aristophanis aetate fuisse statuit, ut, quae inde a v. 68 leguntur, ad initium carminis apte commodeque referri potuerint. Atqui hoc si statuitur, nemo intelligat, quae causa fuerit *ἐπισημασίας* Aristophanicae: nam locis apte commodeque iunctis, quorum facilis et expedita lectio esset, notae non solebant apponi. Quod autem insuper Muetzellius obiicit, in versibus proxime praecedentibus ne commemorari quidem saltationem, est sane verum: at *χοροί* tamen commemorantur, h. e. loci in quibus saltari solet, et cantus, qui solent fere cum saltationibus coniuncti esse: poterant igitur hae ipsae, quamvis non diserte appellatae, satis tamen aperte significatae videri. Ceterum non eo haec disputavi, quo loci hunc contextum, qui nunc est, genuinum nullique instae reprehensioni obnoxium esse censerem, sed ut ostenderem tantummodo, nullam causam fuisse, cur longe alia eius conformatio Aristophanis aetate fuisse diceretur. — Etiam alter de Aristophane locus, in schol. ad v. 126, paullo accuratius considerandus est. Ad versus Hesiodi

Γαῖα δέ τοι πρῶτον μὲν ἐγείνατο ἶσον ἑαυτῇ
Οὐρανὸν ἀστερόενθ', ἵνα μιν περὶ πάντα καλύπτοι —

adscripta in schol. Caut. haec sunt: *ὁ Κράτης ἀπορεῖ. εἰ γὰρ ἶσον, πῶς δύναται καλύπτειν; λέγει οὖν ἶσον ὅμοιον τῷ σχήματι,*

Homerum neque in alios scriptores ab Aristophane scripta videntur. Cf. Nauck. Aristoph. Byz. fragm. p. 21.

σφαιροειδῆ δὲ τῷ μεγέθει (rectius Ven. *σφαιροειδῆ, τῷ μεγέθει
δὲ ἀπειροπλάσιον*). *Δίδυμος δὲ, ὅτι ἐγεννήθη.* (hic quoque ple-
nius Ven. *κατὰ τὸν τῆς γεννήσεως λόγον, ἤγουν ὅτι καὶ αὐτὸς
ὥσπερ αὐτὴ ἐγεννήθη.*) *Οὐ* (hoc abest a Ven.) *καὶ Ἀριστοφάνης
ἐν τῷ βίβλῳ λέγειν Ἀμφιτρύων δὲ αὐτοῦ γενναιότερον* (Ven.
γενναιότερον αὐτοῦ) *παῖδα γεννᾷ.* Haec Gaisfordius sic corrigenda
esse coniicit: *οὕτως καὶ Ἀριστοφάνης ἐν τῷ δευτέρῳ* (*Βοιωτι-
κῶν*) *λέγει, Ἀμφιτρύων γενναιότερον αὐτοῦ παῖδα γεννᾷ,* Ste-
phanum Byz. laudans, qui s. v. *Χαιρώνεια* Aristophanis Boeoticorum
librum item secundum citat. Haec si vera esset coniectura, non de
Byzantio Aristophane, sed de Boeoto cogitandum foret, siquidem huic,
non alteri, Boeotica illa tribuenda esse plerique probabiliter statuunt.
Longe diversam viam nuper A. Nauckius ingressus est, Aristoph. Byz.
fragmm. p. 60. Is enim Aristophanis nomen plane ab hoc loco re-
moveri vult, utpote ex compendiis natum male intellectis: nam scri-
ptum fuisse *καὶ*ΓΑΡ IC. Τ Φ (h. e. *καὶ γὰρ ἴσος τὴν φύσιν*) *Ἀμ-
φιτρύων γενναιότερον αὐτοῦ παῖδα γεννᾷ.* Peracute hoc excogi-
tatum esse fateor, et placere posse, si quis Veneta solum scholia respi-
ciat, in quo neque *οὐ* ante *καὶ Ἀριστ.*, neque *ἐν τῷ βίβλῳ λέγειν*
ante *Ἀμφιτρ.* comparet. Sed in emendando loco a Cant. potius pro-
ficiscendum erat, in quo quum verba illa supersint, manifestum esse 23
arbitror, explicationem olim paullo longiorem fuisse, cuius nunc has
paucas tantummodo et laceras reliquias habemus, quae quamvis ad in-
tegritatem restitui non possint, hoc tamen docere videntur, dictum
fuisse de aliquo interprete, sive is Aristophanes fuit sive alius nomine
similiter composito, qui et ipse caelum terrae *ἴσον* dici statueret natu-
rali quadam similitudine, qualis solet esse liberis cum parentibus,
quamvis maiores saepenumero fortioresque evadant, idque compro-
basse aliquo poetae loco, ubi Amphitruo generosiorem quidem, sed
similem tamen sui filium procreasse diceretur. Nam poetae locum esse
ipsa verborum consequutio in Cant. arguere videtur, ut quae hexame-
trum, uno tantum pyrrhichio minorem, et alterius initium efficiant:

Ἀμφιτρύων δ' αὐτοῦ γενναιότερον (*ποτὲ*) *παῖδα*
γεννᾷ —.

Et probabile est locum illum ex eodem potissimum, qui illustrandus erat, poeta petitum esse, h. e. ex Hesiodo, aut qui credebatur saltem Hesiodus esse. Itaque scriptum fuisse coniicio: *οὕτως καὶ Ἀριστ. φ″. ἡσ.* (h. e. *Ἀριστ. φησὶν Ἡσίοδον*) *ἐν τῷ β′ κλῳ* (h. e. *ἐν*

τῷ δευτέρῳ καταλόγῳ) λέγειν, verbaque ἐν τῷ βίβλῳ ex compendiis scripturae a librariis facta esse, itidem ut nomen Aristophanis[14]), quod illi rectene an secus expleverint, sciri a nobis non potest. — Quae autem in extremo schol. Cant. leguntur: ἀντὶ τοῦ, τότε ἐπηυξήθη οὐρανὸς ἀστερόεις (in Ven. desunt verba ἀντὶ τοῦ et pro τότε scrib. ὅτε) nihil fortasse ad hunc contextum pertinent, sed reliqua sunt ex interpretatione proximorum versuum in hanc fere sententiam: quum excrevisset caelum stelliferum, factum esse, ut terra ab eo contegeretur[15]) aptaque et tuta deorum sedes fieret, quasi domus tecto instructa. Nempe, ut est apud Lucretium I, 1094,

circumtegit omnia caelum,
Ne volucri ritu flammarum moenia mundi
Diffugiant subito magnum per inane soluta,
Et ne cetera consimili ratione sequantur,
Neve ruant caeli tonitralia templa superne,
Terraque se pedibus raptim subducat, et omnes,
Inter permixtas rerum caelique ruinas,
Corpora solventes abeant per inane profundum. —

De schol. Cant. ad v. 26, ubi Apollonii Rhodii annotatio commemoratur, dixi iam in Diurn. antiquar. a Bergkio et Caesare editis, ann. 1845. Suppl. no. 20 p. 154. 5, neque nunc aliter sentio. Nam verba scholii: Ἀπολλώνιος δὲ ὁ Ῥόδιος λείπειν τὸν πρῶτον στίχον φησίν·
24 οὐ λείπει δέ, ἀλλ' ἔστι „ποιμένες ἄγραυλοι“ —, adeo perversa sunt, ut dubitari non possit, quin aut a librariis aut ab ipso epitomatore scholiorum peccatum sit. Probabiliter lacunam statuas, in hunc fere modum explendam: Ἀπ. δ. ὁ. Ῥ. λείπειν [τινὰ μετὰ] τὸν πρῶτον στίχον φησίν: siquidem quae post alloquutionem Musarum oratio sequitur, ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν —, haec adeo abrupta nulloque cum illa alloquutione vinculo connexa est, ut facile aliquis excidisse unum aut plures versus suspicetur. Quod autem ad illam annotationem in scholio respondetur, οὐ λείπει δέ, ἀλλ' ἔστι —,

14) Nam, ut Valckenarii verbis utar, ad schol. Iliad. XXII, 29, nomina auctorum et librorum per compendia scribuntur in veteribus membranis.

15) Hanc contegendi significationem in ipso οὐρανοῦ nomine inesse statuit Sonnius, utpote a Sanscritica radice vr deducendo, qua de re non philologorum sed linguistarum iudicium est. Vid. Sonne, Epilegomena zu Dr. Th. Benfey's griech. Wurzellexicon. Progr. gymn. Wismar. 1847 p. 30.

additamentum est recentioris alicuius lectoris, qui depravatae iam tum annotationis sententiam hanc esse crederet, ut exordium Musarum orationis, h. e. ipsa alloquutio deesse diceretur, quamobrem hanc non deesse sed adesse testatur. — De duobus scholiis, in quibus Cratetis iudicia referuntur, ad v. 126 et 142, iam supra dictum est. De Aristarcho autem, qui aliquoties nominatur, non habeo quod dicam, quum et Muetzellius p. 283 de ipso quantum satis erat attulerit neque scholia quidquam offensionis obiiciant. Uno loco, in schol. ad v. 991, Aristarchi nomen, pro Archilochi, de coniectura Ruhnkenii repositum est, de cuius veritate nollem Muetzellius dubitasset p. 505. 6. — De aliorum autem scriptorum, praeter grammaticos, citationibus iam supra monitum est, nullum eorum Augusti aetate recentiorem esse: nam duos locos, in quibus Synesius et Simocatta memorantur, ad v. 578 et 761, Triclinius adscripsit. In illis autem non modo eos esse videmus, quos quilibet quamvis mediocriter doctus de ludo Byzantino citare potuerit, Homerum, Pindarum, Sophoclem, Euripidem ceterosque nunquam non lectitatos, sed etiam alios, quorum notitia reconditioris eruditionis erat, velut Hesiodum ipsum in catalogo, ad v. 142, quem superstitem Byzantina aetate fuisse nemo credet, Orphicam theogoniam ad v. 209 (cf. Lobeck. Agl. p. 793 et 1355), de lyricis poetis Stesichorum (ad v. 286), Alcaeum (ad v. 313), Anacreontem (ad v. 767), Simonidem (ad v. 313), Bacchylidem (ad v. 116 et 914), de philosophis Empedoclem (ad v. 565), Aristotelem (ad v. 872, de quo infra dicemus), Zenonem (ad v. 117. 134. 139), Chrysippum (ad v. 135. 459), de historiae aut fabulosae aut verae scriptoribus Pherecyden (ad v. 116. 985: quamquam priore loco dubitari potest, an philosophus intelligendus sit), Acusilaum (ad v. 379, ex emendatione certissima), Hellanicum (ad v. 139. 293), et, quorum perobscura memoria est, Demadem, sive is Demeas aut Demo est (ad v. 914), et Lycum (ad v. 326), de quo quidem ad ea, quae antehac innotuerunt, testimonia unum nuperrime accessit in scholiis ad Pindari Isthm. postr. a Reslero editis p. 12. — Haec igitur omnia fontem scholiorum, veterem commentarium, accuratioris doctrinae dotibus haudquaquam caruisse demonstrant: sed si quaeritur, quantum inde in hanc, quam habemus, farraginem permanaverit, quo aut interpretatio theogoniae aut emendatio adiuvetur, hoc sane perparvum et exigui momenti esse satis iam ex iis, quae supra memoravimus, aestimari potest. Addam his nunc pauca quaedam de variis lectionibus, quae aliquoties in scholiis, quam-

quam parcius quam expectares, commemorantur. Itaque a schol. v. 28 pro *μυθήσασθαι*, quod nunc codices Hesiodei praeter Paullinum omnes habent, olim in quibusdam exemplaribus *γηρύσασθαι* scriptum fuisse docemur, nulla tamen veterum criticorum auctoritate pro alterutro commemorata. Equidem, si rationes recte perpendantur, *γηρύσασθαι* praeferendum censeo. — Ad v. 304 schol. Cant. docet variatum esse inter *ἄνεμον* et *ἄνομον*, sicut etiam in nostris codicibus factum est: utram lectionem veteres critici probaverint, hic quoque non docemur. — Sed in v. 465 ipse quidem scholiastes haud ambigue lectionem *πατρὸς μεγάλου διὰ βουλάς* alteri, *Διὸς μ. δ. β.*, praefert addita simul ratione: *ὁ γὰρ Ζεὺς πῶς εἶχε συμβουλεῦσαι τῷ Κρόνῳ μήπω γεννηθείς;* Poterunt multa in utramque partem disputari, quae nunc quidem omittere placet. Ceterum extrema huius scholii pars in editionibus non uno modo turbata est. De verbis *ἐν τούτοις ἡ ζωὴ — — ἀφανῆ ἄνευ ζωῆς*, quae post *μήπω γεννηθείς* leguntur, iam supra dictum est. Proxima autem: *ἵνα μή τις αὐτῶν ἀφέληται τὴν τιμὴν τῆς βασιλείας αὐτοῦ*, coniungenda sunt cum superioribus, *διὰ τοῦτο κατέπινεν αὐτούς*, quibus quae nunc subiunguntur, *οὐ μάτην ἔχων τὸν κατ' αὐτῶν σκοπόν*, pertinent potius ad v. 466: *τῷ ὅγε οὐκ ἀλαοσκοπίην ἔχε.* — Sunt autem tres scholiorum loci falsam variarum lectionum speciem prae se ferentes, qua ne quis decipiatur, cavendum est. Nam quod in Cant. ad v. 178 scriptum est, *βεβίασται δὲ τὸ* ΛΕΧΕΟΙΟ *παρὰ τὸ ἔθος*, non pro varia lectione, sed pro mero aut scribae aut typographi peccato habendum est, annotatio autem ad accentum pertinet, quum scriberetur in codicibus *λοχέοιο, προπαροξυτόνως*, contra analogiam, quae *λοχεοῖο* potius *προπερισπωμένως* scribi posceret. Neque magis e schol. Cant. ad v. 253 fuisse colligas, qui legerent v. 261 *Θεμιστὼ Πατρονόη τε*, pro eo quod libri omnes habent, *Θεμιστώ τε Προνόη τε*, siquidem ipsa interpretatio, *ἡ γὰρ προνοουμένη πάντων ἀληθής ἐστι*, manifestum facit, scholii auctorem *Προνόη* legisse, illud alterum autem describenti deberi, quem decepit fortasse quod apud poetam videbat, *ἣ πατρὸς ἔχει νόον.* — Contra quod idem scholiasta dicit: *οἱ δὲ ἐπὶ τοῦ*

Πατρονόη (scr. *Προνόη*)

Νημερτής θ' ἣ πατρὸς ἔχει νόον —

τὸ τε περισσόν φασι κεῖσθαι, ἵνα κατὰ τοῦ Πατρονόη (scr. *Προνόη*) *ἀκούηται ἐπιθετικῶς*, ostendere videtur fuisse qui copu-

lam deletam vellent. — Denique nullam lectionis varietatem agnoscas
in schol. Cant. ad v. 607, sed corruptelam tantum. Legitur ibi: *χη-
ρωσταί*: *ἀλλότριοι, ἢ οἱ πόρρωθεν συγγενεῖς, διότι χηρεύοντος
τοῦ οἴκου καὶ ἐρήμου ὄντος τέκνων αὐτὴν* (corr. *αὐτοὶ*) *κληρο-
νομοῦσι, γράφεται οὕτως, οὐκ ἴσον ἔχει τοῦ κακοῦ τὸ ἀγα-
θόν*. Rescribendum suspicor *καὶ φαίνεται οὕτως οὐκ ἴσον ἔχειν
τ. κ. τ. ἀ.*, ut respexisse interpres videatur Hesiodi verba v. 602,
ἕτερον δὲ πόρεν κακὸν ἀντ᾽ ἀγαθοῖο, a quibus coelibatus com-
modorum et incommodorum comparationem incipit. — Sed immerito
dubitasse Lennepium arbitror de schol. Schewrsh. ad 794, in quo
quod scriptum est, *γρ. νηΰποτμος*, apertissime demonstrat lectionem
indicari ab ea quam plerique codices habent, *νήϋτμος*, diversam, illam
scilicet ipsam, quae in aliis codicibus non paucis extat, *νήποτμος*.
Nam *νηῦποτμος* manifestum est librarii peccatum: quod autem inter-
pretandi causa additur, *νεκρὸς, ἄπνους*, quorum vocabulorum alterum
ad *νήϋτμος*, alterum, ut videtur, ad *νήποτμος* pertinet, epitomatori
imputandum arbitror diversa temere componenti, quod genus vitiorum
in his scholiis frequens est. Patet autem latissime multisque locis usui 26
et intellectui scholiorum magnopere officit, quamobrem futuro editori
diligenter animadvertendum et quantum potuerit corrigendum erit.
Placet igitur, antequam huic commentationi finem imponam, supra ea,
quae iam ante passim commemorata sunt, insigniora quaedam exem-
pla proponere. In Cant. ad v. 157, de Urano liberos suos statim natos
in terrae gremio rursus abscondente, verbis poetae, *πάντας ἀποκρύ-
πτασκε*, hoc scholium adscriptum est: *ἐπεὶ οὐκ ἐπιπολάζει τὸ τῆς
ὀργῆς, ἀλλ᾽ ἐν καιρῷ γίνεται καὶ κινεῖται* —, quod etiamsi vi-
deri possit sententiam habere aliquo modo intelligibilem, ab hoc tamen
certe loco alienum esse apparet. Nimirum et corruptum est, et perpe-
ram ab eo, quocum coniungi debebat, avulsum. Nam cohaeret sine
dubio cum superiore scholio ad v. 156 adscripto, ubi Caeli liberis,
quos ille absconditerit in terrae visceribus, stirpes et animalia signifi-
cari dicuntur: *ἐφαίνετο δένδρα καὶ ζῶα καὶ ἄλλα τινὰ καὶ πά-
λιν ἐκρύπτοντο· ἐπεὶ οὐκ* (add. *ἀεὶ*) *ἐπιπολάζει ταῦτα τῆς γῆς*
(pr. *τὸ τῆς ὀργῆς*), *ἀλλ᾽ ἐν καιρῷ γίνεται καὶ κινεῖται*. Quae
autem nunc illi scholio immixta sunt, *καὶ πάλιν ἐπικρατοῦντος τοῦ
σκότους ἐκρύπτοντο καὶ συνεχέοντο πάντα καὶ τὸ φῶς οὐκ ἐφαί-
νετο*, ad longe diversam interpretationem pertinent, qua Caeli liberis
non stirpes et animalia, sed omnis naturae primordia significari dice-

bantur, enata quidem initio, nondum tamen perdurantia, sed confusa rursus atque recondita, donec scilicet a Saturno liberarentur. Itaque in his scholiis quae coniungenda erant, disiuncta, quae autem disiungenda erant, coniuncta esse videmus, cuius confusionis causa haec esse potuit, quod verba *πάλιν ἐκρύπτοντο* in utraque interpretatione legebantur. Apparet autem praescriptionem ex v. 156, *ἐξ ἀρχῆς*, plane delendam, et utrumque scholium ad 157 adscribendum fuisse. — Porro in schol. Cant. ad v. 160 scriptum est: *Στεινομένη, στενοχωρουμένη, ὡς τό „στεινόμενος νεκύεσσι“* (Iliad. XXI, 229), *διὰ τὸ τοὺς πολλοὺς καρποὺς εἶναι αἰτίους τῶν μαχῶν.* Haec verba postrema plane nihil ad hunc locum pertinere quilibet intelligit, quo autem pertineant difficile dictu est; sed videor tamen mihi deprehendisse. Nempe fuerunt, qui in fabula de genitalibus Caeli a Saturno falce abscissis messem quodammodo frugum, sparsis autem guttis sanguineis sementem significari vellent, id quod ex Ioanne Diacono cognoscimus p. 459 et e schol. Ven. ad 178, eodemque pertinet quod in Cant. ad v. 161 legimus: *δρέπανον νῦν λέγει τὸν καιρὸν τοῦ ἀμητοῦ.* Iisdem interpretibus, quum adamantem, unde falx Saturni fabricata erat, *πολιόν* dici viderent, hoc adiectivum non de colore accipere placuit, sed ab eo quod est *πολύς* dedurere maluerunt, ut aut *πολύχρηστον* significaret, quod est apud Ioannem, aut inditum esset *διὰ τοὺς πολλοὺς καρπούς*, scilicet qui eius ope demeterentur, ut est in schol. Ven. ad v. 161. Ex tali igitur interpretatione etiam in schol. Cant. ad v. 160 ista verba casu aliquo irrepserunt loco prorsus alieno. Quod autem in utroque additur aliquid de proeliis propter frugum multitudinem commissis, huius rei explicatio peti fortasse potest ex interpretatione Erinyum et Gigantum e sparso Caeli sanguine natorum. Nam guttas sanguinis in terram sparsas de semente, ut supra dixi, Erinyas autem et Gigantes de proeliis hominum et certaminibus propter fruges agrorumque fertilium possessiones interpretabantur. Vid. schol. Cant. et Ven. ad v. 184: *πᾶσας δέξατο γαῖα: διὰ τὴν*
27 *διασποράν τοῦ σίτου.* (nam ita sine dubio legendum pro eo quod in libris est, *διὰ τὸ ἀδέσποτον τ. σ.*, nisi forte *τὸν διάσπορον*, quamquam huius vocabuli auctoritatem desidero.) et ad v. 185: *τὰς Ἐριννῦς καὶ τοὺς Γιγ. — — διὰ τοὺς ἐπιβαίνοντας* (scr. *ἐπισυμβαίνοντας*) *μόχθους καὶ αἱματηροὺς ἱδρῶτας καὶ πολέμους περὶ πόλεων καὶ χωρῶν εὐκράτων καὶ γονίμων.* (ubi non opus est *εὐκάρπων* rescribere. cf. Ioann. Diacon. p. 459 et 475, 1. schol. Ven. ad

v. 480: neque in schol. Ven. ad v. 527 vitiatum vocabulum esse Muetzellio p. 348 concesserim.) Ceterum in schol. Ven. ad v. 184 verbis supra citatis subiungitur: *ἐκ διαδοχῆς γὰρ ἐσπείρετο ἡ γῆ τῆς Ἑλλάδος*, quo additamento Cant. caret. Videtur autem relictum esse ex longiore quadam expositione de frugibus per omnem deinceps terrarum orbem disseminatis, initio a Graecia facto, ut constructio haec sit: *ἐσπείρετο ἡ γῆ ἐκ διαδοχῆς τῆς Ἑλλάδος*. — Porro quae in Cant. ad v. 166 adscripta sunt: *ἀεικέα, ἀνόμοια, τουτέστι κακά. Ἔλαβον δὲ ὑπουργῆσαι δηλονότι τὸ τέλος ἀποτελεῖν κρυπτόμενον* —, manifestum est duo scholia diversa esse, quorum alterum pertinet ad interpretandum occultum Saturni facinus, videturque in hunc modum corrigendum esse: *ἔλαθεν δὲ ὑπουργήσας, δηλονότι τὸ τέλος ἀποτελῶν κρυπτόμενος*. Saturnum autem hic interpres pro Tempore accepit, quo spectat etiam schol. Cant. ad v. 174: *διὰ τὸ λεληθότως τὸν χρόνον παριέναι εἴρηκε τὸ κρύψασα*. — Item in schol. Cant. et Ven. ad v. 237 Phorci interpretationem mediae alteri, quae Thaumantis est, perperam insertam videmus: et in Cant. hoc amplius turbatum est, quod uno tenore haec coniunguntur, *μόνην γὰρ καλὴν ὄψιν ἔχει ἡ τῶν ὑδάτων θέα, διὰ τὸ τείνεσθαι ἔξω εἰς γῆν*: nam postrema verba non ad illum versum, sed ad proximi initium pertinent, *γαίῃ μισγόμενος*. — In schol. Cant. ad v. 617 quae leguntur, *ἀλλ' ὅτε αὐτοὺς ἐποίησαν μετασχεῖν τῆς μοίρας τῶν θεῶν*, aliena sunt ab hoc loco, pertinentque ad v. 639, ubi totidem fere verbis repetuntur. — Denique quae adscripta sunt in eodem Cant. ad v. 618: *δῆσε κρατερῷ ἐνὶ δέσμῳ: ἡ περίστροφος τοῦ οὐρανοῦ κίνησις, ἡ κύκλῳ τῷ ἄξονι* (scr. *τοῦ ἄξονος*) *περὶ ὃν στρέφεται, διὰ τὴν πάλιν καὶ πάλιν γινομένην κίνησιν εἰς ἄπαυστον. οὐ γὰρ λήγει ἐλθὼν εἰς δυσμὰς ὁ οὐρανός*, haec quoque aliena esse ab hoc loco neque quidquam ad Centimanorum interpretationem facere, neminem fugiet. Pertinet ad locum de Atlante: hunc enim axem caeli interpretari allegoristae solebant. Ceterum laudandus Gaisfordius, quod illa verba *διὰ τὴν πάλιν — — ὁ οὐρανός*, quae in codice ad v. 626 adscripta sunt, cum hoc scholio coniunxit: sed debebat totum scholium non hoc loco poni, sed ad v. 517. Conf. Ioann. Diac. p. 475: *Ἰαπετὸς δὲ τὴν Κλυμένην ἄγεται τὴν τοῦ Ὠκεανοῦ θυγατέρα. δηλαδὴ ἡ κίνησις τοῦ οὐρανοῦ τὴν δόξαν περὶ αὐτοῦ συναθροίζει καὶ τὸ θαυμάζεσθαι. θαύματος γὰρ ἀξία ἡ τοιαύτη κίνησις καὶ ἡ τοῦ παντὸς περιφορά, ἣν δὴ περιφο-*

ῥὰν ἐπὶ τῷ ἄξονι Ἄτλαντα προσαγορεύει ὁ λόγος. Quod autem idem p. 476 stationem Atlanti πρόπαρ' Ἑσπερίδων λιγυφώνων, th. v. 518, propter concentum sphaerarum assignari antumat, 'διὰ τὸ ἐναρμόνιόν τινα ἦχον τῶν οὐρανίων σωμάτων γίνεσθαι, eandem Hesperidum epitheti rationem reddit schol. Cant. ad v. 275: διὰ τοῦτο ταύτας καλεῖ, διότι κατὰ μουσικὴν ἁρμονίαν οἱ ἀστέρες κινοῦνται περὶ τὰ Γάδειρα, ὡς Ἀριστοτέλης φησί. Non dubito quin exciderit aliquid post κινοῦνται: nam ut nunc haec coniuncta sunt, moveri circa Gades astra dicuntur, quod absurdum est; aut si
28 quis forte hanc sententiam subesse credat, brevius significatam: exaudiri circa Gades moventium astrorum concentum, ne id quidem Aristotelem dixisse credibile est, qui quid iudicaverit de isto concentu ex libro de Caelo II c. 9 cognoscitur: φανερὸν δ' ἐκ τούτων ὅτι καὶ τὸ φάναι γίνεσθαι περιφερομένων (τῶν σφαιρῶν) ἁρμονίαν, ὡς συμφώνων γενομένων τῶν ψόφων, κομψῶς μὲν εἴρηται καὶ περιττῶς ὑπὸ τῶν εἰπόντων, οὐ μὴν οὕτω γ' ἔχει τὸ ἀληθὲς κ. τ. λ. Minus talia ab Aristoxeno spreta credideris, musico et Pythagorae admiratore, possitque fortasse in schol. huius nomen cum Aristotelis permutatum esse [16]): quumque fuerint adhuc Posidonii aetate, qui Solis occidentis strepitum quendam Gadibus audiri affirmarent (Strab. III c. 1 p. 221 Tauchn.) [17]), ab his aliquid etiam de concentu sphaerarum in illam extremam orbis oram personante creditum esse non sane mirandum fuerit.

Scrib. Gryphiswaldiae prid. Cal. Martias ao. MDCCCXLVIII.

16) De horum nominum permutatione non admodum rara vid. Luzac. Lect. Attic. p. 199.

17) Cf. Burmann. ad Valer. Flacc. II, 36 Bak. ad Cleomed. p. 423 et qu. cit. Rupert. ad Tacit. Germ. c. 45 p. 194. add. Auson. epist. 19, 2.

E R R A T A.



P. 67 lin. 30 seqq. caparitatis leg. capacitatis.
- 69 - 10 de diis l. de iis.
- 152 - 10 ol. XLVI, 1 l. ol. XLVII.
- 328 - 10 ἐν l. ἐπ.
- 454 not. 17 lin. 5 A. B l. A.

TYPIS CAROLI SCHULTZII.